INSTITUTIONES *IUVENTUTIS*

In vera ſolidaq; erga DEUM
PIETATE,

In compta graviq; Morum
CIVILITATE,

Et Humaniorum Literarum
FACULTATE,

concinnatæ

à R. P. JOANNE DREWS

SOC: JESU. S. T. D.

Quarum Pars Prima etiam provectiori
ætati perutili ſervit obſequio.

BRUNSBERGÆ

Typis Collegij Sotietatis JESU.

Anno M. DCC. IV.

FLORI GENERIS HUMANI,

ADOLESCENTIBUS INGENUIS,

Fructus Honestatis & Honoris.

QUos votis sincerissimis, vobis precor, Fructus Honestatis & Honoris; ita sunt germina Sapientiæ Divinæ: ut vester quoq; partus esse possint, & debeant. ADOLESCENTES OPTIMI. *Flores mei*, inquit illa Eccli. 24. *fructus honoris & honestatis.* Ad hos fructus gignendos & maturandos, fungitur Sapientia Divina vice solis, qui florum fructuumq; parens est: animi vestri novale sunt; quod congruâ culturâ subactum, facili negotio in optatos efflorescit fructus honoris & honestatis. Hos ut proferatis faciliùs cumulatiùsq;: Tripartitas hasce vobis offerendas censui Institutiones. Nihil enim in omnibus Naturæ, Artium, & Gratiæ thesauris reperio, Adolescenti vel ad morum honestatem conducibilius, vel ad solidi honoris germinandos fructus feracius, verâ solidâq;

lidâq; in DEum pietate, comptâ in a-
gendo & loquendo Civilitate, atq; ſedu-
lo Literarum Humaniorum Studio. Hæc
eſt non fabuloſarum Charitum trias gra-
tioſiſſima: quæ decentiſſimè componit
corpora, cultiſſimè inſtruit ingenia, ſan-
ctiſſimè conſecrat animos, toti deniq;
homini non minorem conciliat venera-
tionem, quàm amorem.

Recolite, obſecro, fortunam illius Pro-
regis totius Ægypti, illius mundi fa-
mentis Salvatoris, illius magni Patriar-
chæ Joſephi. Quis illum tam glorioſũ,
& non ſolùm à manipulis, ſed etiam ſi-
deribus & regibus, adorandum exhibuit?
Nonne Adoleſcentiâ rectè à patre inſti-
tuta, tum inſigni morum gratiâ, tum li-
beralibus, prout illa ferebat ætas, arti-
bus, tum præcipuè innocentiſſima & con-
ſtantiſſima in DEum Pietate? Quid Da-
nieli, Vati ſacerrimo, adhuc Adoleſcen-
tulo, principem conciliavit locum in
conſeſſu Seniorum in Iſrael: niſi mores
culti, & pij, & mens reconditâ ſcientiâ
uberiùs imbuta? *Veni*, invitabant Seni-
ores Adoleſcentem, *& ſede in medio no-*

ſtrûm

ſtrûm, & indica nobis: quia dedit tibi DEus honorem ſenectutis. Dan. 13. Quid eidem, & tribus ejus ſodalibus adoleſcentibus, in captivitate Babylonica, præcipuos regum comparavit amores, & honores; niſi, quòd non ſolùm genere nobiles, & formâ corporis eſſent decori; ſed moribus comptiſſimi, diſciplinis patrijs & Chaldaicis ſupra coætaneos ſuos inſtructi, ac potiſſimùm conſtanti in DEum verum pietate eximij?

Erit & veſtræ, non ambigite, virtuti ac eruditioni pretium, atq; authoritas, Adoleſcentes Optimi; ſi pari ſtudio in morum culturam, Literas Humaniores, veramq; erga DEum pietatem incubueritis. *Prima adoleſcentum commendatio proficiſcitur à Modeſtia:* oraculum eſt Tullij veſtri lib. 2. de Offic. c. 13. Ipſa enim vivacioris animi temperat impetus; atq; ut infantum corpuſcula faſcijs ſolent, adoleſcentum membra geſtuſq; legibus rectæ rationis & decori, componit, diſponit, ac velut è torno educit. Dum autem lingvam, *inquietum malum*, præſertim in junioribus, contractis mo-

 deratur

deratur habenis Modeſtia; præſtò ſit & Suada oportet, quæ locuturi verba revocet ad limam, ſententias ſcitè diſponat, atq; ori favos infundat: ut ſermo fluat non minùs ſuavis, quàm ſenſatus. Quacunq; autem induſtriâ & arte adoleſcentem formaverint, atq; ornaverint Modeſtia & Suada: niſi animum inſederit ſolida erga DEum Pietas; vix aliud erit, quàm elegans idolum, aut infans annoſus. Vix enim aliam, quàm animalem vivet vitam; adeoq; innumeris ſcatebit vitijs; quæ omnia tum naturæ tum artis decora tollent, vel fœdè obſcurabunt. Cum Pietate verò, ut vera ſolidæ Sapientiæ matre, venient vobis, quemadmodum olim Salomoni, *omnia bona pariter, & innumerabilis honeſtas;* prout paulò pòſt prolixiùs demonſtrabitur. Sic inſtructi, creſcetis in liquidiſſima parentum ſolatia, in illuſtriſſima patriæ lumina, in chariſſimos DEi, non ſervos ſolùm, ſed amicos & filios, moribus ingenuis compti, eruditâ lingvâ diſerti, redimiti virtutum omnium coronâ, Pietate.

IN-

INDEX INSTITUTIONUM.

PARS I.

De Vera solidaq; erga DEum Pietate.

PROOEMIUM.

Institutio I. Nosce DEUM.

Institutio II. Nosce te ipsum.

Institutio III. Fuge Peccata.

Institutio IV Cole DEUM.

PARS II.

Institutiones in compta Morum civilitate.

PARS III.

Institutiones in Humaniorum Literarum Facultate.

Barbara

Approba

FACULTAS
R. P. Provincialis.

Institutiones Iuventutis in vera solidaq; erga DEum pietate &c. à P. Ioanne Drews, Nostræ Societatis Sacerdote, conscriptas, cûm aliquot ejusdẽ Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint: potestate mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Nostro Michàéle Angelo Tamburino, præfatæ Societatis Vicario Generali, facultatem concedo; ut typis mandẽtur: si iijs ad quos pertinet, ita videbitur. Cujꝰ rei gratiâ, has literas manu mea subscriptas, sigilloq; munitas, dedi Vilnæ 1. Iunij. Anno 1704.

TOBIAS ARENT

Præpositus per Provinciam Litvanam Societatis JESU

mppa.

APPROBATIO

Perillustris ac Reverendißimi D. Officialis Varmien.

Librum, cui titulus, *Institutiones Iuventutis in vera solidaq; erga DEum Pietate &c.* ab Admodum Reverendo Patre Joanne Drews Societatis JESU, S. Theol. Doctore, concinnatum, vidi, legi, eundemq; non tantùm Juventuti, sed omni etiam ætati & conditioni hominum, accommodum & summè utilem futurum, existimo: dignumq; censeo, qui publicam lucem videat. In quorum fidem præsentes manu propria subscriptas, sigillo Officij mei communiri/ feci. Datum ad Ecclesiam Cathedralem Varmiensem, Die 2. Julij. Aõ 1704.

IOANNES GEORGIUS KUNIGK

U. I. D. Cantor, Vicarius & Officialis Generalis Varmiensis, Pultoviensis Canonicus &c.

mppa.

INSTITUTIONUM JUVENTUTIS.
PARS I.
INSTITUTIONES
IN VERA SOLIDAQUE
erga DEUM Pietate.
PROOEMIUM
De præstantia, Utilitate, ac Necessitate Pietatis,

OMni hominum ætati & conditioni incumbere ſedulum Pietatis ſtudium erga DEum: communis docet gentium omnium ſenſus & uſus. *Omnes Religione moventur, & deos patrios, quos à majoribus acceperunt, colendos ſibi diligenter, & retinendos arbitrantur* :teſtatur Romanæ eloquentiæ Princeps ac Parens. Orat: in Verr. *Religione vita conſtat:* atteſtatur Plinius lib. 14 hiſt. nat: *Hac enim conditione gignimur* ; addit Lactantius lib. 4.c.28 *ut generanti nos DEO juſta & debita obſequia præbeamus*. Nã ſi cultũ & obſequia debemus parentibus, à quibus, non ſine DEo, corpora terrea innumeris obnoxia incommodis & ærumnis accepimus: quantò magis colamus, oportet, DEum; qui & corporum noſtrorum præcipuus, & animarum unicus auctor eſt; qui & vitam & omnia ſubſidia atq; ornamenta vitæ nobis largitus eſt? Nihilominus plurimi ita vivunt; acſi DEus inane nomen eſſet; acſi nihil haberent á DEo, nihil deberent DEo. Ignorant nimirum, vel non reco-

lunt: nihil esse præstantius, nihil utilius, nihil necessarium magis, inter omnia hominis negotia verâ solidâq; erga DEum Pietate.

1 Pietas virtutum mater & Corona.

Splendorem hujus virtutis admirati gentiles æqué ac Christiani Sapientes, suspexerunt eam semper ut moralium virtutum omnium principem ac matrem. Divini Platonis in Epinom: oraculũ est: *Majorē Virtutē Religione Pietateq; in DEum, nullam in humano genere reperiri, quisq; sibi persvadeat*. Suffragatur disertissimus Philo lib. de decal. extollitq; eam ut Principium, ducem, atq; pulcherrimam virtutum cæterarum. *Principium*, inquit, *rerum omnium optimum DEus est: sicut virtutum Pietas*, Et lib. de pœnis & præm. *Sunt quidem virtutes omnes virgines: sed harum choros ductat pulcherrima, cum Iustitia conjuncta Pietas.* Pulcherrima, & pulcherrimos faciens. Mellitus Mediolanensium Præsul Ambrosius in Psal. 118 celebrat eam, ut *Fundamentum*; Isidorus Pelusiota lib. 4. ep. 2. ut pretiosissimam *virtutum omnium* (*adeoq; hominum ipsorum*) *Coronam*: cùm sine illa nec ulla, nec omnes collectæ, omnibus numeris sint absolutæ,

2. Sine Pietate nulla Virtus perfecta.

Excellat enim quispiam corporis animiq; robore, præstet naturali & acquisitâ Prudentiâ, clareat humanis divinisq; Scientijs, infracto sit animo in adversis, frugalis in victu, continens in cupiditatum æstu, nemini infe-

rat

rat injuriam, propria liberali ſpargat manu; verbo, ſit unum vivum præſtantiſſimarum virtutum compendium: Si remiſſus ſit in Pietate, ſeu cultu divino; omnes ejus dotes gemmæ ſunt impolitæ & cæcæ; lunulæ ſunt ſole carentes, triſti ſqualentes ecclipſi; vix aliquam ſupra brutorum dotes merebuntur æſtimationem. Quæ enim eſt Prudentia: in cæteris quidẽ eſſe ſagacẽ; negotia ſcholaſtica, œconomica, & politica tractare ſtrenuè & ingeniosè: cæcutire autem in ijs, quæ DEi ſunt, & negligere obſequia debita Domino ſuo ſupremo, & Patri primo? Quæ fortitudo; infractum eſſe in periculis, & hoſtium inſultibus; ſuccumbere autem vitiorum ignaviſſimo, accediæ? Quæ Temperantia; ſanitatis corporalis gratiâ victu uti frugali; & per DEi offenſas mortem ſibi accelerare temporalem & æternam? Quæ Liberalitas; profuſum eſſe in homines, erga DEum autem ſordidè tenacem? Quæ Juſtitia; reddere cuiq; civium, quæ ſua ſunt, & Cæſari, quæ Cæſaris; ſubtrahere autem DEo, quæ DEi ſunt; à quo & vitam, & omnia commoda habemus vitæ, temporalis & æternæ? Videtis, quàm exigui pretij ſunt virtutes reliquæ ſine Pietate? quomodo vaneſcit earum gloria, niſi coronentur Pietate?

Non eſt hoc Aſcetarum duntaxat, ſeu eremi cultorum, vel ſubtilium Theologorum commentum; ſed gentilis etiam philoſophiæ dogma ſacerrimum. Accipite ethnici Cæſaris, Cæſare dignos hac ſuper re ſenſus. M.

 Aurelius

Aurelius Imp. cui vitæ integritas Romanum Imperium, non vulgaris eruditio Philoſophi cognomentum comparavit, cùm accepiſſet: Siciliæ regem, ſibi à juventute familiariſſimum commilitonem, cæteris quidem regijs dotibꝰ florere; in cultu tamen deorum eſſe remiſſiorem: auream, & eminentiſſimâ philoſophiâ, imò Theologiâ, inſtructam dedit epiſtolam; quam in accuratiſſimo ſuo Principum Horologio, lib. 1. c. 17. & 18. exhibet Guevara, optaremq; totam legi meditatè. Poſt benevolentiam ſingulari induſtriâ in exordio prolixiore captatam, accedit Imperator ad doctrinam, ſale pauló liberaliore aſperſam. *Summa*, inquit, *quæ de te, vitâq; tuâ relata ſunt à Conſule, hæc fuit. Quod cùm in victu ſobrius, in ſumptu moderatus, erga viduas miſericors, pupillorum pater, erga miniſtros gratus, mitis in delinquentes, conſervandæ pacis ſtudioſus, in ſervandis inducijs fidelis ſis: hoc unum in te reprehenſionem mereatur; quod nimirum ſis in colendis Dijs negligens, ac remiſſus.*

3. *Sine Pietate homines inglorij & vitioſi.*

Oſtendit deinde idem Imperator: hunc unum defectum corrumpere decus & gloriam cæterarum omnium, quantumvis eminentium, virtutum; docetq;: nullos actus noſtros, quãcunq; honeſti & perfecti ſpeciem præferant, perfectos eſſe; imò nec nomen virtutis mereri, quin potiùs vitioſos eſſe; niſi fundentur in ſolida erga Superos pietate. *Ad me*, ait, *quod attinet: ejus, qui Deos ſuos non colit, virtutes omnes*

mnes pro vitijs habendas esse certissimè statuo. Asserti, hujus quod non paucis videri posset paradoxum, planè Theologicam subjungit rationem. EST ENIM IN PHILOSOPHIA DIVINA REGULA HÆC GENERALIS: NON AGENTIS RESPECTU, SED SI DIIS GRATA ACCEPTAQUE SIT, ACTIONI VIRTUTIS NOMEN COMPETERE. Et infra: *Hanc Romani legem habemus, hoc philosophorum omnium axioma est: hìc inter mortales, ex mortalibus nihil esse perfectum: nisi per deos, & in dijs perfectionem assequatur. Cùm enim homines fragiles sint, quid aliud possunt, quàm delinquere?* Dicere voluit: nullos actus humanos verè virtuosos esse, nisi voluntati Divinæ sint conformes, & aliquo modo referantur ad DEum.

Hoc qui non agit, vel segniter agit; quantùmvis cætera omnia præclarè agere videatur, non agit, ut hominem decet; nec apud alios, quàm fœdos assentatores, laudem meretur. Non enim id agit, ad quod à DEo conditus est, & à natura rationali impellitur, adeoq; non agit laudabiliter. Unde Principem Divini cultûs incurium, qualis qualis de cætero sit, probrosissimo tyranni stigmate notat laudatus Imperator Aurelius. *Non est profectò,* inquit ibid. *major tyrannus, nec in alium, tyranni nomen justiùs competit: quàm in principem, aut dynastam, qui adversùs deos suos irreligiosus est.* Qui verò cultui Divino impensiùs deditì cernuntur: quàm illustres, instar primæ magnitudinis siderum, effulgent? In media barbarie suspiciuntur, honorantur, coluntur;

licèt

licèt non purpurâ, ſed lacernulâ tegantur; licèt parciùs à Naturâ vel arte ſint dotati. Æternâ quippe Majeſtatis ſupremæ lege ſtatutum eſt 1. Reg. 2. *Quicunq; honorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Quod cùm non lateret potentiſſimũ glorioſiſſimumq; gentis Hebrææ Regem: maluit veri *Servi DEi* gloriari titulo, quàm quibuſvis alijs principum maximorum; eamq; cenſuit ſupremam felicitatem ſuam, non quòd è fæce paſtorum aſſumptus eſſet ad thronum regalem, non quòd carneam illam turrim proſtraverat, non quòd innumeris maximiſq; victorijs & divitijs inclytus, adoraretur à principibus potentiſſimis: ſed quòd veri DEi obſequijs addictus eſſet. *O Domine, quia ego ſervus tuus! Ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Pſal. 115. Hæc eſt vera, ſolida, ſummaq; gloria mea: quòd me aſſumpſeris in ſervum tuum. Hæc mihi prima, ſumma, & ultima cura erit, in omnibus, ſive privatis negotijs, ſive publicis muneribus; Servire tibi, atq; cultui & obſequio tuo perpetuò intentum eſſe.

5. *Pij ſunt virtutum ſtudioſi.*

Eluceſcit hinc manifeſtè: quàm ſplendida & pretioſa, ut virtutum, ita hominum, Corona ſit, vera erga DEum Pietas, quàmvè ferax *Fructuum Honoris* ſit arbor. Quàm fœcunda quoq; ſit *omnis Honeſtatis mater:* obſcurum non eſt. Qui enim Fidei Chriſtianæ magiſterio didicit, quis ſit, qualis, & quantus, quem Chriſtiani colimus, DEus: facile agnoſcit;

ſcit; quis illi conveniat placeatq; cultus; nimirum honeſtiſſimus, caſtiſſimus, ſanctiſſimꝰ. Exigit talem non ſolùm DEus ipſe Levit: 19. 3. *Sancti eſtote: quia ego ſanctus ſum, Dominus DEus veſter*: verum etiam gentilis Cicero lib: de nat: deor. docens: *Cultum deorum* (multò magis DEi deorum) *eſſe optimum, eundemq́; caſtiſſimum, atq; ſanctiſſimum: ut eos ſemper purâ, integrâ, incorruptâ & mente, & voce venereris.*

Verum igitur veri DEi cultorem oportet inſigni morum honeſtate & omnigeno virtutum cultu ornatum eſſe. Si enim principum terreſtrium obſequijs deliguntur ephebi, & formâ corporis gratioſi, & habitu compti, & moribus culti, & animi dotibus eximij, & quibuslibet vitijs immunes, virtutum autem ornatu inſignes: quantò magis ſic animo comparatos eſſe, neceſſe eſt; qui ſupremæ atq; infinitæ Majeſtatis ſe cultores profitentur, & glorioſa ſervitute ambiunt eidem deſervire? Meritò proinde veræ erga DEum Pietati accomodaverimus, quod apud Eccleſiaſticum initio allegatum, Sapientia Divina prædicat de ſe: *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honeſtatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris & agnitionis, & ſanctæ ſpei &c.*

6. *Pietatis ſumma Vtilitas.*

Ex his, quæ de præſtantia Virtutis hujus dicta ſunt, patet quoq; inſignis ejusdem Utilitas. Si enim virtutes cæteras generat, perficit, coronatq;, faciendo eas DEo gratas & pre-

tiosas: quis non videt, quantum commodorum redundat ex ea in genus humanum? Sed multò plura recensent passim sacri profaniq; Scriptores. Omnia grandi compendio complexus est Apostolus ad Timoth. c. 4. 8. ubi ait: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ.* Multum dixit; sed non nimium: *Ad omnia utilis est.* Ad omnia, sive damna vitanda, vel resarcienda; sive lucra cõparanda, eaq; tam terrestria, quàm cælestia; tam temporalia quàm æterna; ut meritò Trismegistus apud Lactant. lib. 2. c. 15. eam appellarit bonũ *Vnum & solum hominibus*, Philo de nom: mutat: *Possessionem omnium præstantissimam.* Ratio obvia est. Quid enim boni habemus, vel habere possumus, nisi à DEo? At DEus, quãvis etiam in impios effundat thesauros bonitatis suæ, solemq; suum oriri faciat super bonos & malos; constat tamen; eum multò pro-niorem, & imcomparabiliter profusiorem esse in pios; ut notavit etiam Arist: in Rhet: ad Alexand. Illos pascit & saginat ut jumenta & mancipia: istos fovet ut amicos & filios: Illis projicit paleas & siliquas: istos reficit frumentiadipe, & rore cæli, id est, cælestium gratiarum ubertate: quanquam & terrestrium bonorum in ipsos profusum esse; testes locupletissimi sunt Iob, Abraham, Isaac, Iacob, Daniel, & innumeri alij, etiam nostra ætate. *Omnia prospera eveniunt deos colentibus, adversa spernentibus*: sententia est magni Rom. Dictatoris F. Camilli apud Liv. l. 5.

7. *Pietate*

Quodsi quempiam parum urgeret inæstimabilis veræ erga DEum Pietatis Utilitas: advertat, quæso, ad summam ejusdē Necessitatem. Quisquis enim ex animo addictus non est cultui Divino, de hoc fidenter pronunciare licet

1. Brutis omnibus eum esse magis brutum. Nam etiam bruta colunt beneficos in se, lateri eorum adhærent, blandimentis varijs testantur propensum in eos affectum, prompta sunt ad nutum, abstinent á vetitis, serviunt pro viribus &c. Quis verò beneficentior in nos DEo Opt. Max? Nonne constituit ipse nos super omnia opera sua, omniaq; subjecit pedibus nostris? Nonne ipse & pater, & mater, & omnia nobis est? Quot modis non sua tantùm, sed se dedit nobis? Hunc igitur negligere, terga ei vertere, imò impudenter gravibus offensis impetere: estne humanum, & non potiùs stupor plus quàm brutalis?

2. Asseverare licet: hominem hujusmodi, cujuscunq; sit conditionis, quamcunq; præferat probi speciem; innumeris, ijsq; enormibus scatere vitijs. Asserti hujus veritatem, ex sacris Literis, & communi proborum sensu certam, agnovit etiam gentilis philosophia. Memorabile omnino est, quod purpuratus philosophus, M. Aurelius Imp. in cit: epist: scriptum, & adamante Cæsareo firmatum reliquit. *Nullum* inquit, *flagitium aut facinus tam nefariū est: quod non perpetret, cui deorum reverentia periit.* Unicum enim frænum est, quo effusa in omne

mne nefas hominum pravitas coërceri poteſt, Reverentia & Metus Numinis ſupremi, cui nihil eſſe poteſt occultum. Magiſtratuum humanorum authoritas & poteſtas modis varijs eludi, infringi, & evitari poteſt: Divina minimè. Quiſquis ergo DEi reverentiam metũq; exuit: quid non audebit?

3. Concludere licet: incurium Divini cultûs infeliciſſimum eſſe, etiam in medio exuberantis felicitatis. Omnis enim hominis impij felicitas, fucata, lubrica, vaniſſima eſt; trahitq; poſt ſe ſum̃am, æternamq; infelicitatem & calamitatem. Oculatum ſe offert teſtem Rex propheta: *Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum, ſicut cedros Libani: & tranſivi, & ecce non erat: & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus.* Pſal. 36. Bene, Non eſt inventus in terra; quia perijt, *ſepultus in Inferno*; Luc. 16. ubi experitur accuratiſſimam Divini illius decreti, Apoc. 18 executionem: *Quantum glorificavit ſe, & in delicijs fuit; tantum date ei tormentum & luctum.*

8. *Adoleſcentibus potiſſimùm neceſſaria Pietas.*

Cæterùm quamvis omni hominum ætati & conditioni inprìmis neceſſaria ſit vera ſolidaq; erga DEum Opt. Max: Pietas; at Adoleſcentibus quàm maximè. Tenaciſſimæ enim ſunt hujusmodi teſtæ eorum (ſive bona, ſive mala ſint) quibus primùm imbuuntur: nec ulli errores periculoſiores ſunt, quàm adoleſcentum. Ducunt enim in longam denſiſſimamq; ſylvam, atq; inextricabiles vitiorum Labyrinthos. Ex

impio

impio Iuvene quis ſperet virum, aut ſenem pium: cùm juxta Oraculum Divinum, Prov: 22. verſ. 6. *Adoleſcens juxta viam ſuam etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Quodſi non rarò *Angelicus juvenis ſenibus ſatanisat in annis* quid fiet de illo qui jam teneris ſataniſat in annis, DEi contemptor, vel negligens, aut fucatus ipſius cultor?

Ad infelicem hunc ſtatum ne delabatur Iuventus: Auſpice DEo, præſentes illi concinnandas duxi Inſtitutiones; quibus ad veram ſolidamq́; erga DEum Pietatem ducatur, atq́; in ea firmetur. Dum autem veram ſolidamq́; commendo Pietatem; non eam intelligo, cui ſatis eſt multas ad DEum deproperare preces, depoſita ſolicitudine de Peccatorum fuga & virtutum ſolidarum exercitio: ſed eam volo Pietatem, quæ in vera vivaq́; Fide fundata, in id potiſſimùm eſt intenta; ne offendatur DEus, ſed ejus mandatis & placitis, quàm accuratiſſimè fieri poteſt, fiat ſatis. Quis enim eſt cultus principis aut patris: ſi in neceſſitatibus equidem tuis recurras ad ipſum ſupplex, genua curves, panegyrim texas; ſed mandata ejus flocci pendas, cum hoſtibus colludas, & non rarò illum calce, vel pugione impetas? Morigeram proinde atq́; obſequentem Pietatem erga DEum, neceſſe eſt, ut diſcant Adoleſcentes imò cum lacte, vellem, imbiberent infantes: quæ cum ipſis adoleſcat, matureſcat, conſeneſcat, atq; in cælum evolet, poſt actam vitam homine ac DEo dignam.

Hæc

Hæc eſt ſumma voti, hic ſcopus modici laboris mei in hac prima Parte. Qui ut, quem intendo, ferat fructum: ſtylo utor plano & familiari. Malo enim, ut me non laudent Rhetores, quàm non intelligant Adoleſcentes. Ne mentes onerarem teneras copiâ & mole præceptorum: totam Inſtitutionem ad 4. duntaxat revocavi Capita.

Nimirum ut juniores primum, præcipuum & conſtans in id conferant ſtudium: quò plenius Cognoſcant DEum. Cognoſcant ſe ipſos, Fugiant offenſas DEi, ſeu, peccata, & ſolidarum Virtutum exercitio colant Numen ſupremum. In his fundatur tota & Philoſophia & Pietas Chriſtiana, adeòq; & ſalus hominis æterna. His qui non ſtudet, in vanum vivit; à vera, ſolidaq; Pietate alienus eſt: quàmvis plenis buccis Pietiſmum crepet.

MAGNE DEUS, A TE PRINCIPIVM: TIBI DESINET.

INSTITUTIO I.

NOSCE DEUM.

MIraberis, FLORIMUNDE (hoc te florido nomine compello, Adoleſcens Lectiſſime; quia te florentem ætate, & eximijs naturæ dotibus, immarceſcibili flore floridum volo in mundo utroq;, cæleſti & terreſtri) miraberis, inquam: Tibi, pijs nato parentibus, nec minus dogmatibus Chriſtianis, quàm liberalibus diſciplinis ſolicitè imbuto, ante omnia, & impenſiſſimè commendari Cognitionẽ Veri DEI, quem in literarijs Chriſtianorum ludis, etiam balbutientes abecedarij non ignorant. Mirari facile deſines, ubi intellexeris: DEum rẽ eſſe, quam nemo Sapientiſſimorũ unquã ſatis cognovit. Deinde, volenti piam agere vitam non ſufficit quæcunq; veri DEi cognitio, v. g. qualem paſſim habent homines de Imperatore Turcarum, vel Sinarum, aut Magno Han Tartarorum; quòd ſcilicet ſint, & potentiſſimi principes ſint; ſed multò plenior requiritur notitia de admirandis ejꝰ excellentijs, & ſũmo in res omnes creatas imperio. *De DEO optimè exiſtimare, Pietatis eſt exordium:* ait Auguſtinus lib. 1. de lib. arbit. Hinc identidem ingemina-

minabat ipsemet: *O DEUS, semper idem, Noverim Te, Noverim me!* Multa magnaq; de DEo intellexerat, scripseratq;: parum se tamen profecisse in ejus notitia censebat: quia infinitè plura cognoscenda restare, videbat. Habebis igitur & tu competens ingenio & pietati tuæ argumentum; multumq;, mihi crede, proficies, si hoc Alpha & Omega utcunq; capies.

§ I.

Quantum bonum sit Notitia Veri DEI.

UT in futura, quam optamꝰ & speramꝰ, vita, sum̃a totiꝰ boni & beatitudinis nostræ est Visio DEI clara, atq; ut loquitur Apostolꝰ *facie ad faciem*: ita in præsenti totius felicitatis nostræ temporalis, imò & æternæ, fundamentum atq; radix, est certa & infallibilis cognitio Veri DEI: ut meritò dixerit Clemens Alexandr. lib. 7. Stromꝫ: *Res maxima est Cognitio DEI.* Maxima profectò, & ex objecto, & ex commodis, & ex necessitate.

Res maxima *ex objecto* est Cognitio veri DEI. In tota enim rerum cognoscibiliũ officina, quæ amplitudine & varietate est infinita, nihil reperimus tam vastum, tam sublime, tam speciosum, tam omni ex parte perfectum & excellens; ac est DEus verus. Unus hic & solus omnes intellectûs cujusvis creati, & creabilis vires, curiositatem atq; aviditatem, non solùm adæquat, sed infinitè superat. Unus hic dignꝰ est, cujus pleniori cognitioni acquirendæ, vi-

ta

tam omnem & ſtudium impendamus. *Omnis Sapientia hominis in hoc uno eſt; ut DEum cognoſcat & colat*: inquit ſapienter Lactantius lib. 3. Inſtit: c. 30. Et contrà, omnis ſapientia hominum Vanitas eſt, nihil eſt, ſtultitia eſt; ſi cætera omnia comprehendat, DEum verum ignoret. Hac ſcientia deſtitutos veteris philoſophiæ ſectatores & magiſtros, dicit Apoſtolus, Rom. 1. *evanuiſſe in cogitationibus ſuis, obſcuratum fuiſſe inſipiens cor eorum, & ſtultos factos fuiſſe.* Quid enim ſtultius, quàm propria manu, vel malleo artificis, elaborare ſibi deos; aut eos ex hara vel ſylva aſſumere? Quid ſtolidius, quàm tantam deaſtrorum turbam, tam inſulſis ritib9 coluiſſe? Inter tam varias & mirabiles creaturarum ſpecies vixiſſe, & earum, ſuumq; Conditorem non agnoviſſe? Quàm fœda igitur eſt ignorantia: tam magna res eſt, ex objecto ſuo, Cognitio veri DEI.

Si commoda Cognitionis hujus inſpiciamus: cum ipſis nulla comparari poſſunt, quæcunq; ex tota creaturarum congerie percipiuntur. Cæteræ hominum ſcientiæ plus vaniſſimæ curioſitatis, & inflantis vanitatis, quàm ſolidæ veritatis & utilitatis habent: *Hoc ſolum ſalutare eſt homini, Cognitio DEI.* ait Triſmegiſt9 lib. 4. Diſertiùs Sapientia incarnata, Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna: ut cognoſcant Te ſolum verum Deum, & quem miſiſti IESVM Chriſtum.* Eſt enim ea cognitio radix veræ Pietatis, & Regula omnis honeſtatis. Unde Salomon Sap. 15. *Noſſe Te*

consummata Justitia est: & scire justitiam tuam & virtutem tuam, radix immortalitatis.

Deniq; res maxima, etiam ex Necessitate, est Cognitio veri DEi. Ut enim hæc est radix veræ solidæq; probitatis, & omnis felicitatis nostræ, temporalis & æternæ: ita defectus illius est causa summæ improbitatis, damnationis & calamitatis æternæ: idq; non tantùm, si DEum prorsus ignores; sed etiam si aliquatenus de illo non rectè sentias. Nam, ut sapienter dixit Augustinus c. 10. C. D. *Malè vivitur, si de DEO non benè creditur.* Quod etiam ethnicum pòëtā (Silium) non latuit, lib. 4. ingemiscentem:

Heu! prima scelerum causa mortalibus ægris,
Naturam nescire Deûm,

Postquam enim homines, quales voluerunt, sibi procuderunt, vel assumpserunt, deos: præcipites ruerunt in omne nefas; etiam illi, qui Sapientûm titulo distendebantur; ut non solùm Sardanapali & Heliogabali, similesq; ex adipe & luto concreti porci, luxu & libidine dissolverentur; verùm & justi Socrates, & divini Platones eâ lorderent.

Meritò proinde, Ierem. 9. monet DEus: *Non glorietur Sapiens in sapientia sua, nec glorietur dives in divitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, Scire, & Nosse me, quia ego sum, Dominus*; in quo & à quo est omnis vera sapientia, fortitudo, divitiæ, & gloria, terrestris & cælestis, temporalis & æterna. Hæc scientia thesaurus est omnibus mundi opibus pretiosior; hæc vera sapien-

tia

tia est, omni veterum philosophia longè eminentior; hæc gloria est rationalis creaturæ propria & maxima; modò animum adjiciat ad eũ dignè colendum, quem agnoscit ut verum & solum DEUM.

Benedictus DEus, qui novissimis hisce temporibus, nos vocavit in admirabile lumen suum, & pleniùs aspersit luce divini vultus sui! Vix patrem & matrem, & jam Conditorem nostrum, & omnium, agnövimus. Inter gerularũ cantilenas, supplices vero DEo preces fundere, lunatisq; geniculis Numen supremum venerari didicimus. Cum ipsis literarum elementis mysteria Divinitatis, à sæculo abscondita, accepimus: jamq; plus scit de arcanis divinis puer abecedarius, quàm olim decrepitus philosophus. Vide homo fidelis, quanto munere sis Creatori tuo obligatus: & quem agnoscis; viribus totis, omniq; vitâ, glorifica DEum.

§ 2

Curandum: ut altissimos de DEO concipias sensus

Nõn qualibet DEi cognitione te contentum esse volo, Florimunde: sed ut ad eximiam enitaris, author tibi sum. Ut enim non quævis stella ad noctem illuminandam: ita non quævis DEi notitia sufficit, ad dissipandas ignorantiæ nostræ tenebras, & excitandum torporem nostrum in cultu divino. Non paucis, etiam Christianis, tam tenuis est cogniti9 DEi: ut cũ

Athenienſibus Ignotum colere videantur, vix noſcentes ſignificatum vocabuli, DEUS. Quòd multi tam incurij ſint divini cultûs, tamq; propudioſam agant vitam: quid, quæſo, cauſæ eſt; niſi, quod non, ut par eſt, apprehendant; quàm amabilis, pariterq; terribilis, ſit DEUS? Frequentibus, ardentibuſq; ſuſpirijs ingemiſcebat in cælum Sanctus IGNATIUS de Lojola: *O DEus! O ſi Te homines noſſent* (nimirum cognitione viva & accurata) tam prompti ad peccandum, tam difficiles ad pœnitendū; tam frigidi ad amandum, tam ſegnes ad colendum; non eſſent. Urgemur naturalibus diviniſq; præceptis, ad DEum timendum præ omnibus, & diligendum ſuper omnia: at nimis imperfectum eſſe oportet tam Amorem, quàm Timorem, ſi tenuis nobis fuerit notitia Bonitatis & Majeſtatis divinæ. Plerumq; enim menſura affectuum voluntatis, ſunt cognitiones intellectûs. Ut ignoti nulla eſt cupido: ita parū noti parva eſſe ſolet. Curandum proinde: ut non minora capias in ſupremi Numinis notitia, quàm in literarū ſtudijs, incrementa. Turpe eſt, Chriſtianum adoleſcentem peritiorem eſſe fabellarum pòeticarum, quàm dogmatum Chriſtianorum, de perfectionibus & myſterijs revelatis DEi Opt. Max.

Non tamen volo, Florimunde; ut ante tempus irrumpas in ſubſellia Theologorum, & curioſꝰ ſcruteris arcana divinitatis, atq; abyſſū judiciorum divinorum, identidem diſquirendo;

Cur

Cur vel *Quomodo*? Cur DEus sic dispoſuit, vel diſponit? Quo modo Ipſe talis eſſe poteſt? Cur hoc illudve fecit? Quid in futurum faciet? *Animi enim morbus eſt, malè & ſuperfluè de DEo quærere:* inquit M. Baſilius. Et Tacitus in Germ. *Sanctius, ac reverentius eſt, de actis deorum credere, quam ſcire.* Defricandus proinde multo ſale lingvæ pruritus; nec comittendum, ut ingenium ultra ætatis, & literariæ profeſſionis fines proſiliat. Nihilominus commendo tibi impensiùs: ut altiſſimos de DEo ſenſus concipias, quantum ætas & ingenij tui capacitas patitur; eosq; per frequens exercitium menti imprimas profundiſſimè; ut tecum, ſeminum inſtar, creſcant, matureſcant, & grandibus aucti incrementis, conſeneſcant.

PETES 1. Quid eſt, Altiſſimos de Deo ſenſ9 habere? R. eſt: ſine comparatione, meli9, & ſublimius de DEo ſentire,; quàm de quacunq; re, aut perſona alia, quæ fuit, eſt, erit, & poſſibilis eſt: ut pro certiſſimo teneas; DEo nihil eſſe, aut eſſe poſſe, ſimile vel æquale (nedum melius & perfectius) eumq; infinitè perfectiorem eſſe, quàm ullus intellectus, etiam Angelicus, cogitare, ſeu concipere poſſit. Proinde quidquid tibi occurrerit per viſum, auditum, & quemvis alium ſenſum, vel intellectum, ſublime, magnum, jucundum, ſpecioſum, commodum, pretioſum; id totum infra pedes, ut ita dicam, Majeſtatis illius ſine hæſitatione abjicias, eamq; attollas æſtimatione

incomparabili super omnes & omnia. Inter omnia, & super omnia, regnet in mente & corde tuo DEus; omnia ossa tua, non tantùm lingva, dicant cum sacro Psalte: *Domine quis similis tibi?* Psal 34. 10. *Non est similis tui in dijs Domine: & non est secundùm opera tua. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es solus DEus.* Psal. 85.

Deniq; æstimatio, de DEo concipienda, eò ascendat: ut solo hoc audito vocabulo, DEus, vel cùm à te ipso est enunciandũ: illico menti tuæ obverseetur *Summum quiddam in omni genere boni*; seu Spiritus naturæ excellentiâ sublimissimus, perfectionum copiâ & præstantiâ infinitus, substantiæ diffusione immensus, Majestatis splendore gloriosissimus, cui omnis debetùr amor & honor. Vel recurrat menti tuæ DEus, ut omnium Creator ac Dominus Supremus, Optimus, Maximus, cujus opus & mancipium es tu, & omnes reges terræ, cæliq; principes. Talibus sensibus abundavit Rex Psalmographus, præsertim quando contestatus est Psal. 72. 26. *DEus cordis mei, & pars mea DEus in æternum?* Et Apostolus Thomas, quando latere Christi tacto, exclamavit; *Dominus meus, & DEus meus!* Et S. Franciscus Seraphicus. Ingeminare solitꝰ, *DEus meus & omnia!* Breve verbum DEus; sed significatum ejus immensum est, & infinitum.

PETES 11. Quis sit Fructꝰ hujꝰ exercitij? ℞. Esse multiplicẽ, & admodum pretiosum. Qui enim illi assveverit: 1. In tentationibus & ocasionibꝰ

omnibus graviter peccandi, ubi adverterit; talem actum esse contra DEum, seu offensam gravem DEi; non facile præsumet, tantam violare Majestatem: quin potiùs cùm castissimo adolescente Iosepho, Gen. 39 reponet: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in DEum meum?* Committat hoc nefas, qui nescit; quis, & quantus sit DEus. 2. Accedendo ad orationem, facile componetur ad modestiam, attentionem, & reverentiam; utpote non ignarus, cum Quanto sibi sit futurum colloquium. 3. Promptus erit ad ejus obsequia, timorem & amorem; cujus perspectissimam habet Bonitatem & Majestatem summam. 4. Insignem experietur facilitatem in eliciendá contritione perfecta, ob offensum à se talem tantumq; DEUM.

Non dubito, Florimunde; placere tibi præclarissimum hoc & fructuosissimum studium, concipiendi, & fovendi, altissimos de DEo sensus; adeòq; æstimandi eum solidè & practicè super omnia. Cæterùm desiderari à te, existimo, informationem practicam: quomodo etiam ab ijs, qui sublimioribus disciplinis eruditi non sunt, concipi possint hujusmodi sensus? Non involvam te subtilitatibus Theologicis, nec obruam flumine speciosorum verborum. Paucis id negotij expediam: tu cælitus lumen & auxilium implora. Nisi enim inde illuminemur: talpæ sunt mentes nostræ in cognoscendis Divinis, quæ in cognitione naturalium oppidò caligant,

§ 3

Quomodo facile concipi possit Æstimatio DEi super omnia.

INprimis sciendū: *Quid DEus non sit.* Non est autē materiale quiddam seu corporeū, quantumcunq; hoc subtile ac sublime, intelligatur. Non est DEus noster, vel aura quædam serenissima, vel ignis, aut sol quidam, optato lumine mundū recreans, & amico calore omnia fovens; non est, quidquid sensu percipi potest. Nimis vilia, & remota sunt hæc à sublimitate & Majestate Numinis illius, quod est Principiū totiꝰ boni, & nutu suo cūcta gubernat.

Unde dum in Scripturis divinis subinde DEus dicitur Lux, Ignis, vel aliud hujusmodi: non sunt hæc accipienda secundùm proprietatem vocum, sed per analogiam & translationem tropicam; propter quandam similitudinem intervenientem inter DEum & lucem, seu ignem &c. Similiter dum ibidem DEo tribuuntur, caput, oculi, cor, manus, pedes & alia membra humana; nihil humani cogites, nihil suspiceris corporeum. Non constat talibus membris DEus; sed nobis, quibus nihil est in intellectu, quod non priùs fuit in sensu, desunt conceptus & verba, quibus propriè exprimamus ineffabilem & incomprehensibilem illam substantiam, atq; vim & modum agendi illius proprium. Ideoq; & nos loquendo de DEo, & DEus loquendo nobiscum, utimur humano loquendi modo: & verba quidē adhi-

adhibemus, humana membra & humanos actꝰ sonantia, mente autem sublimius quiddam & toto cælo diversum subintelligimus: prout vel ethnicus, pridem monuit (Æschylus apud Clem: Alex. lib. 5. strom:)

Secerne semper DEum à mortalibus
Nec ex carne ipsum tu tibi parem puta.

Secundò; removendæ sunt à DEo quævis vel minimæ labeculæ, defectus, & imperfectiones. Sol est sine macula, fons illimis, serenum sine nube, perfectio absq; omni prorsus imperfectione, sive physica, sive morali. Cùm enim DEus sit summum Bonum, quo melius esse, vel concipi, non potest: nihil illi deesse potest perfectionis; sed totus sit, oportet, purissimũ bonum, perfectio summa & omnis. Actus quoq; ipsius omnes & singulos, necesse est, esse merissimam perfectionem: aliàs enim redundaret in authorem, si quid in ipsis esset vitij, vel defectꝰ. Hinc Patres solent perfectiones DEo & hominibus communes, quatenus DEo conveniunt, exprimere cum addita negatione. v. g. DEus est substantiâ sine accidente, magnus sine quantitate, bonus sine qualitate, pulcher sine figura, antiqvus sine tempore, extensus sine loco, & termino &c. Non est obnoxia Sanctitas ipsius peccato, substantia mutabilitati, ætas senio, vita mortalitati, beatitudo fini. Quidquid est, sine nævo est; purissima puritas, perfectissima perfectio.

PETES: Quomodo igitur in sacris Lite-

ris DEus dicitur doluisse, gavisus esse, descendisse, iratus fuisse, pœnitudine ductus esse &c. qui motus apud nos imperfectionem important? ℟: Humana phrasis est; non exprimens modum agendi divinum, sed significans causam DEo datam, id agendi per exteriora signa, quod homines solent dolentes, pœnitentiâ ducti, irati, vel gaudentes &c. Non enim affectibus recenter subortis movetur DEus, ut homines; nec passionibus inardescit, nec nova concipit formatq; decreta: sed perpetua fruitur pace, tranquillitate atq; beatitudine, fortiter simul suaviterq; exequens in tempore, quæ sapientissimâ providentiâ disposuerat ab æterno.

Tertiò: Non curiosè inquirendum, sed humiliter discendum: Quid sit DEus? seu potiùs Quis sit? Laborant in ipso definiendo Theologi: sudarunt, & plerumq; errarunt, in ejus descriptione veteres philosophi: è quorum numero cautior Simonides, cùm ab Hierone rege rogaretur; ut, quid, vel qualis sit, DEus, doceret: diem ad deliberandum postulavit. Quo elapso, Cùm idem quæreret Hiero: dies duos petijt Simonides; & rursus triduum, & sic deinceps. Miranti Hieroni respondit: Quia quantò diutiùs considero, tantò minus intelligo. Faciliùs est dicere: quid non sit DEus, quàm quid sit. Nobis hoc in puncto faventiorem se se exhibuit increata Majestas: quandoquidem se nobis apertiùs detexit, primùm per Moysen & Prophetas alios; novissimè & pleniùs per Verbum

suũ

ſuum incarnatum, & Apoſtolos ipſius: ex quorum infallibili doctrina (*cui enim magis de DEo, quàm DEo credam?* inquit Ambroſius lib. 4. ep. 31) hæc compendio formari poteſt deſcriptio DEi.

DEUS eſt Spiritus ſublimiſſimus, puriſſimꝰ, Optimus, maximus, ſapientiſſimus, potentiſſimus, ſanctiſſimus, pulcherrimus, æternus, infinitus, immenſus, benigniſſimus, ſuaviſſimus, miſericordiſſimus & juſtiſſimus, omnibus intimè præſens, omnia producens verbo virtutis ſuæ, omnia conſervans virtute potentiæ ſuæ, omnia gubernans arbitrio ſapientiæ ſuæ, omnia complectens ulnis charitatis ſuæ; ſibi ſufficientiſſimus, glorioſiſſimus, beatiſſimus, ex quo omnia, per quem omnia, propter quem omnia. Ipſi amor & honor ſuper omnia.

Paulò prolixius ſic deſcribi poteſt. DEus eſt Spiritus puriſſimus, omnis expers materiæ & compoſitionis; ſibi ſufficientiſſimus, ad eſſe, & beatè eſſe; à quo omnia, ipſe à nemine; ſine quo nihil, ipſe omnia; quo indigent omnia, ipſe nullo. Eſt Spiritus Eminentiſſimus, infinitè tranſcendens omnia, naturæ excellentiâ, dominij amplitudine, & Majeſtatis gloriâ. Ita Unꝰ, ut alterum nullatenus admittat; Triade tamen Perſonarum, Patris, Filij, & Spiritus S. in unitate ejuſdem naturæ gaudeat. Eſt Spiritus Pulcherrimus, quem vel momento vidiſſe, ſumma voluptas & beatitudo eſt: Sapientiſſimus, quem nulla veritas latere, nulla fraus circumvenire

Sanctiſſimus, qui cùm omnia poſſit, peccare non poteſt; Potentiſſimus, qui quæcunq; voluit fecit, facitq; in cælo, & in terra, nec eſt, qui ejus reſiſtere poſſit voluntati; Opulentiſſimus, quia ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; Liberaliſſimus, dans pro pomo regnum, pro calice aquæ frigidæ torrentem voluptatis cæleſtis; Clementiſſimus, cui proprium eſt, miſereri ſemper, & parcere, atq; pro uno *Peccavi*! remittere offenſas infinitas; Miſericordiſſimus, cujus miſerationes ſuper omnia opera ejus, planè pater miſericordiarum, & DEus totius conſolationis;

Spiritꝰ eſt Gratioſiſſimꝰ, qui ſolem ſuū oriri facit ſuper bonos & malos: ſed & Iuſtiſſimꝰ, reddens unicuiq; ſecundùm opera ſua; Severiſſimus in impœnitentes, viſitans iniquitatem patrum in filios, & cùm corpus occiderit, mittens animas in gehennam ignis æterni; Terribilis in conſilijs ſuper filios hominum, qui auſert ſpiritum principum, & tanquam vas figuli confringit eos; Magnificentiſſimus, cui aſſiſtunt cæleſtium principum mille millia, & miniſtrant decies millies centena millia; Glorioſiſſimus, cujus gloriam enarrant cæli, & Gloriâ Domini plenum eſt opus ejus. Spiritus eſt Æternus, ſine initio & fine, vivens & regnans ab æterno in æternum; Immenſus, per orbem univerſum diffuſus & ultra, in quo vivimus movemur, & ſumus; Infinitus in Natura & omni genere perfectionum infinitarum; Optimus,

mus, & Amabilissimus, cui omne genus boni defæcatissimi essentiale est; Maximus, cujus magnitudinis non est finis, Quis ut DEus? Primus, quia rerum omnium principium est primum; Novissimus, quia Finis ultimus, ad quem tendere, & ad cujus gloriam referri debent universa. Deniq; Spiritus est omni lingvâ Ineffabilis, omniq; creato & creabili intellectu Incomprehensibilis. Hic est DEus noster, & non est similis illi!

Magnus profectò Dominus, & laudabilis nimis; & magnitudinis ejus non est finis! Psal. 19. Magna opera Domini: sed *Ipse Omnipotens super omnia opera sua Quis videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum, sicut est ab initio? Multa abscondita sunt, majora his.* Eccl. 43.

Sufficiunt quidē proximè tacta decora Divinitatis, ad concipiendam summam de DEo æstimationem; & ad præferendum ipsum practicè & infinitè super omnia bona creata & creabilia non solùm sigillatim, sed etiam simul sumpta: ut tamen firmius menti & cordi nostro insideat ea æstimatio; subjicio, & declaro, particulares quosdam de DEo sensus valde sublimes. Quos si perceperis, Florimunde: magnificabis & glorificabis DEum totis viribus mentis & cordis super omnia. Si non perceperis plenè: nihilominus, quantum poteris, magnificabis & glorificabis ipsum; quòd sit longè, imò infinitè major, quàm ut eum mens nostra assequi possit. Audi Sapientem Spiritu DEi ple-

num

num: Eccli. 43. *Glorificantes Dominum, quantumcunq; potueritis, supervalebit adhuc, & admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis: major enim est omni laude. Exaltantes eum, replemini virtute: ne laboretis; non enim comprehendetis.* Id ergo semper observabis: ut, quidquid audieris, legeris, cognoveris de DEo; incomparabiliter minus esse, judices; quã quod trimulus infans intelligit de rebus politicis, philosophicis, aut Theologicis. Fide igitur verâ & plenâ supplendus scientiæ defectus.

§ 4

Declarantur sublimiores quidam de DEo sensus.

1. DEUS est is, QUI EST. Hoc nomine Ipsemet se expressit Exod. 3. Roganti enim Moysi, quod esset nomen ejus? respondit: Ego sum qui sum. Sic dices filijs Israel: Qui Est, misit me ad vos. Nimirum DEus solus est is, cui ex natura & essentia sua competit Esse, seu existere; & quidem esse A se ipsô, esse semper, immutabiliter, plenissimè, ac beatissimè, ita; ut nihil illi desit perfectionis, felicitatis, voluptatis, & beatitudinis, etiamsi solus existat; quemadmodum ante mundum conditum solus extitit ab æterno. Reliquarum rerum omnium proprium est, non esse. Non enim vi naturæ suæ existunt, sed contingenter, ex placito & gratia Conditoris DEi, vocantis ipsas ex abysso nihili sui, & verbo virtutis suæ dantis eis esse, ita; ut ubi ipsi placuerit, iterum recident

in

in originale nihil ſuũ. Deinde, ut ſapienter advertit Plato in Theæteto; quælibet res creata, etiam dum exiſtit, plus habet de *Non eſſe*, quàm eſſe. v. g. Homo exiſtens habet quidem eſſe Animalis rationalis. & operationes huic naturæ congruas: ſed ſimul congenitum habet non eſſe cæli, angeli, ſolis, equi, aquilæ, & aliarum rerum infinitarum. Non enim eſt angelus, ſol, eqvus &c. Ac proinde eſſe ipſius eſt finitum & valde limitatum: non eſſe autem ipſius eſt omnino infinitum: quia infinitarum rerum perfectionibus caret. Quodſi autem comparetur cum *Eſſe* Divino; planè nihil eſt non ſolùm quivis homo, ſed omnes ſimul. Nam Iſa. 40. 15. *Omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo: & quaſi nihilum & inane reputata ſunt.*

Deniq; eſſe hominis tam exiguum eſt; ut momento unico minus ſit. Nam quodvis temporis momentum dividunt Peripatetici in partes infinitas; alij in innumerabiles: & ſi dividamus illud in partes ſolùm duas; in prima tantùm earum verum erit dicere, *Petrus eſt*; in altera jam non poterit dici eſſe, ſed futurus eſſe: ubi verò elapſa parte priore illius momenti, præſens fuerit Petrus ſecundæ; jam reſpectu prioris non poterit dici eſſe, ſed fuiſſe. Tam exiguum eſt noſtrum *Eſſe*. Meritò Pſalmographus: *Homo vanitati ſimilis factus eſt*. Pſal. 143. 4. Quid ergo inflaris; & quid magnum te eſſe putas, imò jactas, ô vaniſſima vanitas?

II. DEUS eſt ENS ENTIUM. Ita enim fertur

tur appellasse, & moriendo invocasse, Aristoteles. Bene autem dicitur Ens entium; quia, ut inquit S. Bernardus lib. 5. de Consid. est *suum ipsius, & omnium aliarum reum Esse*. Omnia enim quæ sunt, & esse posunt; quod sint, & esse possint, ab hoc primo & summo Ente habent: cujus infinita Essentia est radix & fons, unde progerminat, & promanat, quidquid esse potest. Ipsius Omnipotentia est causa Prima & principalis, quæ velut brachio potenti eduxit ex abysso nihili, quidquid in mundo extitit. Ipsius Sapientia Idea est rerum omnium producendarum. Ipsius Bonitas applicat Omnipotentiam; ut has illasve creaturas producat, foveat, & conservet, relictis alijs in massa possibilitatis. Et hi sunt tres digiti, quibus Isa. 40. 12. dicitur DEus *appendisse molem terræ, & librasse in pondere montes, & colles in statera*. Vide homo: unde habes esse, actuale & possibile, tu, & omnia, quibus uteris & frueris. Cave; ne ingratus, & injurius vivas in Conditorem & Conservatorem tuum atq; omnium: aliàs meliùs tibi fuisset, si natus non fuisses.

III. DEUS EST SUMMUM BONUM. Non solùm enim nihil melius illo est, aut esse potest; sed neq; æquale, vel omnino simile: imò omnis alia, etiam nobilissimarum creaturarum bonitas illi comparata, tam exigua est: ut Incarnatæ Veritatis oraculo Luc. 18. nulla esse videatur: *Nemo bonus, nisi solus DEus*. Nemo, sive hominum, sive Angelorum. Nam 1. Bonitas Divina

vina absolutè infinita est, non solùm infinitas perfectionum species complectens: sed quælibet ejus perfectio in suo genere infinita est: creaturarum autem quarumvis naturalis bonitas admodum limitata est, & angustissimis constricta limitibus. Quantumvis copiosissimis & pretiosissimis ornatam dotibus intelligamus: adhuc infinitè distat à DEo. 2. Bonitas Divina purissima est, nihil omnino imperfectionis admixtum habens vel levissimæ: at creaturarum bonitas infinitis scatet imperfectionibus, noxis, vitijs. 3. DEo essentialis est sua bonitas; nec acquirere ullam potest in tempore, nec amittere per omnem æternitatem: nostra mutatur in momenta, & plerumq; in deterius. Non tam bonitas, quàm malitia moralis nobis naturalis est, juxta illud Gen 6. 5. *Cuncta cogitatio cordis* (humanl) *intenta est ad malum omni tempore.* 4. DEus non solùm assentialiter bonus est, sanctus, sapiens &c. sed ipsa bonitas, sanctitas sapientia, omnipotentia, misericordia, clementia, Justitia, immensitas, æternitas, &c. nos contrà, ipsa nequitia, pravitas, & malitia dici meremur. 5. DEus in omni genere boni est consummatissimus & eminentissimus: est enim Bonum honestissimum, commodissimum, Jucundissimum & summè necessarium: creaturæ si unciam aliquam boni habent in uno genere, in alijs plerumq; vix micam. O DEus! ò purissimum, ô summum Bonum! Quomodo corda nostra non rapiuntur in amorem tuum? Micas, ato-

atomos, umbras boni deperimus: verum, solidum, summum Bonum negligimus, despicimus! Nonne hæc pravitas est malum malorum omnium pessimum?

IV. DEUS est OMNE BONUM. Unus Omnia. Talem se ipsemet declaravit Moysi, Exod. 33. petenti videre gloriam ejus: *Ego ostendam omne bonum tibi*. Talem agnovit & Plato, quando dixit: *DEus est, qui universitatem rerum omnium complectitur*: prædicavit Apostolus, dum ad Rom. 11. scripsit, Ipsum esse, *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*. Est igitur DEus non solùm Summum Bonum, sed etiam Omne bonum, 1. *Radicaliter*: quia Essentia ipsius est prima radix omnis boni creabilis; adeóq; in ipsa continentur omnes creaturæ, ut fructus & folia arboris in radice ejusdem. 2. *Idealiter*: quia in intellectu ejus & Sapientia infinita distinctissimè, & acuratissimè expressæ sunt omnes omninò & singulæ creaturæ existentes & possibiles, relucentq; in illa incomparabiliter clariùs, quàm in se ipsis & quovis tersissimo speculo. 3. *Virtualiter, seu efficienter*: in quantum in ipso virtus est sufficientissima, vel verbulo, aut nutu producendi, quæcunq; possibilia sunt. 4. *Æquivalenter & Eminenter*: in quantum ipsius substantia non solum æquivalet singulis & omnibus bonis creatis & creabilibus, quo ad pulchritudinem, delectabilitatem & omnigenam amabilitatem: sed ea infinitè superat, ita; ut omnem imaginabilem voluptatem, quam nobis adferre possunt

bona

bona quæcunq; creata, possit ipse per se præstare nobis, & quidem infinitè cumulatiùs & perfectiùs. Quid ergo extra te volo, DEus meus & Omnia? *Quid vagaris homuncio,* monet Anselmus, *per multa, quærens bona corpori & animæ tuæ? Quære unum Bonum, in quo est Omne bonum: & sufficit.*

V. DEUS est OMNIA ET NIHIL. Est Omnia, non formaliter, ut ajunt Theologi, seu quo ad substantiam & naturam (non enim DEus est Angelus, vel homo, vel sol, vel ignis &c) sed, ut proximè declaratum, est Omnia radicaliter, idealiter, virtualiter, æquivalenter, & eminenter. Nihil ergo est eorum, quæ materialem hunc mundum constituunt; nihil eorum, quæ imaginatione concipere possumus, nihil eorúm, quæ sensibus nostris blandiuntur: omnem tamen eorum perfectionem modo perfectissimo & eminentissimo continet in se. Declarat hoc egregiè S. Augustinus, quando se ipsum inducit quærentem DEum. Non speciem corporis, inquit, non decus temporis, non candorem lucis, non colorem, non dulcium melodiarũ cantus, & quæcunq; dulce sonantia; non florum & unguentorum vel aromatum odores; non mella vel manna gustui delectabilia; non cætera ad tangendum vel amplexandum amabilia; non omnia alia sensibus his subjecta quæro, cùm DEum meum quæro. Absit, ut ista crediderim DEum meum, quæ etiam à brutorum sensibus comprehenduntur. Et tamen cùm DEum me-

meum quæro; quæro nihilominus quandam lucem super omnem lucem, quam non capit oculus; quandam vocem super omnem vocem, quam non capit auris; quendam odorem super omnẽ odorem quem non capit naris; quendam amplexum super omnem amplexum, quem non capit tactus. Ista Lux fulget, ubi locus non capit; ista Vox sonat, ubi spiritus non rapit; Odor iste redolet, ubi flatus non spargit; Sapor iste sapit, ubi non est edacitas; Amplexus iste tangitur, ubi non divellitur. Hic est DEus meus, & non æstimabitur alius ad illum. Hoc quæro, cùm DEum meum quæro; istud amo cùm DEum meum amo. *Hæc August:*

VI. DEUS EST TOTUS OCULUS. Totus enim Mens est, & quidem *Mens infinita*, etiam juxta Epictetum. Penetrat ergo omnia, videt omnia, omniaq, memori mente recondit, nunquam delenda. Oculus hic non eget solis lumine; sed ipse illuminat omnia. *Oculi domini multò plus lucidiores sunt super solem; circumspientes omnes vias hominum.* Eccli. 23. *Quantascunq; tenebras factis tuis superstruxeris, DEus lumen est:* ait Tertull. de poenit c. 6. Et Cicero l. 3. de Nat. deor. *Obscurum DEo nihil esse potest.* Præclarè Epictetus l. 1 differt: 14. *Cùm igitur fores obduxeritis, & tenebras intus feceritis, ne succurrat dicere:* Soli sumus. *Non enim estis: sed DEus intus est, & Genius vester intus est; quibus quid opus est lumine, ut videant, quid faciatis?* Optimè Augustinus: *Quæres ubi te non videat; & fac, quod vis.* Serm. 46.

de verb. dom.

VII. IMMOTUS OMNIA MOVET. Quò enim movebitur, qui omnia implet essentiali Immensitate? *Quocunq; te flexeris, ibi illum videbis occurentem tibi* (non motu locali, sed præsentia indefectibili) *nihil ab ipso vacat. Opus suum ipse implet DEus*: inquit Seneca l. 4. de benef. c. 8. Nec tantùm implet, sed superimplet. Nam etiam extra mundum universum, est. *Super cœlos gloria ejus* Psal. 112. 4. Igitur immotus Ipse, movet omnia, cælos, sidera, àërem, maria, terras, & omnia quæ in ejs sunt. Movet autem motu duplici: nimirum & motu locali, transferendo illa de loco in locum: & motu operationis; tribuendo agentibus creatis virtutem expeditam agendi, & assidùe agendo cum ipsis omnibus & singulis; juxta illud Ioann. 5. *Pater meus usq; modò operatur, & ego operor.* Et c. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Dicit, *Nihil*; ut intelligamus; sine cooperatione DEi neq; minimum à quacunq; creatura fieri posse. Instrumenta sumus, quæ non nisi ab artifice mota, præstant effectum.

Advertendum verò: Non eodem modo DEū quosvis operari effectus, in creaturis rationalibus & liberis. Dum bene operamur, & actus virtutum exercemus; operatur nobiscum singulari cum animi propensione & exultatione; & ut sic operaremur, induit nos virtute ex altò: id est, selectis supernaturalibus auxilijs nos instruxit. Dum autem malè operamur, peccando; applicat quidem nobis Omnipotentiam su-

am

am, sed operatur nobiscum cum gravi animi reluctantia, seu abhorrentia ab hujusmodi actione. Quam animi molestiam & aversionem luculenter prodidit, valde emphaticis terminis, Isa. 43. 24. exprobrans populo suo: *Servire me fecisti in peccatis tuis; præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Non igitur DEo imputari debet opus tale; sed soli homini, abutenti Omnipotentiâ Divina ad nequitiam suam. Habebunt autem certo certiùs hujusmodi operarij iniquitatis congruam mercedem suam.

VIII. DEI NUTU CUNCTA GERUNTUR. Quidquid fit in orbe universo, sive cælæsti, sive terrestri; sive inter rationales, sive irrationales creaturas: *Non sine Numine fit.* Quoscunq; videris eventus, valde insperatos & mirabiles, prosperos vel adversos; illicò cogita: *Non sine Numine.* Non est DEus noster, ut principes terrestres: qui omnia, aut pleraq; disponunt per ministros suos. Habet & ille splendidissimos ministros, magnos cæli principes, per novem ordines accuratissimè digestos: sed pro sola executione ab ipso ordinatorum, non pro quibusdam negotijs suo arbitrio gerendis. Et agenda, & modum omnem, ordinemq; agendorum præscribit ipse; nec recedunt illi, vel ad pilum, ab eo. *Benenedicite Domino,* invitat David Psal. 102. *omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocē sermonū ejus.* Non venire in partem regiminis; sed observare & facere voluntatem DEI, Angelorum est.

Dispo-

Disponit ergo ipsa Divina Majestas per se de singulis, quantumlibet minutissimis & vilissimis creaturis suis, & de omnibus singulisq; actibus, negotijs, & eventibus, earum. *Nonne duo passeres esse veneunt*, argumentatur Christus Matt. 10. 29. *& unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?* Et Luc. 12. 6. *sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt:* unicus non evelletur, aut excidet, nisi volente & disponente DEo. Permittamus ergo nos & nostra DEo; non accusemus fatum, aut fortunam cœcam; sed dignos nos paternæ, sapientissimæ & æquissimæ, ejus Providentiæ reddamus. In omni eventu dicamus cum illo patientiæ miraculo (Iob. 1.) *Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictũ.*

IX. DEUS noster est DEUS DEORUM, & DOMINUS DOMINANTIUM. Talem prædicavit Moyses Deuter. 10. 17. *Cervicem vestram*, inquit ad Israelitas, *ne induretis amplius. Quia Dominus DEus vester, est DEus deorum, & Dominus dominantium; DEus magnus & potens, & terribilis.* DEUS deorum dicitur, tanquam supremus inter omnes deos; utpote qui non solùm in vulgus hominum, sed etiam in eos, qui deorum quorundam loco habentur & coluntur, potestatem habet, atq; exercet. Quamvis enim non nisi unicus sit, & esse possit, verus DEus: plures sibi tamen formavit humana temeritas, deastros potiùs quàm deos; aurea, argentea, æræa, saxea, & lignea, idola pro diis, stolidissi-

mè venerata. Defertur ſubinde, etiam in Sacris literis, deorum nomen & hominibus, dignitate & publici cujuſdam muneris prærogativâ eminentibus: ut Pſal. 83. *Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes*: & Pſal. 81. *DEUS ſtetit in Sÿnagoga* (ſeu cœtu) *deorum*. Additur autem mox: *In medio autem deos dijudicat*; iniqua eorum acta, & reſpectus humanos excutiendo, arguendo, atq; graviſſimè puniendo. In medio honorum, & fervore cultûs certatim ipſis delati, detrahit ex aris ſuis tam viva hæc, quàm inanimata illa gentilium idola, manib9 pedibus, atq; capite truncat, ut olim Dagon Philiſthæorum deaſtrum; objicitq; ſannis & furori populi. Non eſt conſilium, non eſt poteſtas adverſus hunc Dominum. *Sapiens corde eſt, & fortis robore: quis reſtitit ei, & pacem habuit? Adducit conſiliarios in ſtultum finem, & Iudices in ſtuporem. Balteum regum diſſolvit, & præcingit fune renes eorum* Iob. c. 9. & 12. Tutius omnino eſt, cenſeri inter vernaculos hujus Domini Dominantium; quàm agere purpuratum ejus miniſtrum.

X. DEUS ſolus eſt BEATITUDO NOSTRA. Deſudant, laſſantur, deficiunt filij hominum, quærentes beatitudinem ſuam; alij in divitijs multis; ſed hæ magis curarum amariſſimarum, quàm voluptatis feraces ſunt: alij in honoribus; ſed vani ſunt & infidi, quos defert mundus: alij in ſanitate, & voluptate corporis; ſed fluxa eſt & bruta: alij in ſcientijs ſublimiori-

miorîbus; ſed qui addit ſcientiam, addit & laborem, eumq; voluptate multò majorem: alij in copia liberorum, amicorum, ſubditorum; ſed quò major turba, major ſolicitudo; multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam. Fruſtra ſumus; ſtulto labore conſumimur: Solus Beatitudo noſtra DEus eſt. Solus enim capacitatem cordis noſtri, & deſideriorum copiam magnitudinemq; implere poteſt *Dilata os tuum, & implebo illud*: provocat ipſemet Pſal. 80. 11. Opta, quidquid placet; poſce, quidquid optare potes: implebo, & ſuperimplebo: dabo menſuram confertam, coagitatam & ſuperaffluentem in ſinum tuum. Quid dico menſurã? ſi dilatare potes ſinum cordis tui in infinitum: infinitè implebo illum; & adhuc ſupererit infinities infinitum, quod anguſtiæ tuæ capere non ſufficiunt.

Dum ſubinde, ad diluendas hujus vitæ amaritudines, ex immenſo voluptatis ſuæ pelago guttulam aliquam propinat DEus animabus Sanctis: velut ſideraræ, nec ſe, nec gaudia ſua capiunt. *Satis eſt, Domine, ſatis eſt*: exclamant cum Indiarũ Apoſtolo Franciſco Xaverio. Anguſtiæ lutei hujus vaſculi non capiunt copiam dulcedinis tuæ: aut ipſum diſſolvi oportet; aut claudi cataractas cæleſtes. O qualis & quantus eſt DEus noſter, cujus vel umbra (non enim in hac vita ſe revelata facie videndum præbet) tantum operatur? Beati! Beati! *Beati! qui habitant in domo tua*, Domine, ſpeculato-

res facti Essentiæ, & gloriæ tuæ! *In sæcula sæculorum laudabunt te.* Psal. 83. 5.

Beatitudinis hujus & laudis æternæ ut & nos aliquando participes efficiamur, Florimunde: æstimemus & amemus nunc DEum nostrũ super omnia. Amabis; si æstimaveris, ut par est. Æstimabis; si crebriùs attentè recolueris, quæ præcedente paragrapho de Excellentijs Divinis compendio tradita sunt. Prolixior esse nolui: tum ne te gravarem; tum quia versamur in materia infinita, quę exhauriri & plenè declarari non potest. Rectè Epictetus: Si DEum omnino declararem: vel ego DEus essem; vel ille DEus non esset.

§ 5

Practicè æstimandus DEus super omnia.

Quod mortalium sapientissimus indubitanter affirmavit Eccle. 1. 13. Stultorum infinitum esse numerum; vel inde probatur verissimum: quod innumeri sint, qui non solùm putant, sed sciunt, & firmissimè credunt; DEum esse summo amore & honore dignum, esse præferendum omnibus, exaltandum super omnia &c. in praxi autem postponunt illum vilissimis creaturis, quoties se ad peccatum grave resolvunt. Quæ palpabilis & omnino immanis, est stultitia. Conceptus de DEo habent altissimos; credunt, illum esse summũ, & omne & solùm nos beatificans bonum: nihilominus, dum vel voluptas aliqua sensualis, vel spes lucelli, vel commoditas sumendi de

hoste vindictam proponitur, practicè judicant hic & nunc convenientiorem sibi esse hanc voluptatulam, hoc lucellum, aut vindictam; quàm DEum cum omni gratia & amicitia sua, atq; omnibus cæli bonis & delicijs. Ideoq; adhærent illis, postpositis istis: nihil soliciti de incommodis postea orituris, ex tam prava, & DEo summè injuriosa, electione. Quidquid sit, inquiunt, de cælo & DEo; nunc indulgendum genio, utendum occasione præsente; non irritand⁹ princeps, vel her⁹, amic⁹ aut amica &c Quo quid magis insanum, quid perniciosius cogitari potest

Ne in hanc incidas amentiam, Florimunde; non sufficiat tibi, speculativè æstimare DEum super omnia, judicando; ipsum esse summo amore & honore dignum, esse præferendum super omnia bona creata & creabilia: Sed assvesce, illum practicè æstimare super omnia, & in praxi præferre rebus omnibus. Hoc est dum se offert occasio aliquid agendi, vel omittendi; advertis autem, actionem vel omissionem fore peccaminosam, & cum offensa DEi: assvesce magnanimum hoc & cælo dignum, formare judicium practicum: *Non est tanti hæc res, hæc voluptas, hoc lucrum, hæc gloriola; ut propter illam DEum offendam, & mihi inimicum faciam.* Si blandiatur caro, & ad assensum, solicitet; dic: Non est tanti momentanea voluptas, ut propter illam me privem æternâ & divinâ. Si Satan vel quispiam ejus minister ostendat offeratq; omnia speciosa & pretiosa mundi; dic: Non sunt

terrena tanti, ut propter illa DEi & cœlestiū faciam jacturam; Si ebulliat bilis, & in vindictam exardescas; dic: Pretiosior mihi est DEus, quàm vanus honor meus &c.

Pro hoc formando judicio non est opus multa deliberatione, aut subtili disquisitione: cùm ex suprà dictis, & oraculis divinis jam habeas præcognitum, & firmissima, fide teneas: DEum infinitè præstare omnibus bonis creatis & creabilibus, etiam simul sumptis. Ac proinde in ictu oculi, in momento (quo citiùs, eò melius) formare potes hoc judicium definitivum; & intra te, vel etiam palam, dicere: Non est hæc res, vel persona, tanti ut DEum illi postponam; vel propter illam DEum offendam. Incredibile est, quanta hoc judicandi & agendi modo facillimè evitabis peccata: quantam tibi hac heroica magnanimitate apud DEum conciliabis gratiam & gloriam! *Si separaveris pretiosum à vili; quasi os meum eris* (inquit ipse Ierem. 15.) quod de rebus pronunciat, sicut merentur; respuendo vilia, deligendo & extollendo pretiosa. Nunquam res creatæ apparent viliores, quàm comparatæ DEo: ideoq; nunquam magis merentur rejici, ut stercora; quàm dum solicitant, ut præferantur DEo.

§ 6

Memori mente circumferendus DEus.

REm, vel personam aliquam, non cognovisse, &

& ipsius oblitum esse; paria sunt. Ut ignorantia, ita oblivio tollunt æstimationem, extingvunt amorem, subtrahunt cultum; imò si diuturnior fuerit oblivio, inducit ignorantiam. Unde non raro questus est DEUS per Prophetas, præsertim Ierem. 2. se à populo suo oblivioni traditum esse, & fœdè contemptum. *Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ suæ pectoralis? populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris:* quasi non essem aut speciosior aut pretiosior, aut magis ei necessarius atq; proficuus, quàm sponsæ sertum, aut fascia pectoralis! Ex qua oblivione quanta oriatur impudentia in hominibus, quantus DEi contemptus: testatur ipsemet ibidem v. 27. *Verterunt ad me tergum & non faciem:* quasi non nossent me, Dominum, Patrem, & DEum suum. Proh barbaram rusticitatem, imò grande crimen læsæ tantæ Majestatis!

Ne in hanc barbariem impingas Florimunde: vide; ut memori mente circumferas DEum, frequenter & piè de ipso per diem cogitando. Et quid melius, jucundius, utilius menti nostræ obversari potest: quàm Numen illud supremum, in quo est tota plenitudo omnis boni, quod est fons omnis scientiæ & sapientiæ, in quo relucet splendidissimè, quidquid honestè oblectare potest atq; beare mentem, memoriam & voluntatem nostram, adeoq; totum hominem. Unde David Psalm. 83. *Cor meum & caro mea exultaverunt in DEum vivum*. Et Psal. 76. *Renuit consolari anima mea*, ob multitudinem &

 gravi-

gravitate tribulationis: *Memor fui Dei, & delectatus sum.*

Dices: Frequentem DEi memoriam impossibilem, vel difficilem esse homini, sæcularibus vel literariis negotiis occupato. Resp. Non requiro à te, nec hortor: ut in latebras quasdam te recipias, & prolixæ rerum divinarum contemplationi aliquoties in diem vaces. Scio enim id nec professioni, nec ætati tuæ congruere; quamvis admodum sanctum sit, & quibusdam juventutis principibus fuerit usitatum. Novi te, similiorem Mercurio talaribus instructo, & cervorum hinnulo; quàm testudini & capulari anachoretæ. Author solùm tibi sum; ut præter solitas tuas manè & vespere fundis preces, mentem subinde attollas, ad DEum, & fervens quoddam, licèt breve, suspirium evibres ad illum. Frustra, omnino frustra, prætendis occupationum copiam, aut molem. Accipe quod de Orientalium Indiarum regulo quodam idonei authores tradunt. Erat is specialiter addictus cultui idoli cujusdam, Arangonassa dicti. Hujus non solùm per otium memoriam refricabat; sed, ne inter graviora negotia mente elaberetur, ephebum subornavit; qui identidem auriculam sib vellicaret, moneretq; etiam pro tribunali sedentem: *Memineris, o Rex, Arangonassi*. Absonum putabat: si vel publicæ curæ ita sibi occuparent mentem; ut ex ejus arce exturbaretur vanissimum deastrum: nobis Christianis rarus hospes in mentem veniet, verus DEus? Sed quid Regulum memo-

rem

rem? Rex potentissimus numerosissimi populi erat David; nec minus civilia, quàm bellica negotia tractabat: & tamen de se pronunciavit coram ipso DEo: *Septies in die laudem dixi tibi.* Psal. 118. Septies laudem dixit, & non obiter, aut breviter, aut frigidè: his tamen non contentus, in id primas assiduasq; convertebat curas; ut nunquam sibi mente excideret DEus. *Providebam*, inquit, *Dominum in conspectu meo semper.* Psal. 15. Sive expeditiones bellicæ essent suscipiendæ, sive acies ordinanda, & cum hoste confligendum; sive status politicus instruendus, aut res domesticæ componendæ; sive pro tribunali sedendum, aut exterorum legationes audiendæ; sive aliquid genio dandum, & mordaces interpungendæ curæ; providebam solicitus, ne animo expungeretur DEus, quin potiùs velut ante oculos obversaretur mihi semper. Id ipsum adolescenti filio diligenter inculcabat Tobias senior: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto DEum.* Tob. 4. Et Salomon Prov. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum & ipse diriget gressus tuos*: ut inoffenso pede diem decurras, & exitum felicem negotia tua consequantur.

PETRUS: Quomodo concipi, & foveri possit, frequens DEi memoria? Scio, Florimunde, quàm volatiles sint ætati vestræ cogitationes, quàm versatilis & aërius animus. Proinde, si fieri non potest; ut in conspectu tuo semper habeas Majestatem illam, in cujus conspectu

ipse versaris semper: saltem in id sis intentus, ut illam aliquoties per diem tibi revoces in mentem; seu cor & mentem subinde convertas ad DEum. Quod ut non gravatus præstes, & negotia quotidiana tibi non suffurentur penitus DEum: sequentibus uti poteris industriis.

1. Designa tibi certa per diem tempora; in quibus vel certas preces fundas, vel saltē brevem affectum pium elicias erga Majestatem Divinam. Nonne tantillum otij habebis ut exemplo pijssimi & occupatissimi Regis Davidis, id præstes septies in diem? v. g. 1. Dum manè à somno evigilas, illico suspirando ad DEum per certam aliquam formulam sive laudis divinæ, sive gratiarum actionis, petitionis &c. 2. Postquam decenter vestitus es, procumbe in genua, & paulò prolixiùs grates age pro conservatione per noctem; gratiamq; pete conservationis per diem præsertim absq; peccato gravi. 3. Ante meridiem, sive in Ecclesia, sive domi, cor & manus puras leva ad DEum. 4. Ante cibum. 5. Post cibum sumptū, seu meridiano tempore. 6. sub vesperam 7. dum ad somnum nocturnum te componis. Verum tu ipse hæc tibi commodiùs dispones, habita ratione occupationum & otij tui.

2. Assvesce ante singulas notabiliores actiones tuas mentem elevare ad DEum, easq; offerre ipsi ad gloriam majorem & suavissimū divini cordis gustum. Potest id fieri brevissimè

v. g.

v. g. *Propter te DEum. Vel, Ad Majorem DEi gloriam. Vel A te principium; tibi desinet &c.*

3. Dum audis quidpiam notabile referri (quod non raro per diem accidit) sive lætū sive triste, vel rarum aliquem eventum: habes occasionem recurrendi ad DEum, cujus nutu cuncta geruntur. Quodsi grave alicujus delictum innotescat: dole de injuria Deo illata.

4. Dum res pulchræ, splendidæ, magnificæ se se oculis ingerunt: cogita, quantò pulchrior, splendidior gloriosior sit, qui fecit illas!

5. Iuvat imitari valde laudabilem multorum consvetudinem, qualibet horâ, audito horologij sono, certâ adhibitâ formulâ, laudantium DEum v. g. *Gloria Patri & Filio & Spiritui S.* &c. Vel, *Laudate Dominum omnes gentes laudate eum omnes populi* Vel, *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus &c.*

6. Non pauci magno suo fructu familiares habent breviculas quasdam ad DEum Aspirationes, quas etiam inter occupationes & negotia quævis, & in plurium præsentia, ore, vel mente, & corde tantùm, prout fert opportunitas, identidem ingeminant ardente affectu. Iaculatoriæ appellari solent hujusmodi oratiunculæ: eò quòd ex intimis cordis penetralibus ducto suspirio, & impetu quodam eas jaculamur in cælum. Et aliquando quidem Sagittarum instar eas ejaculamur tacitè; aliàs autem, dum sine arbitris sumus, non sine fra-

gore, velut ſclopeto, ejicimus, vehementiore verborum ſono vehementiam & fervorem affectûs teſtante.

Commoda talium Aſpirationum ſunt maxima. Facillimè enim eliciuntur; nec caput, aut memoriam vel phantaſiam fatigant. Non ſunt tædio obnoxiæ; incipiunt enim & deſinunt inſtar fulguris; perſtringunt autem intimas cordis fibras & animæ medullas; diſijciunt offuſas ignavi torporis nebulas, & hominem cum DEo conjungunt, memoriam, æſtimationem & dilectionem ejus ſuper omnia, conſervando, atq; perficiendo. Quid igitur poteſt obſtare difficultatis, quominus ſincero pioq; affectu ingemines crebriùs, vel cum rege Pſalmographo; *DEus cordis mei, & pars DEus in æternum.* Vel cum S. Thoma Apoſt: *Dominus meus & DEus meus!* Vel cum S. Paulo: *Quis me ſeparabit à charitate Chriſti?* Vel cum S. Franciſco; *DEus meus & Omnia.* Vel cum S. Ignatio Mart: *Amor meus Crucifixus eſt.* Ex his & ſimilibus eam tibi delige aſpirandi ad DEum formulam, in qua majorem experieris guſtum; eâq; tanquam proprio tuo utere Symbolo, ſeu Teſſerâ pietatis quotidianæ.

Quodſi pluribus, ijsq; paulò prolixioribus, uti volueris hujusmodi piorum affectuum teſſeris: ſuggero tibi ſequentes, Alphabetico ordine diſpoſitas; quas opportuno tempore vel eodem ordine elicias, vel certas ex illis aſſumas, vel eâ utaris, quæ prima in mentem veniet.

§ 7

§ 7.

Alphabetum piarum aspirationum ad DEum.

Amor meus DEus, qui me sic dilexisti; ut Filium tuum Unigenitum dares pro me; quid retribuam tibi?

Bonum summum, & Beatitudo mea DEus, quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? Quid extra te volo?

Creator meus & omnium DEus, qui me ad imaginem & similitudinem tuam creasti; opus manuum tuarum ne despicias.

DEus meus, & Omnia, imple cor meum te ipso: ut non abeat post mundi vanitates, & insanias falsas

Exaltatio mea DEus, qui me ad sortem amicorum & filiorum tuorum vocasti: da, ut non degenerem à praecelsis cogitationibus filiorum tuorum.

Fortitudo mea DEus, si consistant adversùm me castra: non timebit cor meum.

Gaudium cordis mei DEus, sincerum & solidum; in te gaudens gaudebo, & exultabo in IEsu meo.

Honor meus DEus, sentiant de me homines quidquid volent: mihi summus honor, servire Tibi; sunt caetera fraudes.

Iudex meus DEus, confige timore tuo carnes meas: ut à judicijs tuis salubriter timeam.

Lux mea DEus, illumina tenebras meas: ut

videam bonitatem tuam, & miseriam meam.

Misericordia mea DEus, delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris: ampliùs lava me ab iniquitate mea.

Nomen mihi ducissimum & venerabilissimum, DEvs, sis, benedictum ex hoc, nunc, & usq; in sæculum sæculi.

Origo omnis boni DEus, quidquid sum quidquid possum, quidquid habeo & habiturus sum, tuum est: cedat ad majorem gloriam tuam.

Pater mi gratiosissime, DEus: peccavi in cælum & coram Te: jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mancipijs tuis infimis.

Quies mea, temporalis, & æterna, DEus; fecisti me ad te, & inquietum est cor meum, donec requiescat in Te.

Refugium nostrum & virtus, DEus; adjutor in tribulationibus, adjuva me, & propter gloriam nominis tui libera me.

Salus mea DEus, præ pietate tua perire non possum, nisi voluero. Ne velim, cöerce insolentiam voluntatis meæ.

Timor meus DEus, terribilis in consiliis super filios hominum, confige animam meam duplici telo, Timoris & Amoris tui.

Unus & solus DEus, Tibi uni cor meum, tibi soli perpetua obsequia mea: tibi vivam, tibi moriar.

Zelator ardentissime animæ meæ DEus, qui tot tantaq; media saluti ipsius impendisti: propitius

pitius esto peccatrici, nunc & in hora mortis meæ. Amen.

PETES; Quo tempore hujusmodi piis affectibus, sit utendum? Resp: *Usus illorum esse potest omni opportuno tempore: potissimùm autem*

1. Ubi aliquid liberalioris otij nacti fuerimus; ne vel tædium obrepat, vel melancholia animum occupet, vel pravæ cogitationes, ut solent, se ingerant. 2. Post sumptam Venerabilem Eucharistiam. 3. In itineribus, ubi multum temporis vanis cogitationibus dilapidatur. 4. Nocturno tempore, dum insomniis vexamur, & facile se insinuant inepta phantasmata, si animus non sit decenter occupatus. 5. In gravibus, & pertinacius infestantibus tentationibus. Unde perutile erit propositos pios affectus fideli mandare memoriæ: ut etiam remoto libello, ubi opus fuerit, præstò sint. Mandabuntur autem facile memoriæ, si per aliquot dies in constânti fuerint exercitio. In eundem finem Alphabetico eos dispoſui ordine: sic enim faciliùs tenebuntur memoriâ, & consveta serie prodibunt. Cæterùm non requiro, Florimunde; ut affectum tuum meis adstringas verbis: sed utere tuis, ubi libuerit, vel mea non occurerint; & plena spiritûs libertate indulge devotioni tuæ. Fructum opinione majorem experieris.

Hæc sunt, quæ Pietati tuæ solidè fundandæ, & constanter fovendæ, hic proponenda censui, de pleniore DEi Opt. Max. cognitio-

ne,

ne, & ejuſdem ſuper omnia æſtimatione. Uberiùs ſe tibi aperiet ipſe Pater luminum ſupernorum, & Rex infinitæ Majeſtatis: ſi mentem apud te repererit capacem ſu; id eſt, non inquinatam, & pingviore quadam Minervâ non occupatam.

INSTITUTIO II.

NOSCE TE IPSUM

§ I

Diligens ſui cognitio commendatur.

VIdeo, te jam non mirari, Florimunde; quod author tibi fuerim: ut ante omnia ſtuderes, pleniùs *NOſſe DEum*: mirari autem vehementer; quod ante cætera, opportunè importunè tibi ingeram Cognitionem tui ipſius; quaſi verò tibi ignotus eſſes, aut nihil ſupereſſet ſcitu utilius, vel neceſſarium magis. Sed audi iterum Clementem Alexandrinum, virum humanâ divinaq; philoſophiâ excultiſſimum: *Diſciplinarum omnium pulcherrima & maxima eſt, Cognoſcere ſe ipſum*; inquit lib. 1. pædag. c. 1. Quam ſententiam mutuatus videtur ab Ariſtotele, 2. magn. mor. c. 15. docente: *Cognoſcere ſe ipſum, difficillimum eſſe, & ſuaviſſimum.*

Suaviſſimum eſt: quia ſi delectat, cognoſcere extranea, nobis ſubjecta, ut fortunas noſtras, agros noſtros, jumenta, armenta & greges

ges noſtros, familiares & ſodales noſtros: quantò magis nos ipſos, & intimè, vel proximè nobis conjuncta? Adde: quod (ut notavit cit: Alexandrinus) ex cognitione noſtri plurimùm proficiamus in Cognitione DEI; ſiquidem ad ipſius imaginem & ſimilitudinem ab ipſomet conditi ſumus ſecundùm eam partem, qua vivimus, intelligimus, & liberi atq; virtutum capaces ſumus. In imagine enim accurata relucet archetypum; ideoq: in hujus abſentia, paſcimus illâ oculos & corda. Deinde ex præſtantia operis cognoſcere conſuevimus excellentiam artificis. Cùm igitur homo ſit artificioſiſſimum totius creaturarum univerſitatis compendium, & Microcoſmus quidam: quanta ſit Conditoris DEI ſapientia & potentia; ex ipſo intelligimus evidenter, nec ſine ſuaviſſimo animi guſtu.

Cæterùm quàm pulchrum & dulce eſt, cognoſcere ſe ipſum pleniùs: tam difficile & laborioſum experimur. Tam varium enim & mirabile animal eſt homo, tam recondita & ſublimi mente inſtructum: ut ænigmati ſimilis videatur; & Miraculum miraculorum appellâtus ſit à ſapientibus Ægypti. Rectè medicorum princeps (Galenus lib. de cognoſc. & curand. animi morbis;) Cognitionem hominis & facillimam dixit, & difficillimam. Facillimam, ſi ſpectetur quo ad ea, quæ foris ſunt: difficillimam, ſi ſcrutemur, quæ intus latent. A millibus, annorum laborat Philoſophia Natura-

turalis, cum facultate Medica, in cognoscendo penitius homine; at profectu tam tenui: ut tyrocinium nondum egressi videantur. Quò profundiùs rimantur, fere minus vident; imò nihil; si arcana mentis, seu cordis secreta, scrutari præsumant.

Quòd exterior species tua non solùm nota, sed notissima tibi sit, Florimundê, nullus ambigo, imò nimiùm scio. Video enim te non rariùs speculum (quod sexum tuum minùs decet) quàm librum inspicere, atq; in illo te ipsum prolixe mirari. At hæc, quæ oculis patent, & manibus palpantur, tua sunt, non tu; nec satis te produnt, qualis es intus, & in cute: nam ex sententia Tullij, *Frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur*. Intus igitur te quæras, oportet, si nosse te cupis: & fortè alium te deprehendes, quàm putabas. Quanquam nec exteriora omnia, quæ te concernunt, tibi satisperspecta puto. Passim enim homines, neglectis se ipsis, tota curiositate versantur in explorandis, taxandis, reformandis, distringendis aliorum gestibus, moribus, intentionibus, & intimis cordium arcanis. Ad quam temeritatem castigandam, & ad nos ipsos nobis detegendos, famosissimi Græciæ Sapientes septem, communi consilio (teste Platone in Protagora) hanc condiderunt Maximam; ac velut basim & fundamentum totius Sapientiæ Moralis, fronti ædium Delphici Apollinis, cubitalibus inscripserunt characteribus: NOSCE TE IPSUM. Quod monitû

nitum, atq; accuratum ſui cognoſcendi ſtudium, tam pronis animis eaq; veneratione amplexi ſunt prudentiores quiq;: ut non hominum effatum, ſed ipſius DEi ſit creditum, Cicerone teſte lib. 1, de leg. c. 22.

Non gravaberis proinde Adoleſcens Lectiſſimè, eidem, non fabuloſi Apollinis, ſed veræ Sapientiæ oraculo ſaluberrimo, maximèq; neceſſario, ſubinde horulæ partem concedere; atq; te ipſum diligentiùs excutere. Libens hoc in negotio, quam poſſum, præſtabo tibi operam; tum ad atria, tum ad intima penetralia tua te deducam; aperiamq; te tibi, quatenus opus eſt ad ſolidam concipiendam, fovendamq;, Pietatem. Plurima, mihi crede, neſcirentur vitia: ſi minor eſſet noſtri ipſorum ignorantia. *Hæc eſt humanæ pravitatis cauſa, ignoratio ſui*: inquit Lactantius l. 1. c. 1. Neſciretur Superbia: ſi recoleremus; nos de pulvere ortos in pulverem reverſuros; & quidquid in nobis eſt boni, alienum; quidquid mali, noſtrum eſſe. Neſciretur Avaritia, ſi adverteremus: corda noſtra terreſtribus bonis inquietari poſſe, non ſatiari. Neſciretur Luxuria, ſi memores eſſemus; nos ad majora natos, quàm ut, pecudum in morem, carnalium affectuum mancipia ſimus; & ſic de cæteris. Attolle igitur mentem, & cum Hipponenſi Præſule ingemina: *O DEus, ſemper idem, Noverim Te; Noverim me!* Deinde ad ſequentia monita diligenter animum adverte,

§. 2.

Noſce Genus tuum.

NOn indulſi tantum curioſitati meæ, Florimunde: ut inquirerem in Genus tuum; clarum ſit, an obſcurum; nobile, an ignobile? Satis mihi fuit, & eſt: videre te ita formatum, dotatumq; à Natura & Gratijs: ut concinnè prænobilem agere perſonam poſſis. Tibi relinquo eam curam, imò etiam atq; etiam hortor: ut Generis tui non ſis incurius; ſed identidem penitius illud inſpicias. Sive enim claris, ſive obſcuris te ortum natalibus adverteris: magnos ex utraq; ſorte ſpiritus, & præclara documenta concipere licebit: ut jam demonſtro.

Nobilitate generis gaudes, & gloriaris? Gratulor tibi eam ſortem. Sic enim natus es, ut inglorius vivere non poſſis, niſi ipſe velis. Gloriæ tuæ vixerunt, laborarunt, ſudore & ſangvine manârunt, quotquot præclarè geſtis illuſtres numeras Majores. Totidem igitur acerrimos habes ſtimulos: quibus incitaris, ut te aptes fortunæ & gloriæ Majorum, & nihil agas illis indignum. Scitè dixit magnus ille Marius apud Salluſtium: *Majorum gloria poſteris quaſi lumen eſt: neq; bona eorum, neq; mala in occulto eſſe, patitur.* In illuſtrium proinde majorũ tuorũ luce videberis clariùs& criore notaberis cenſurâ.

Emines genere? Cave 1, ne inſoleſcas. Non enim id opus tuum eſt, ſed gratuitum munus DEi, in cujus manu ſunt ſortes noſtræ. [Ipſe ordinat & naſcituros, & ordinem, & condi-

ditionem nascendi. Nec parentibus tuis licuit te deligere sibi filium: nec tibi hos parentes, vel majores; ut meritò nobilitatem generis Ennodius appellarit *Cæleste munus*, Cave 2. ne despicias ignobiles. Mirabili enim Providentiâ Numinis dispensantur dotes hominum. *Pusillum & magnum ipse fecit*, Sap. 6. 8. Sæpe obscuris ortus parentibus, clarissimus evadit ingenio, dexteritate, virtute, & gestorum gloriâ. Quem vides malè tectum adolescentulum, ex aliena quadra viventem, vel ostiatim offam quærentem; gestabunt altiora subsellia, aut jura dicentem, aut Divina interpretantem, aut principibus oracula pandentem; & fortè tu ipse ab illo videri, audirive, tædiosus petes. Sæpe vilis adolescentum lacernula Magnos Viros tegit. Stoici Rom. sententia est lib. 3. de benef. c. 18. *Eadem omnibus principia, eadem origo. Nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium & artibus bonis aptius*. Certè nobilitas generis, nisi alijs dotibus, artibusq; exornetur, probro potiùs, quàm honori est.

Cave 3. Ne degenerem te præstes; possitq; in te vibrari scomma olim jactum in Scipionis Africani, qui fulmen belli dicebatur, filium: *Proh, dij immortales! Quantas tenebras ex tuo lumine, nasci passi estis!* Non rarò enim obscurissimi tenebriones ex illustrissima majorum luce prodeunt, eamq; extinguunt vel offuscant. Si avitæ nobilitatis tibi conscius es: congruos huic sorti animos assume; ad auream hanc re-

gulā

gulam mores compone; non tam ſtemmate, quàm vitâ te Nobilem proba. Excitent te majorum trophæa, aliaq; honorum inſignia, ut Alexandrum Philippi patris, Scipionem Iuniorem Africani, Octavium Cæſaris. Non ſoli Aſcanio, ſed tibi quoq; ſcriptum puta illud Maronis:

Sis memor: & te animo repetentem exempla tuorum
Et Pater Æneas, & avunculus excitet Hector.

Imò in id incumbe: ut familiæ tuæ decora ſplendore propriarum virtutum illuſtres, atq; exornes; & ipſe olim inter exempla conſummatæ virtutis recenſearis. Altè animo tuo inſideat auguſtum illud Baſilij Imperatoris Conſtant. monitum filio datum. *Non debet homo ſola corporis nobilitate, ſicut cætera animantia, contentus eſſe. Nam equi nobilitas eſt: ut ferox ſit, atq; imperterritus; canis, ut latrator acer in perſequendis feris; & de cæteris animantibus ſimiliter: hominis verò nobilitas eſt; ut animum habeat omni genere virtutis exornatum. Corporis ornatus eſt; ut formâ, & robore, & valetudine polleat: animi verò generoſitas in dicendi facultate, morum probitate & omnium virtutum perfectione ſpectatur.* Hanc ſectare: & eris in aurea nobilitatis corona gemma pretioſa.

Non nobilitat te ſplendida Majorum corona, Florimunde? Non deſponde, ſed generoſiores aſſume animós. Parce inprimis fortunæ quod hoc te munere dignata non ſit: nam plurimis te ſubtraxit vitijs, & quæ conſequi ſolent, incommodis. Paſſim enim quò quiſq; n

tus est nobilior, eò majorem, avito quodam privilegio, se putat nactum peccandi licentiam. Hinc non nemo inter proprias nobilium dotes recensuit, fastum, arrogantiam, ambitionem, luxum, violentiam, prodigalitatem in promittendo, infidelitatem in promissis &c. quibus te vel omnino immunem, vel minus obnoxium fecit humilior nascendi conditio. Solari te potes & illo Euripedis: *Bonus mihi vir, nobilis videtur. Qui verò non est justus; licet à patre meliore, quàm sit Iupiter, sit genitus; ignobilis mihi censetur.*

Deniq; assurge animis. Quod domi tuæ non invenisti, inferre in illam ipse potes. Quod fortuna negavit, dare potest, & solet, Ingenium, labor & sincera virtus, favente DEo. Quid obstat: quominus, ut multi, sis ipse fortunæ tuæ faber, & Nobilitatis author? Non audisti: quod *Dij laboribus omnia vendunt?* Non legisti (apud Martial. lib. 8. epigr. 68) *Quid non Ingenio voluit natura licere?* Ignoras, quod testatur Seneca, epist. 80. *Nulli non Virtus, & vivo & mortuo, retulit gratiam.* Si bene te novi: laborem non fugis; ingenio vales, virtutem amas. Aude igitur, impiger & constans urge bene cœpta: eventum committe DEo; quem profectò non iniqvuum, nec parcum experieris, liberalis ejus Cultor. Eluctantur non pauci malis artibus ex infima hominum fæce, atq; per fas & nefas grassantur ad summa: tibi, naturæ, & liberalium artium dotibus abunde instructo, comite Numinis piè

culti

culti favore, viâ regiâ ire ſecuriùs, licet. Præceſſit, & feliciter votorum ſuorum metam attigit, frequens agmen eruditione & probitate inſignium: quid obſtat; quin ſequaris, & eòdem pervenias? Audi alta voce inclamantem Philoſophum Romanum: *Erige audacter animos, & quidquid in medio ſordidi jacet* (de vulgo majorum) *tranſili: exſpectat te in ſummo magna Nobilitas*, Sen. 3. benef. c. 27.

Deniq; quiſquis es, Florimunde, nobilis, an ignobilis genere; ſic tibi vivendum noveris, ut non moriaris ignobilis. Non pauci genere nobiliſſimi, moriuntur inglorij & deſpecti; non aliam, quàm aſini ſepulturam meriti, cujus vitam vixerunt. Tu, ſi clares nobilitate, curabis omnino; ut popularem illam merearis panegyrim: Heu! Occidit magnum lumen patriæ! Vir Magnus concidit! Columen, decus, gloria domûs & gentis ſuæ! Si verò ſorte illa deſtitutus es, dabis operam; ut non deſtituaris pretioſo illo elogio: Obijt vir egregius, nobilis ingenio, literis, armis, pietate &c. Nobilis Orator, heros! nobilis Philoſophus, Theologus &c. Vivendum nobis in mundo, ut in theatro, ubi non refert; nobilis, an ignobilis hanc perſonam agat; ſed quàm bellè agat; diciturq; Nobilis Actor etiam plebejus adoleſcens, & plauſum præmiaq; meretur præ nobiliſſimis. Sic poſſumus ex utraq; cogniti generis noſtri ſorte inſignia reportare lucra: quæ tamen omnia in theſaurum Providenttiæ Divinæ, cuncta

ſapi-

ſapientiſſimè diſpenſantis, refundenda erunt. Hæc de genere noſtro terreno.

Quodſi originem noſtram altiùs repetere velimus: ex longè nobiliore radice, & clariore ſtemmate, deducere licebit Genus noſtrum, idq; commune omnibus, & quodammodo Divinum. Advertit hoc, etiam in gentilitatis caligine, vetus pöëta Aratus ab Apoſtolo Act. 17. 28. allegatus in Areopago: qui de hominum Conditore DEo diſſerens, *Ipſius & genus ſumus*, cecinit. Nec refutavit Apoſtolus oraculum Vatis hujus, ſed ratum habuit; tum quia DEus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam nos procreavit; & non ſolùm Creator, ſed Pater noſter dici voluit; tũ quia aſſumptâ naturâ humanâ, Frater quoq; noſter fieri elegit; tum quia Spiritum adoptionis filiorum in cordibus noſtris diffudit. O ineffabilis Felicitas! O incomparabilis hominum dignitas! Genus ergo cùm ſimus DEi: *Agnoſce ô Chriſtiane*, monet meritò S. Leo ſerm. 1. de Nat. *dignitatem tuam; & Divinæ conſors factus naturæ* per gratiã & incarnationem Filij DEi *noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire.* Aſſumamus mores, cognatis, imò filijs DEi, congruos: ut ad hæreditatem cæleſtem, & in ſinum paternum admittamur, & non audiamus triſte illud, & funeſtum: *Neſcio vos*, Mat. 25. 12. Foras degeneres!

§. 3.

Noſce Finem Ortûs tui.

FLorimunde, quàmvis te sciam per-quam acutum, & promptum ingenio: dubito tamen, an satisfacturus sis quæstioni, quam ut tibi proponam, plurimùm refert. Dic amabò: In quem finem, seu Ad quid, venisti in hunc mundum? Cur à DEo conditus es, & conservaris in mundo? Quæstio hæc non vanæ curiositatis, sed summæ necessitatis est. Ab ejus enim resolutione pendet totius vitæ nostræ recta & debita institutio, atq; felix vel infelix Æternitas. Nam si à fine, ad quem à DEo creati, & nati sumus, defecerimus: toto cælo aberrabimus, & in æternos Inferni cruciatus certo certius incidemus. Si verò finem nostrum attigerimus, & intentioni DEi, Creatoris, & Conservatoris, satisfecerimus: cælesti gloriâ & beatitudine fruemur æternùm. Est autem Finis noster illa Ratio, seu causa, propter quam,seu cujus gratiâ, producti sumus, & in hoc mundo conservamur. Certum enim est; DEum nos non produxisse in vanum vel temere: cùm agere non possit, nisi sapientissimè; ideoq; causam habere debuit valde rationabilem, & sublimem, ob quam mundum hunc produxit, & nos in illo.

Dic ergo jam, mi Florimunde: In quem finem, seu, Ad quid, venisti in hunc mundum? Cur à DEo creatus es, & in hoc mundo conservaris? Numquid eam tantùm ob causam; ut mundum augeres? At hic finis quarumvis rerum est. Numquid ut tibi vivas, genio indulgeas,

dulgeas, & saginæ corporis sis intentus ? Pecudes is finis, non hominem, decet, & directè repugnat Apostolo prædicanti : *Nemo nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur* Rom. 14. Quis ergo est finis proprius creationis hominum, & in particulari, tui ? Non texam prolixum discursum. Verbo dico: Non alius, nisi DEus ipse. Audi oraculum ipsius Sapientiæ Divinæ Proverb. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Et Apoc. 1. 18. *Ego sum Alpha, & Omega, Principium & Finis, dicit Dominus DEus.* Est Principium, ex quo & à quo sunt omnia: est Finis, propter quem condita sunt omnia, & ad quem referri, ac tendere debent Omnia. Moyses quoq; Deuter. 26. testatur: *Cunctas gentes creavit in laudem, & nomen, & gloriam suam.* Ex quibus & similibus locis rectè deducit Apostolus citatus: *Nemo nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur: Domini sumus.*

Creatus est ergo omnis homo, & conservatur in hunc finem: *Ut vivat, & serviat per omnem vitam suam DEo Domino & Creatori suo,* mandata ejus observando, & gloriam ejus propagando.

PETES: An hic sit finis noster unicus, & Ultimus ? Resp: Ex dignatione, & gratia Creatoris nostri inexplicabili, non est hic finis noster unicus & totalis, seu tota ratio, ob quã creati sumꝰ; scilicet *ut per hanc vitam servi-*

amus DEo: ſed accedit aliùs, & quidem principalis atq; ultimatus; nimirum ut poſt temporale fidele obſequium ipſi præſtitum, *Æternùm regnemus cum ipſo in gloria cælesti.* O incomparabilem felicitatem noſtram! Quis hoc cogitare, nedum deſiderare vel ſperare potuit; ut lutea propago, naſceremur non ſolùm ad ſerviendum DEo (qui honor per ſe maximus eſt) ſed etiam ad regnandum cum ipſo, & quidem in cælis, & in omnem æternitatem, in gloria ſumma, & beatitudine pleniſſima. Potuit nos Creator noſter perpetuò addicere obſequio ſuo in hac ærumnarum patria, abſq; omni præmio, ſeu ſtipendio: & ſatis nobis ſolatij atq; honoris fuiſſet, Domino ſervire Tali, ac Tanto: at illius Magnificentiæ placuit, infinitum proponere præmium obſequio momentaneo; ut alacriores nos redderet, atq; fideliores. Nec principes tantùm, aut reges terræ ad tantam vocavit felicitatem & dignitatem: ſed viliſſimos etiam homunciones, & ætatem tenellam. Quis detrectet ſervitium, cujus merces eſt Cæleſte Regnum?

Currite jam principes & nobiles, currite plebeji & mendicabula, currite & pueri ad obſequia Domini DEi veſtri: grande tenuis operæ pretium erit. Non pigeat vos hujus ſervitij; lucroſiſſimum eſt: non tædeat; breviſſimum eſt: non pudeat; glorioſiſſimum eſt, ſervire Tanto. Si, quo major eſt Dominus,

eò

eò nobiliores ſunt ſervi & miniſtri ejus (refundit enim dignitas domini certa proportione dignitatem in familiam ſuam etiam claſſis infimæ) cùm DEus omnes reges terræ, & principes cæli excedat infinitè; quâ decempedâ metiemur dignitatem ſervorum ejus? Si, quò major eſt dominus, eò liberalioris eſt animi: quid non ſperabimus à DEo Domino noſtro? Currite ergo omnes ad ejus obſequia: ſervite momento (quid enim eſt vita noſtra?) & regnate æternùm. Si nobilis & generoſi animi es, Florimunde: ſufficiunt hæc abunde; ut omnem vitam tuam mancipes ſervitio Divino.

Dices: Ergo vis; ut omnes mundo Vale facto, recipiant ſe in profundam eremum, vel clauſtrum religioſum, & ſoli DEO intenti vivant? Reſpond: Non omnes hanc à DEo vocationem habent; nec omnes capiunt verbum iſtud. Illud volo, & requirit ab omnibus DEus: ut in omni ætate, ſtatu, & conditione præcipuum munus cujuſq; ſit, Servire DEo. Liberalibus das operam artibus? Præcipuam impende operam ſervitio, ſeu cultui Divino: *quia DEus ſcientiarum Dominus eſt.* 1. Reg. 2. Rei familiari olim attendes, & domum tuam gubernabis? Prima tibi cura ſit, per fidele obſequium propitium tibi tuiſq; facere DEum; *quia ipſe aperit manum ſuam & implet omne animal benedictione.* Pſal. 144, *Niſi Dominus ædificaverit domum: in vanum laborave-*

runt, qui ædificant eam Psal. 126. Commoda & lucra tua quæres per mereaturam, militaria stipendia &c.? *Quære primùm Regnum DEi, & Justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur tibi.* Matt. 6. Obsequia tua addices aulæ alicui, & fortè evades in intimum principis ministrum? Vide ne in gratiam hujus, offendas Majestatem supremam; vel ob illius negotia negligas cultum hujus: quin potiùs per cumulata religionis officia prensa favorem DEi: ne excidas principis gratiâ satis lubricâ. *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Psal. 145. *Bonum est sperare in Domino: quàm sperare in principibus.* Psal. 117.

Deniq; semper & ubiq; in mente & corde tuo primas habeat DEus, & cultus ejus. Assume tibi in symbolum & tesseram quotidianam gemina hæc verba; SERVIENDUM DEO. Si quid occurrerit, quod te abstrahat ab hoc servitio, repone: Natus sum, ut serviam DEo. Ab hac obligatione nemo regum, vel pontificum absolvere me potest. Cave autem ne ipse te emancipes, & suave atq; gloriosum hoc jugum excutias. Miser vives, etiam in maximis delicijs & honoribus; & miserrimus morieris. Apprehendet te aliquando justa Nemesis, tanquam inutilem & profugum servum, atq; in catastas conjiciet æternas. Non exibis, quamdiu DEUS erit DEUS: cui tanquam Principio & Fini nostro Ultimo

laus

laus & gloria in sæculorum sæcula.

§. 4.

Nosce Corpus tuum.

DUo potissimùm in hoc non obiter cognoscenda, sed attentiùs consideranda veniunt. Structura mirabilis, & Corruptio miserabilis. Structuram si inspicias: summi opus Artificis illico agnosces; & quod de eburneo Salomonis throno scribitur 3. Reg. 10. prædicabis de Corpore humano: Non est tale opus factum in universa terra. Quamvis enim & cæterorum animantium corpora mirabili sint artificio constructa, & etiam in minimis Magnus eluceat Conditor DEus: humanum tamen omnibus artificiosius reperitur, & gratia in eo longè major efflorescit. Nam ut mellitus Mediolanensium Præsul advertit lib. 6. Hexam. c. 9. etsi una atq; eadem terrenorum corporum videtur esse substantia; firmitudo, & proceritas quibusdam major in bestijs: forma tamen humani corporis est venustior; status erectus & celsus; ut neq; enormis proceritas sit, neq; vilis & abjecta pusillitas; tum ipsa habitudo corporis suavis & grata, ut neq; belluina vastitas horrori sit, nec gracilitas tenuis infirmitati. Membrorum ut ingens copia, ita stupenda varietas, & admiranda consensio. Solida junguntur mollibus, mollia stringuntur nervosis, nervi intexuntur venis, venæ per-

errant omnia, & neceſſaria miniſtrant fomenta ſpiritibus, ſpirituumq; officinis. Quanta venuſtas eorum, quæ patent: quàm mirabilis compages eorum, quæ latent!

Quid multis? Ea eſt totius humani corporis ſpecies & fabrica: ut meritò dixeris de eo, quod Siracides de ſole: *Vas admirabile, Opus Excelſi!* Specioſum profectò & ſplendidum immortalis Animæ domicilium, pretioſum veſtimentum, mirabile organum & inſtrumentum. Sed quid dico domicilium Animæ, quod Apoſtolus prædicat ut auguſtam & ſacerrimam Divini Spiritus baſilicam? *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt?* 1. Cor. 6.

Accedit quòd Corpus humanum à DEi Filio, mundi Salvatore, aſſumptum per Incarnationem, in unitatem Perſonæ Divinæ, in noſtra quoq; non vulgarem refuderit prærogativam: quemadmodum ex aſſumptione pauperis puellæ in ſponſam Regis, in univerſam ejus familiam non levis redundat gratia & dignitas.

Unde graviter monet Apoſtolus: ne nobis ipſis vileſcant corpora noſtra, & ne impudicitijs ea dehoneſtemus. *Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* quatenus ſcilicet fideles unum conſtituunt myſticum corpus, cujus Caput eſt Chriſtus. *Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus*

effici-

efficitur cum illa? Grande nefas, sic prostituere corpus suum, Vas illud admirabile, Opus eximium Excelsi! Quis audeat, pateram regis convertere in usus nocturnos? audebimus omni gemmâ & auro pretiosiora corpora, sangvine Filij DEi mundata & sacrata DEo in fonte baptismali, pudendis temerare facinoribus? Absit hæc impudentia. Præclare Plato 5. de leg. *Post DEum & animum, tertium honorem secundùm naturam, quivis intelliget Corpori convenire.* Magis emphaticè Apostolus; *Hæc est enim voluntas DEi, Sanctificatio vestra: ut abstineatis vos à fornicatione: ut sciat unusquisq; vestrum Vas suum possidere in sanctificatione & honore.* 1. Thessal. 4.

Veniamus jam ad miserabilem corporum nostrorum Corruptionem. Quàmvis enim etiamnum non paucæ in illis superstites sint dotes: eæ tamen tam densis agminibus defectuum, vitiorum, calamitatum, & omnis generis malorum, obsidentur, obscurantur, attenuantur; ut intuitu horum fere evanescant. Proh! quantum distant ab illis, quibus in horto voluptatis florebant protoparentes! Nascimur miserorum miserrima propago, innocentiæ stolâ spoliati, originalis justitæ monilibus amissis, animo servilibus notis compuncto, corpore pessimè mulctato, nudi, vulnerati, mutilati, excæcati, longam potiùs mortẽ, quàm brevem vitam victuri. Ne prolixa calamitatum recensione sim molestus: universam

malorum Iliadem, quæ in corpore passi sumus, & patimur, ad tria revoco capita: ad debitum mortis, ad perpessionem variarum ærumnarum, & funestissimam rebellionem cupiditatum, aliorumq; sensualium affectuum.

Debitum mortis tam tenaciter adhæret corporibus omniū: ut nulla prece, nullo pretio, arte nulla averti, vel extingvi possit. Quocunq; nos vertimus; premit ubiq;, ac tandem opprimit, vindicis DEi sententia: *Morte morieris; Revertaris in terram, de qua sumptus es, Pulvis es, & in pulverem reverteris*, Gen. 3. Reversi sunt omnes majores nostri, revertuntur coætanei nostri, revertentur posteri nostri, revertemur dubio procul & nos, idq; brevi, brevi! Sic concidet, atq; in fœdam vermium colluviem, & mox in originalem pulverem evanescet omnis decor, gratia, & illecebra corporis tui, Florimunde! *Omnis caro fœnum*, jussus est clamare Propheta, Isa. 40. 6. *& omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos: quia spiritus Domini sufflavit in eo* Quid ergo juvat, tam solicitè curare hoc pabulum vermium, hoc mortis tugurium?

Ærumnarum qualia, quantave agmina præludunt morti! Non expectant, donec adolescamus; nascentes excipiunt, Ægyptiarum instar obstetricum, imò his pejores. Non enim sine mora præfocant, sed servant in longam mortem: ut meritò primæ voces nascentium

sunt

ſunt deploratio ſortis humanæ. Quò longiùs ætate procedimus; pluribus, majoribusq; nos intricamus ærumnis. Omnes agedum circumſpice mortales, *monet Seneca*: larga ubiq; flendi, & aſſidua materia. Alium ambitio nunquam quietum ſolicitat; alium ad quotidianum opus laborioſa egeſtas vocat; alius divitias, quas optavit, metuit, & voto laborat ſuo; alium ſolicitudo, alium labor torquet; hic habere ſe liberos dolet, ille perdidiſſe. Lachrymæ nobis deerunt, antequam cauſæ dolendi. Nonne vides, qualem vitam nobis rerum natura permiſerit, quæ primum naſcentium fletum voluit? Hoc principio edimur, huic omnis ſequentium annorum ordo conſentit. Sic vitam agimus. Nunc de capite, nunc de ventre, nunc de pectore, aut faucibus querimur; aliàs nervi, aliàs pedes, nos vexant; nunc deſtillatio; aliquando deeſt ſangvis, aliquando ſupereſt. Hinc atq; illinc tentamur & expellimur. Vita ſupplicium eſt. *Hæc Seneca*.

Minor tamen pars hujus ſupplicij ſunt mala, quæ corpus patitur; longè majora ſunt, quæ parit. In tam pravas enim paſſim effervеſcit cupiditates, in tam inordinata deſideria, & effrenes diſſolvitur affectus: ut excuſſo Rationis imperio, animam in graviſſima innumeraq; præcipitet vitia, æternis plectenda tormentis. Nunc enim aviditate nimia inhiat cibis, nunc ſine menſura ſe ingurgitat potu;

jam exæſtuat avaritiâ, jam tabeſcit invidiâ; jam inardeſcit libidine, jam ardet irâ, nec conſilij, nec imperij patiens. Violentos hoſce partis ſenſualis, ſeu ſeditioſæ carnis motus ſcitè appellat Apoſtolus (Rom. 7.) Legem peccati, dominantem in membris noſtris. *Condelector*, inquit, *legi DEi ſecundum interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Tam violentas enim faciunt in nos impreſſiones hujusmodi ſenſuales motus: ut facillimè nos in varia peccata, adeòq; in gehennam, captivos abducant; niſi mens armaturâ fidei, & cæleſtibus auxilijs inſtructa, velut in acie continuò excubet, atq; primis illorum inſultibus viriliter ſe ſe opponat. *Infelix ego homo!* queritur proinde ibidem Apoſtolus; *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* id eſt, de mortali & mortifero hoc corpore. Subdit autem illico remedium: *Gratia DEI per IEſum Chriſtum, Dominum noſtrum.* Solis enim naturæ viribus pares non ſumus ſeditioſæ carni ſubigendæ: per illum autem & robur obtinemus ad reſiſtendum, & victoriam ad triumphandum.

Vide jam Florimunde; an, & quos amores mereatur corpus tuum, nativa quidem venuſtate blandum & ſpecioſum; acquiſita autem per peccatum pravitate mortiferum & doloſum. Dalila eſt caro tua, non uni Sam-

ſoni

foni fatalis; fuſpecta & infamis non folùm apud nos, verùm & gentiles Sapientes. Euripedes eam appellavit *Omnis infelicitatis originē*, Theophraſtus *Tacitam fraudem*, Theocritus *peſtem eburneam*, Comicus *calamitatum omnium acerbiſſimam*, ut meritò moneat Stoicus Romanus, ep. 14. *Sic gerere nos debemus: ut non tanquam propter corpus vivere debeamus: ſed tanquam non poſſimus ſine corpore. Hujus nos nimius amor timoribus inquietat, ſolicitudinibus onerat, contumeliis objicit.* HONESTUM EI VILE EST: CUI CORPUS NIMIS CARUM EST; *Agatur ejus diligentiſſimè cura: ita tamen, ut cùm exigit ratio, cùm dignitas, cùm fides mittendum in ignem ſit.* Repeto, & inculco illud: *Honeſtum ei vile eſt: cui corpus nimis carum eſt.* Commendo deniq; heroicum illum ejuſdem Philoſophi ſenſum: *Major ſum, & ad majora genitus; quàm ut mancipium ſim mei corporis: quod equidem non aliter aſpicio, quàm vinculum libertati meæ circumdatum* Seneca. ep. 65.

Quodſi Corpus noſtrum non blando matrum, ſed ſeveriore patrum affectu tractaverimus: & ſempiternis ignibus illud ſubtrahemus, & æternam ineffabilis gloriæ & voluptatis felicitatem illi conciliabimus. Quod enim exanime terræ injicitur, ac veluti *ſeminatur in Corruptione, ſurget in incorruptione; ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria; ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute*, 1. Cor. 15.

§. 5.

Noſce Animam tuam.

INſolubile ænigma gentili Philoſophiæ fuit Anima hominis. Quò ſubtiliùs ejus rimabantur naturam, eò ineptiebant magis. Heraclitus, Zeno & alij cenſuerunt, eſſe Ignem quendam ſidereum, Anaxagoras & Anaximenes Aërem tenuiſſimum, Pythagoras Harmoniam, ſeu Concentum ſuaviſſimum, Empedocles Sangvinem defæcatiſſimum, Hippocrates ſpiritum animalem, Galenus temperiem calidi & frigidi, Poëtæ particulam auræ divinæ &c. Qui præ cæteris ſapere volebant, ſomniabant, *Macrobio teſte l. 1. Som. Scip.* Animam de cælo labi, atq; eundo per ſingulas ſiderum ſphæras, ſingulorũ contrahere virtuté. In cælo Saturni accipit vim intelligendi & ratiocinandi, in Iovis ſphæra vim agendi, in Martis animoſitatem, & ardorem, in Solis vim ſentiendi & opinandi, in Veneris deſiderandi, in Mercurij pronunciandi, ſeu vim explicandi mentem ſuam, in ſphæra Lunæ virtutem plantandi, & vegetandi corpora. *O caligmem! ó miſeriam!* exclamat meritò Lipſius lib. 3. Phiſiol. diſſert. 9. *illud, quo cætera noſcimus, neſcim !*

Chriſtiana Philoſophia etiam hac in parte felicior eſt: utpote cui certiùs & copioſius ex Divinis Oraculis, & illuminatorum divinitus Patrum doctrinis, innotuit: quid non ſit, & quid

quid sit Anima nostra, qua secernimur ab animantibus brutis. Subtiliores de ea controversias libens relinquo philosophis & Theologis: certiora, & communiter recepta ab orthodoxis, proponam tibi summatim, Florimunde; ut agnoscas clariùs & æstimes pro meritò suo thesaurum, quem in vase fictili corporis tui gestas. Vives proinde assid è solicitus, ne jacturam ejus facias; sed Animam tibi creditam fideliter restituas olim Creatori suo, & quidem operâ tuâ eximiè ornatam, ac potissimùm in vera solidaq; Pietate probè exercitatam.

Non est ergo Anima nostra ignis quidam, non àër, non spiritus animales, non harmonia non temperies calidi & frigidi, non sangvis, non divinæ particula auræ, nec quædam Essentia quinta è præstantissimis rerum materialium extracta: sed quid sublimius omni essentia corporea, illustrius igne, subtilius àëre, purius sangvine, vivacius spiritibus animalibus, suavius modulis harmonicis, efficacius temperamento calidi & frigidi, deniq; incomparabiliter præstantius omni quod terram, & quodvis elementum, vel elementorū mixturam, sapit. Non est etiam quædam Auræ divinæ particula: cùm divinitas, ut non componitur ex partibus vel particulis; ita distribui, nequeat in partes & particulas.

PETES. Quid igitur est anima hominis? Non te diutiùs tenebo suspensum. ꝶ: Est

Spi-

Spiritus purus, rationalis indivisibilis & immortalis, conditus ad imaginem & similitudinem DEi, & naturâ suâ ordinatus ad informandum corpus humanum. Quam descriptionem (accurratam definitionem relinquo philosophis) ubi declaravero: intelliges Florimunde, quàm nobili & pretiosâ constes Animâ, quantave illius cura sit habenda.

Dicitur 1. *Spiritùs*. Ita enim nos docent tū Literæ Divinæ, tum ipsius animæ operationes. In Scripturis divinis Anima hominis passim vocatur spiritus; Matt 27. dicitur de Christo moriente in cruce: *Et inclinato capite emisit Spiritum*. Et c. 26. dixerat ipse Dominus discipulis dormitantibus: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Luc. 1. canit DEipara Virgo: *Et exultavit Spiritus meus in DEo salutari meo.* Et Eccle. 12. *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ &c. antequam revertatur pulvis in terram suam, unde erat; & Spiritus redeat ad DEum qui dedit illum*, &c. Suffragantur operationes ipsius Animæ hominis, longè superiores operationibus animantium merè corporeorum. Percipit enim res incorporeas & spirituales, earumq; assequitur proprietates; ut DEi & Angelorum. Discurrit de rebus valde abstrusis, à cognitione sensuum, & materia singulari abstractis: ex creaturarum existentia infert existentiam DEi, Spiritus purissimi, Sapientissimi, infiniti, omnipotentis, &c. Pollet libera voluntate; honesti studio

ftudio ducitur, virtutem amat, fenfuum motus regit, & frenat. Capax eft Fidei, non folum humanæ, fed etiam divinæ, aliorumq; donorum fupernaturalium, Iuftificationis, & in fortem filiorum DEi adoptionis, ac deniq; claræ Vifionis DEi, facie ad faciem, & perfectæ Beatitudinis, gloriæq; cæleftis. Quæ omnia fpiritum produnt, non brutum.

Dicitur 2. *Spiritus purus.* Licèt enim homo componatur ex corpore & anima: ipfa tamen anima non componitur ex ulla parte materiali; nec à corpore aliqua fæce materiali inficitur: fed in fe omni luce purior, fubtilior & fublimior eft. Prodit hoc manifefte ipfe modus creationis, quo ufus eft DEus, quando primi hominis corpori animam infudit. Nam Gen. 2. 7. dicitur DEus formaffe hominem (quo ad corpus) de limo terræ: *& infpiraffe* in faciem ejus fpiraculum vitæ. Quorfum hæc infpiratio ? nifi ut intelligeremus: animam hominis non effe ejufdem farinæ cum corpore, & cum animabus aliorum animalium, quæ Gen. 1. 24. juffu divino producta funt à terra, feu ex terra. Infpirata eft, ut agnofceret, fe non habere matrem in terra, feu materiam, ex qua fit educta & genita: fed folùm Patrem in cælis, cujus virtute fit creata.

Dicitur 3. *Spiritus Rationalis:* feu Mens pollens virture, non tantùm fimpliciter apprehendendi, feu cognofcendi res fibi objectas

nt

ut fit per ſenſus: ſed etiam prudens judiciū formandi de illis, & varijs ſolidisq; diſcurſibus explorandi earum cauſas, ſcrutandi eſſentias, inveſtigandi proprietates, diſcernendi differentias, & intima quæq; exeutiendi ſolertiſſimè. Tenet equidem Anima noſtra, quamdiu luteam hanc domum incolit, eum in mentalibus operationibus ſuis tenorem: ut incipiat à ſenſibus; & quæ his ſubjecta ſunt, cognoſcat primum; ut colorata, ſonora, ſapida, odorata & palpabilia: at ubi his excitata fuerit; relictis ſenſuum officijs, & obvia præſentium objectorum turbâ, evolat ad remotiſſima, & à ſenſibus penitus avulſa. Revocat præterita, prævidet futura, confert antecedentia cum conſequentibus, ſecernit ſubſtantias ab accidentibus, pretioſum à vili, honeſtum ab utili, temporale ab æterno. Ipſa operatur omnia in omnibus. Fabulatur, canit, vaticinatur, in Poëtis; & enthuſiaſmo repente correptos, vehit per Thulen & Acroceraunia, ad Garamantas & Indos. Ipſa in Oratoribus acutè invenit, ſcitè diſponit, diſertè eloquitur, blanditur, fulgurat, tonat, vincit, captivat, triumphat. In Mathematicis terras & maria metitur, cælos in ſuas ſphæras, domos, zonas partitur, aſtrorum notat, prædicitq; ortum & occaſum, concurſū & influxum. In Philoſophis varias tex t argumentandi formas & figuras, ordinat Prædicamenta, & ubi mira ſagacitate perluſtravit,

quid-

quidquid sub Naturæ jacet imperio; in se ipsam reflectitur, se contemplatur, suasq; dotes miratur. In Theologis non solùm Divorum se choris immiscet: sed ipsius summi Numinis penetralia, Fidei ductu, subit; quà mortalibus licet, speculatur, atq; prælibat, quæ DEus præparavit diligentibus se. Ipsa mira fabricat in artificibus, acies instruit in ducibus, jura dat in Principibus, regnat in regibus. Hæc & similia sunt Animæ nostræ, quatenus Mens, seu Rationalis est, studiâ atq; officia. Quis prudens eam cum brutalibus confundat?

Dicitur 4. *Indivisibilis.* Non enim coalescit ex partibus, sensim accrescentibus, ut materiales brutorum animæ: sed tota simul infunditur à DEo Creatore corpusculo hominis concepti, expers omnis partis, in morem aliorum spirituum, Angelorum & DEi, cujus imaginem & similitudinem præfert. Unde consequens est; Animam hominis, ut tota est in toto corpore, ita totam esse in quavis ejus parte: nec dividi illam, dum dividitur, vel mutilatur corpus; sed solùm desinere esse in parte avulsa: nec major est in viro, quàm fuerit in infante.

Dicitur 5. *Immortalis.* Ita enim docent divina oracula, ratio, & communis hominum sensus. Sap. 2. post relatam opinionem impiorum, existimantium, Animam hominum extingui, instar brutalis, per mortem; subjungit Salomon: *Hæc cogitaverunt, & erraverunt: excæca-*

excacavit enim illos malitia illorum. Unica enim & universalis hæc est ratio; cur quidam negent animæ suæ immortalitatem. Cùm enim sibi conscij sint plurimorum & enormium scelerum, è quibus emergere nolunt, & vitam agere homine dignam; insuper advertant, si post mortem anima maneat superstes, obnoxiam fore rigido judicio divino, supplicijsq; æternis; malunt persvadere sibi, & contra conscientiam affirmare; ut brutorum, ita hominum animas per mortem interire.

Errorem hunc perniciosissimum, seu potiùs mendacium crassissimum, manifestè redarguit Salomon, tum textu allegato sup. n. 1. ubi dicit: spiritum hominis redire ad DEum, dum corpus revertitur in terram; tum cap. 3. Eccle. ubi v. 17. ait: DEum in fine temporum judicaturum justum & impium: quod repetit ibid. c. 11. v. 9. applicatq; juvenibus; & universaliter in fine c. 12. Deniq; totum librũ Sapientiæ scripsit contra Saducæos pro immortalitate Animarum, & Resurrectione mortuorum. Non ergo intereunt Animæ hominum sed servantur ad judicium, & merita præmia vel supplicia.

Et quomodo interirent, siquidem Spiritus sunt, omnis materiæ & pugnantium qualitatum expertes? ut suprà declaratum ex Scriptura, & operationibus earum, omnem vim agendi rerum materialium longè excedentib9. Accedit gravissima Salvatoris nostri sententia,

tia, Matt. 10. monentis: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, Animam autem non possunt occidere.* Si toto apparatu crudelitatis suæ, tyranni nihil possunt in Animam: qua fronte dici potest interire cum corpore?

Manifestum proinde est, Animas nostras Immortalitatis dote gaudere: & futile, hæreticum, atq; atheismo proximum est, eam illis negare. Impij homines, ut sup. insinuatum, cùm in profundum peccatorum venerint, volunt: vel animas suas superstites non esse, ut puniantur; vel DEum non esse, qui puniat.

Dicitur 6. *Conditus ad Imaginem & similitudinem DEi.* Hoc Animam nostram encomio ornavit ipse Creator DEus, quando Gen. 1. dixit: *Faciamus Hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Non enim corpore repræsentat homo DEum, ut observat S. Ambrosius lib. 6. Hexam. c. 8. sed animâ, quæ non corporeo æstimatur, sed mentis vigore; quæ absentes videt, transmarina novit, scrutatur abdita, huc atq; illuc uno fertur momento, totiusq; orbis fines, & mundi abdita perlustrat; quæ DEo jungitur, Christo adhæret, cujus conversatio, etiam dum versatur in terra, est in cœlo. Ipsa igitur est *Deiforma spiraculum vitæ,* ut loquitur Augustinus & Chrysost. quod Creator DEus, velut de intimo divini cordis sui sacrario ducens, inspiravit protoparenti. Ipsa est pretiosa illa margarita, quam Negotiator cœlestis, DEi Filius, bonis suis omnibus sibi

ſibi, comparavit. Ipſa eſt, quam Spiritus S. in ſponſam chariſſimam ſibi delegit, & monilibus incomparabilibus exornavit. Ipſa eſt, quam tota Trias Perſonarum Divinarum ſibi conſecravit in templum, & thronum Majeſtatis ſuæ. Ipſa eſt, quâ inquinatâ, Imaginem ſuam non agnoſcit in nobis, neſcit nos, DEus: qua perditâ, perditus æternùm eſt homo.

Dicitur 7. *Naturâ ſuâ, ordinatus ad informandum corp. humanum.* Anima enim non eſt ſolùm ſpiritus aſſiſtens corpori noſtro, aut tantùm illud penetrans, ſicut Angeli boni, vel mali: ſed intimè, atq; naturali vinculo ad verùm conſtituendum hominem, illi unitur; & quidem eodem, quo à DEo creatur momento. Error fuit quorundam veterum animas initio mundi conditas, commorari in Elyſijs quibuſdam campis, donec ad corpora humana expediantur. Pejùs impegit Pythagoras, quandam metempſychoſim aſſerendo quaſi animæ de uno corpore, poſt mortem hominis tranſirent ad aliud, ad tertium, ad quartum & ſic deinceps. Dogma orthodoxum eſt: animas ſingulas tum primùm à DEo creari; quando, embrione rite formato, uniendæ ſunt corpori, creataſq; ſine mora uniri: ſeparatas verò per mortem à corpore informato, nulli ampliùs uniri: ſed in loco geſtis ſuis congruo, exſpectare corporum ſuorum reſurrectionem, plenamq; pro bene vel malè actis retributionem:

Port

Porro unita corpori Anima, triplicem in eo exercet facultatem, ubi congrua illi organa adaptata fuerint: Rationalem, Sensitivam, & Vegetativam. Vegitativâ nutrit, augmentat, & generationi idoneum reddit corpus. Sensitivam exercet tum in 5 sensibus, qui Externi dicuntur, ut Visus, Auditus, Odoratus, Gustus, & Tactus: tum in Phantasia & Imaginatione; &c. quæ vocantur Sensus interni. Per omnes hos sensus percipit, cognoscitq; objecta materialia rudi quodam modo, brutis communi. Facultatem Rationalem tirplici potentiâ exercet, Intellectu, Voluntate & Memoriâ. Intellectu cognoscit, apprehendit, judicat, discurrit; Voluntate appetit, amat, odit, desiderat, gaudet, &c. Memoriâ retinet, revocatq; cognita. Deniq; id est Anima in homine, quod DEus in mundo.

Agnoscis jam nobilitatem, & pretium Animæ tuæ, Florimunde? Æstima igitur illam super omnia mundi bona, exorna quam elegantissimè virtutibus & scientijs, ama incomparabiliter plùs quàm corpus; ad servandam illam in vitam æternam, ne dubites, quibus vis molestijs, & ærumnis exponere corpus; ne graveris, bonorum omnium, honoris, famæ, & ipsius vitæ temporalis facere jacturam. Insideat altissimè menti & cordi tuo illud oraculum Salvatoris Matt. 16. 26. QUID PRODEST HOMIMI, SI MUNDUM UNIVERSUM LUCRETUR, ANIMÆ VERÒ SUÆ DETRIMENTUM PATIATUR?

Omnia

Omnia si perdas, Animam servare, memento.
Hæc tibi sit maxima maximarum.

§. 6.

Nosce te Hominem.

PRobè cognitis partibus tui constitutivis, posses videri tibi satis notus, Florimunde. Nihil enim est totum, quàm omnes simul partes: adeoq; cognita Anima rationali & Corpore humano illi unito, cognitus videtur homo. Sed advertere oportet: non pauca convenire toti, quæ non conveniunt partibus ejus singulis: deinde dum versamur in moralibus, id est, dum intenti sumus probè formandis moribus nostris, non satis est scire, Hominem esse Animal rationale, seu constare corpore & anima rationali: sed oportet perspectas habere ejus proprietates. affectiones, passiones, affectus, effectus. & similia, quæ prudentes & pij in homine considerare solent, & fructum carpere ex illis. Hominem igitur longè aliter describunt Ethici & Ascetæ: quàm Metaphysici arctioribus suis definitionibus exprimunt. PETES proinde 1.

QUID TANDEM EST HOMO?

Fateor, odiosam mihi esse hanc quæstionem: quia puto, tibi gratam non fore responsionem. Parum enim boni de illo dicere potero. Si quæreres: Quid fuit Homo? Multa præclara de illo referrem: ut, quòd in sta-

tu

tu innocentiæ fuerit ſplendidiſſima DEi imago, non ſolùm anîma ſua rationali, ſed etiam juſtitia originali & innocentiſſimis moribus exibens accuratam ſimilitudinem DEi: quòd fuerit civis Paradiſi, dominus mundi filius DEi, hæres cæli, animantium omnium terror & herus, ornamentum & corona totius operis divini &c. Nunc autem pudet dicere & grave eſt audire: quîd ſit homo. Non dicam igitur ipſe: ſed Dicant alîj, quorum & ſcientia, & authoritas major eſt: quid ſit Homo?

I. Audi DEum ipſum protoparenti & nobis in illo, poſt lapſum, intonantem: *In ſudore vultus tui veſcèris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es: quia pulvis es, & in pulverem revertèris. Maledicta terra in opere tuo.* Ergo terræ maledictæ Colonus eſt omnis homo; non epulis ſaginandus, nec alieni vultûs, ſed proprij, ſudore Paſcendus, non byſſo & purpurâ, ſed hirtis veſtiendus melotis. Quodſi nunc imbecillitati corporum noſtrorum pluſculum indulgetur: non inde inſoleſcendum, ſed mediocritati ſtudendum. Si indulgentiâ Domini abuſus fueris, cave: ne vel ipſe redigaris cum Beliſario ad ſtipem, vel poſteri tui redeant ad ſtivam. Nec ruſticitatis labe tantùm infecti ſumus: verùm & in pulverē redacti,. *Pulvis es, & in pulverem revertèris.* Eſt quidem ea quorundam inſolentia: ut non ex terreno, ſed Pyrio pul-

vere conflati videantur. Ita toti ſpirant ſulphur, nitrum, & carbones deſolatorios: incendunt, eruunt, evertunt, mœnia, urbes, regna. Verùm & hi, ubi detonuerunt, in lutulentum pulverem abeunt; nec aliud poſt ſe relinquunt ſæculis, quàm execrandi nominis fœtorem. Tu, Florimunde, ex limo originali, medicum tibi confice pulverem. Valet plurimùm contra capitis vertiginem & tumorem. Ubi inflari, vel ſiniſtrorſum circumagi, te ſenſeris: recipe ſcrupulum unum cum ſemiſſe, ſubactum illo Jobi leſſu: *Ecce nunc in pulvere dormiam; & ſi manè me quæſieris, non ſubſiſtam.* Job. 7.

2. Audi Iſaiam Prophetam c. 40. juſſu DEi, inclamantem: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi fl s agri Omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo* (DEo) *& quaſi nihilum & inane reputata ſunt ei.* Accinunt pöétæ, etiam ethnici. Pindarus:

Hoc quidem genus humanum Nihil eſt.

Plautus inſultat: *Hui homunculi quanti eſtis!* Petronius Arbiter, vel in aurea Neronis domo, id notavit, ingemuitq; :

Heu, heu, nos miſeros Quàm totus homuncio Nihil eſt!

Ægrè quidem id nobis perſvademus; veriſſimum tamen eſſe, Divina evincit Authoritas. Hoc enim re vera ſumus, & non plus, nec majus; quàm quod coram DEo ſumus, cujus judicium falli non poteſt.

Quidquid nobis ipſis videamur, quantumcunq;

cunq; in oculis nostris grandescamus: Veritas Domini manet in æternum (Psal, 116.) cui omnes gentes tanquam nihilum & inane reputatæ sunt. Nihil ergo es tu, nihil omnes, quantumvis proceri, proceres terræ, nihil omnes Magnates Germaniæ, Poloniæ, &c, nihil omnes Grandes Hispaniæ, Pares Franciæ, Summates Italiæ, nihil omnes principes & reges terræ, omnes Henrici Magni, Ludovici Magni, Constantini Magni, Fabij Maximi, & si quid amplius est hujusmodi ampullatorum nominum. Proinde, *Si quis existimat, se aliquid esse, cùm Nihil sit: ipse se seducit*; monet Apostolus Galat. 3. 6. Non dicit: Si quis existimat, se aliquid *Magni* esse, ipse se seducit: sed simpliciter & absolutè; Si quis existimat, se *a quid* esse. Ergo ex toto Nihil sumus. Imò si penitius nos inspiciamus, & animum advertamus ad vitia & peccata nostra: sumus quid minus & deterius nihilo. Tantò enim, prudentum judicio, homo fit minor & vilior: quantò est vitiosior. Tantò autem coram DEo major est & pretiosior; quantò virtuosior. Ad hanc igitur solidam magnitudinem aspiremus, oportet. si aliquid esse volumus: & si quid tandem sumus, totum DEo tribuamus, fatentes cum Apostolo: *Gratiâ DEi sum id, quod sum.* 1. Cor. 15. ex me Nihil.

Video te animo consternatum, Florimunde: quod omnem mundi gloriam, & te ipsum

(me quoq; non excipio) ad nihilum redegerim. Demus igitur aliquid misero Homini: non dicamus illum ampliùs cum Isaia *Nihilum*; neq; cum Jobo c. 14. *Umbram*; neq; cum Psalmographo Psal. 38. *Vanitatem*: nam & hæc non procul à nihilo distant, si non sunt ipsum Nihil. Relictis Prophetis, ut nimis, hominum judicio, rigidis, quæramus ex mundi Sapientibus: quid rei sit homo? In promptu est, respondetq;

3. Ægyptius Mercurius, Hermes Trismegistus, dictus Ter Maximus, tanquam Philosophus maximus, Sacerdos maximus, & Rex maximus: *Homo est viva mors, sensitivum cadaver, sepulchrum circumvertibile.* Acuta descriptio per antitheta. *Viva mors:* statim enim ac orimur, morimur; initium vivendi est nobis pariter initium moriendi. Quantum enim progredimur vivendo, tantum amittimus de vita nobis præfixa. *Sensitivum cadaver*: tum quia intra nos satis graveolentiæ circumferimus, & à vermibus, intus & extra, vivi infestamur; tum quia dimidia vitæ parte, sensuum officia non exercemus; ut cùm altùm indormimus & magnam diei partem stertendo consumimus, tantum suffurantes vitæ, quantum tribuimus fratri mortis somno. *Sepulchrum circumvertibile*. O quot in hoc tumulata sunt, & tumulantur in dies, cadavera boum, vitulorum, arietum, anserum, gallinarum, piscium, ne quid dicam de pere-

peregrinis speciebus! Mortibus enim vivimus; & quo possumus apparatu, victimas quotidianas litamus abdomini magis, quàm necessitati. En quàm speciosis elogijs honorat hominem Mercurius Ægyptius. Quid Europæa sentit philosophia?

4. Homo Aristoteli est *fortunæ lusus, inconstantiæ imago, corruptionis speculum, temporis spolium.* Fortunæ lusum probant, quotquot ex humili sortè, imò fæce hominum non tam eluctati, quàm aquilis provecti sunt ad summa; ut lapsu ruerent graviore, Sejani, Ablavij, Ruffini, & sexcenti alij. Agnoverunt monarchiæ maximi, Carolus V. Imperator, & Franciscus rex Galliarũ: qui cum in Hispania captivus, Carolum se invisentem, admonere voluisset ludentis fortunæ, scripsit in pariete parœmiam illam, *Hodie mihi cras tibi.* Carolus minimè offensus, subscripsit illud Terentianum: *Homo sum, humani nihil à me alienum puto.* Sed quid cœcæ cuidam deæ vicissitudines hujusmodi adscribuntur? Rectiùs pòëta Tomitanus:

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Inconstantiam hominis constantem in corpore, arguunt continua ejusdem incrementa, & decrementa; vires nunc validæ, nunc fractæ, & alternantes cum sanitate morbi: in animo ingenij levitas, studiorum varietas, consiliorum frequens mutatio, à propositis defectio, in promissis fallacia, in moribus simulatio

æmulatio, in corde paratus ad omnem auræ motus. *O dij boni, quid est in hominis vita diu?* queritur Orator Romanus, de Senect. c. 19.

Corruptionis speculum exhibet homo tam clarum & verax: ut non sit quærendum; quid in eo sit corruptum, sed quid sanum? quid integrum? Corruptionem corporis vidimus suprà, mentis etiam aliqua insinuata est proximè; nec opus est illam scrutari profundiùs, ipsa se prodit, & inverecunda erumpit in apertum, nec supprimi potest. Quantæ in intellectu tenebræ, in memoria imbecillitas, in voluntate pravitas? quàm instructa in corde malorum omnium officina? Cuduntur consilia adversùs rectum & honestum; utile pro ratione est, ratio status pro salute animæ, honor pro DEo. Sensus & cogitatio cordis humani in malum prona sunt ab adolescentia sua (Gen. 8.) exercentur & roborantur in ætate virili; utinam saperent, & intelligerent, & redirent à vijs suis pessimis in senili? Quid multis? si verum fateri volumus, *pronunciare de nobis debemus: malos esse nos, malos fuisse, invitus adjiciam, & futuros esse*: inquit Seneca. 1, de benef. c. 10. Quid ergo? desperata res est? corruptioni tantæ nulla superest medela? Absit. Quemadmodum Gratia DEi sum9 id, quod sum9 1. Cor. 15. ita Gratiâ DEi possum9 quod non possum9. Phil. 4. 13.

Deniq; *Temporis spolium* esse hominem, quis non

non videt, quis non ingemiſcit? Sicut bruma flores hortis, comam arboribus; ita tempus detrahit vigorem & gratias juvenibus, robur viris, vitam ſenibus, etiam tergiverſante morte. Nullus tam validis eſt lacertis, quem tempus non frangat; nemo tam potens conſilijs, qui tempus infeſtum eludat; nemo tam ſacer, qui ab ejus deprædatione ſit exemptus.

Omnia tempus edax depaſcitur, omnia carpit,
Omnia ſede movet, nil ſinit eſſe diu.

Senec. ep. 7. de qualitate temporis. Quidquid dicamus, vel agamus, quibuſcunq; præſidijs ſimus ſtipati, & muniti: ut olim Trojanis, ita nobis *Veniet ſumma dies, & ineluctabile Tempus*! Veniet hora, veniet momentum, quod nos ſpoliabit patrimonio, naturalibus & regalibus gratijs, honoribus, voluptatibus, opibus, amicis omnibus! Imò corpore ipſo & animâ ſpoliabit, ita ut Florimundus ille nihil niſi nomen inane ſit futurus. Non enim jam ſupererit Florimundus meus, ſed cadaver Florimundi, vermibus ſcatens, deforme, fœtidum, horribile; & Anima Florimundi, neſcio, quo loco! Heu triſte ſpolium temporis Homo!

Habes Florimunde, ex Oraculis Divinis & humanis, quid ſit Homo? Plura non congero, quàmvis in promptu habeam: ne te ipſum fugias, & hominem exuere velis. Sed

PETES 2. Quid ipſe ſentiam de Homine?

Cùm tibi negare possim nihil, dicam paucis:

5. Homo est *Animal rationale, mortale, & æternum*. Dum dico *Animal*; complector perfectiones & imperfectiones omnes corporis humani, suprà allatas. *Rationale* importat expositas jam dotes Animæ, spiritûs sublîmis, sed à corpore dependentis in operando, dum est in corpore, & non pauca vitia contrahentis ab eodem. Quod additur: *Mortale & Æternū*; videtur prædicata continere pugnantia. Quomodo enī mortale, quod æternū. Sed hæc pugna superficiaria solùm est, & apparens: appellant enim status diversos prædicata illa. Mortalis est homo in statu vitæ præsentis, quo corpus circumfert tale; cui scilicet solubili vinculo jugata est anima, vitam ipsi tribuens. Immortalis est & Æternus pro statu vitæ futuræ post resurrectionem universalem, *Tunc enim propriè ibit homo in domum Æternitatis suæ*. Eccle. 12. 5. Nunc à morte, sola illuc proficiscitur anima, & quasi possessionem adit domicilij, gestis suis congrui; quod olim cum corpore, eodem, & non alio, incolat æternùm.

Infelicissimus homo, cui vivendum erit æternùm in domo infelicis æternitatis; id est, in carcere, omni genere malorum & tormentorum instructissimo, in luctu & igne indefectibili? *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* quærit DEus per Isaiam c.

33. 14. Quis poterit habitare? & tamen quivis debebit, quàmvis non possit, sustentante illos Inferni titiones divinâ potentiâ, ad supplicia desitura nunquam. Felicissimus homo, cui contingit auream adire beatæ Æternitatis domum; & frui æternùm inenarrabilibus cæli delicijs, voluptatibus, honoribus & gaudijs!

Scire velles, Florimunde: in qua æternitate, felici, an infelici, sit domus tua? Non habeo dicere: Illud scio: te ad beatam æternitatē vocatū esse. An eò tendas & perventurus sis: tu videris. Utiq; qui tendit Babylonem, non pervenit Hierosolymam? Recole quod Matt. 7. 13. docet Salvator: *Lata porta & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem; & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam!* Reflecte te super viam, quam tenes; & Vide ne tendas ad sinistram. Deniq; pro coronide præsentis Institutionis de Notitia tui ipsius, accipe, quos subjungo, paucos, sed valde salubres Aphorismos.

Quisquis es, vel futurus es: memento te Hominem esse; & nihil humani à te alienum puta.

Quidquid alij dicant de te: tu Nosce te ipsum.

In hunc finem natus es: ut servias DEo.
Frustra vivit, perversè vivit; qui DEo non servit.

Major es; quàm ut ſis mancipium corporis tui.
Omnia ſi perdas Animam ſervare memento.
Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, Animæ verò ſuæ detrimentū patiatur?
In proſperis, & ætatis vigore, memento te Mortalem.
In adverſis & tentationibus, memento te Æternum.
In mundo ſic verſare: ut pervenias ad domū BEATÆ ÆTERNITATIS,

DEum time, & mandata ejus obſerva: Hoc eſt enim omnis Homo. Eccle. 12, 13.

INSTITUTIO III. *FUGE PECCATA.*

§. I.

Quantopere peccata fugienda ſint, præſertim Pietatis cultoribus.

UT in vera erga DEum Pietate ſolidè fundemur, & magnis proficiamus incrementis: neceſſe eſt, Florimunde; ut erga quævis peccata implacabile, & internecinum concipiamus odium, illaq; ſuper omnem aſpidem, baſiliſcum, draconem, imò dæmonem ipſum, fugiamus. Incumbit equidem hæc fuga omnibus, qui æternæ ſaluti ſuæ conſulere volunt: ijs autem potiſſimùm, qui ſolidæ Pietatis ſtudio tenentur. Nihil enim æquè adver-

adverſatur Pietati; nihil DEo ſuper omnia nobis diligendo, tam injurioſum, adeòq; inviſũ eſt, ac peccatum quodvis. Pietas in id intenta eſt, ut DEus modis, quibus poſſumus, optimis exquiſitiſſimè colatur, honoretur, magnificetur, glorificetur, & ſuper omnia exaltetur infinitè: Peccata verò ſunt ejusdem voluntaria offenſa, depreſſio, contemptus, & quodammodo horrendum, atq; infandum, Deicidium: ut infrà declarabitur. Pietas vera ordinat cæteras virtutes, tanquam earum Mater & Princeps (ut ſup. in Procœm. oſtenſum) ut auxiliarem præſtent operam, concurrantq; ad ſupremam illam Majeſtatem dignè, quantùm tenüitas humana patitur, colendam: peccata vitioſis actibus & habitibus omnes corporis & animæ noſtræ facultates, & potentias inhabiles reddunt ad cultum divinum. Pietate ordinamur ad DEum amandum & glorificandum non ſolùm temporaliter, ſed per omnem æternitatem: peccatis diſponimur ad eundem æternùm odio habendum, execrandum, blaſphemandum.

Fruſtra igitur de vera in DEum pietate ſibi blanditur: quiſquis nullam, vel modicam de peccatis evitandis curam habet. Quis enim pium dicat in parentes filium, qui una manu eos demulcet, altera colaphos infligit, vel pugionem lateribus infigit? vel qui byſſinis verbis ſumptus copioſos ab illis emungit; ſed non honori vel commodo ipſorum, verùm

 commeſſa

commessationibus & libidini suæ impendendos? Nonne hujusmodi cultores pietatis ad gregē pertinent illorum, de quibus queritur DEꝰ Isa. 1. *Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me! Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis!* Et quibus improperat Christus Matt: 15. 8. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Abijt enim post inordinata desideria sua, abiit cum filio prodigo in regionem longinquam, abijt post gregem sodalium suorum perditissimorum, abijt in profundum iniquitatum suarum: & contemnit. Egregia profectò pietas: deproperare quasdam, ut ita dicam, preculas & similia externæ pietatis deferre officia: sine mensura autem cumulare offensas!

Rejicit etiamnum DEus, prout olim Isa. 1. rejecit, ejusmodi umbratilem pietatem. *Ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi: Neomeniam, & Sabbathum & festivitates alias non feram; iniqui sunt cœtus vestri: Calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaveritis orationē, non exaudiā. Manꝰ enim vestra sangvine plena sunt. Lavamini mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè, discite benefacere &c. Et venite &c.* En qualem requirit DEus pietatem: nimirum

in

in odio & fuga peccatorum fundatam. Notavit hunc genium etiam in dijs suis Cicero, dixitq; lib II. de Divin. *Cultum deorum e e optimum, eundemq; castissimum, atq; Sanctissimum: ut eos semper purâ, integrâ, ncorrupta, & mente & voce venereris.* Hinc religiosiores DEi cultores ante alia pietatis officia præmittere solent actum doloris de peccatis commissis, firmumq; propositum de cavendis in futurum; juxta illud Proverb: c. 18. 17. *Iustus prior est accusator sui*

Quàmvis verò proximè dicta, argumento ducto à repugnantia peccatorum cum solida pietate, sufficere possent ad conjiciendos nos in fugam quorumvis peccatorum: quia tamē me non latet, quanta sit humana fragilitas, & quàm blandum malum peccata: censui, contra illa it rum armare, & in aciem educere integram Rationum Centuriam; quam quidē ante bienium speciali OPusculo edidi in lucem: nunc autem (Exemplaribus jam distractis) compendio proponam. Tu Florimunde, audi Ecclesiasticum cap. 21. & in fugam para pedes: *Quasi à facie colubri fuge peccatum. Nam si accesseris mordebit te. Dentes Leonis dentes ipsius, interficientes animas hominum. Quasi romphaa bis acuta omnis iniquitas.*

§ 2.

RATIONES GRAVISSIMÆ CENTUM, urgentes Fugam Peccatorum.

DIvidemus eas in quinq; Classes: quarum Prima petetur ex Natura peccati, & affectionibus quibusdam peccantis; Altera ex Oppositione cum Perfectionibus & Personis divinis; Tertia ex Violatione Personæ Christi; Quarta ex Effectibus, quos peccatum operatur in homine; Quinta ex Proprietatibus & varijs affectionibus peccati.

RATIONES EX NATURA PECCATI, & affectionibus Peccantis.

1. Peccatum est vera Offensa DEi. Non enim simpliciter tantùm displicet illi actus Peccaminosus; sed ita afficitur ab eo: ut verè offendi, lædi, & ad indignationem non levem concitari, meritò dicatur. Qui autem sumus nos, qui id audemus?

2. Peccatum adversatur Iudicio mentis divinæ(quod est prima & summa Regula morum, & omnis honesti) quo DEus discernit & definit: quid creaturis rationalibus est conveniens & licitum, quid non. Peccatum autem est voluntarius recessus ab ea regula, adeoq; voluntaria hominis pravitas.

3. Adversatur æquissimæ voluntati divinæ, cui omnia subsunt, quæ sunt, & quæ non sunt. Peccator autem non agit, quod DEus vult, sed quod propriæ voluntati placet: adeòq; præponit hanc illi intoleranda perversitate.

4. Peccatum est voluntaria Transgressio Legis divinæ, seu mandatorum divinorum. Omnem nutum, & minima signa voluntatis DEi

obser-

observare & pro viribus exequi deberemus homunculi: peccando autem præsumimus violare leges tanta authoritate, tot comminationibus armatas!

5. Peccatum grave est intolerabilis Contemptus DEi. Dum enim nos ad peccatum resolvimus: præ bono increato & summo eligimus creatum vilissimum, voluptatulam momentaneam, vel lucellum aliquod, vel umbrã honoris &c. & malumus illo carere, quàm isto. Quo quid indignius?

6. Est contemptus & dissolutio Amicitiæ divinæ, in quam ex nimia bonitatis suæ exuberantia nos homunciones adscivit DEus, & pretiosissimo gratiæ suæ annulo donavit: peccator autem mavult esse servus diaboli, quàm amicus DEi; & perinde illi est sive in amore, sive in odio sit apud eum.

7. Est Repudiatio Adoptionis in filium DEi; qua sorte nihil cogitari, nedum desiderari, potest felicius & sublimius: at peccator, cum prodigo illo Evangelico, ultro erumpit è domo & sinu patris quantumvis cum porcis habiturus sortem.

8. Est personalis Injuria DEi. Postponit enim Peccator in affectu suo DEum vili creaturæ, non aliter ac si quispiam effunderetur in amplexus bardi alicujus rustici, eiq; ad mensã suam primum daret locum; principi autem suo tergum verteret, foribus assidere juberet, aut penitus domo pelleret. De qua impuden-

tissi

tiſſima ruſticitate queritur DEus Ierem. 2. *Verterunt ad me tergum, & non faciem.* Sed reponit ibid. c. 18. *Dorſum & non faciem oſtendam eis, in die perditionis eorum.*

9. Peccatum eſt realis Injuria DEi. Res enim ab ipſo creatas, & in uſum nobis conceſſas ad promovendam laudem & gloriam ipſius, ſcilicet membra corporis, & potentias animæ noſtræ, intellectum & voluntàtem, convertimus in uſus peccaminoſos, & in contumeliam Creatoris: imò corpꝰ & animam tradimus diabolo.

10. Eſt ſumma Ingratitudo erga DEum. Quanta beneficia, prorſus immeriti, imò quævis ſupplicia meriti, accepimus & accipimus ab illo! Quid autem rependimus? *Retribuebant mihi mala pro bon:* queritur Pſal. 34. Erit autem tempus, quo ingratis *retribuet retributionem, unicuiq; in caput ipſorum.* Eccli. 17.

11. Eſt Contemptus ſtultiſſimus promiſſionum divinarum. Peccatori enim potior eſt mica præſentis boni, quod in actu peccaminoſo oſtentatur, quàm cælum & vita æterna cum omni voluptate & gloria ſua. Valedicunt cœlo perlibenter, modò in terra fruantur momentaneis bonis. Quæ major ſtultitia?

12. Eſt contemptus inſanus Comminationũ divinarum. Quid non agit DEus, ut homines abſterreat à peccatis? Quàm gravem comminatur iram, indignationem, furorem, ſuppli-

cia

cia, & quidem æterna? At peccandi libido hæc omnia vertit in fabulam. Quæ major insania?

13. Est Rebellio insolentissima in DEum. Quis esse, vel fingi potest, princeps tam commodus subditis suis, tam amans illorum, & liberalis in illos, ac DEus noster? Et tamen peccantes ferre nolunt paternum ejus imperium, diaboli castra sequi malunt, cujus stipendia mors æterna, & Inferni tormenta.

14. Est nefanda Apostasia à DEo. Omnis enim graviter peccans avertitur à DEo, & convertitur ad creaturam, quàm deperit. Nimirũ *gens absq; consilio est. Vtinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!* Deuter. 32.

15. Est fœdissima quædam Idololatria. Qui enim se resolvunt ad grave peccatum vel ventrem habent pro deo, ut notavit Apostolus, vel auream honoris aut mammonæ statuam, vel Veneris idolum. Hoc enim tibi DEus est, cui in ara cordis tui principem concedis locum.

16. Est Irritatio DEi. Sequitur ex dictis. Quis enim ferat tantam injuriam, contemptũ, insolentiam, & malitiam? *Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est: quia provocaverunt eum filij sui & filiæ.* Deuter. 32. sed viderint hujusmodi provocatores, an sint resistendo antagonistæ tanto, *cujus iræ resistere nemo potest.* Iob. 9.

17. Est Exacerbatio DEi. *Exacerbavit Dominum peccator.* Psal. 9. qui naturâ sua est ma-

re

te infinitum ineffabilis dulcedinis. Si gutta fellis immissa in Oceanum, totum converteret in amaritudinem acerbissimam: quanta esset illius guttæ malignitas? Plus facit quodvis grave peccatum: & amari potest?

18. Est Concitatio DEi ad furorem: ut velut immensus quidam Vesuvius, ignem, sulphur, saxa, longè latèq; jaciat, & urbes ac regna in cineres redigat. *Ignis accensus est in furore meo, & ardebit usq; ad Inferni novissima, devorabitq; terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.* Deuter. 32.

19. Peccatum facit DEum pœnitere, quod hominem creârit: ut Gen. 6. Videns DEus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore: *pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra.*

20. Est intima Afflictio cordis Divini, quemadmodum ibidem scriptura testatur: *Tactus dolore cordis intrinsecus; Delebò, inquit, hominem, quem creavi, à facie terræ &c.* En quid solatij à creatura peccatrice habeat DEus! quorsum ascendat malitia ejus!

Notandum autem quod hi modi loquendi non ita accipiendi sint, quasi DEus re vera dolorem sentiat, pœnitentiâ, irâ, furore moveatur: sed quod peccatorum nostrorum ea sit malignitas, ut apta sint hæc in DEo, causare, si capax esset; & quòd eum inducant ad talia agenda in mundo, qualia solent intimè afflicti, irati &c. Quod etiam in se-

quens

quentibus observandum.

21. Peccatum est Confixio DEi, quasi lanceâ vel sagittis. Cùm enim per Malachiam Prophetam c. 3, quæsivisset ex Iudæis; *Si affiget homo DEum?* Non enim id cadere videtur in Spiritum purissimum: Respondet ipsemet; *Quia vos configitis me: & dixistis; In quo configimus te? In decimis & primitijs;* quæ scilicet subtraxistis ministris meis. Idem est de alijs peccatis.

22. Peccatum est immane quoddam Deicidium. Horrrescis, Florimunde? Et meritò. Ita tamen se res habet. Tum quia peccatum incomparabiliter, magis adversatur Naturæ divinæ, & omnibus perfectionibus ejus (ut ex proximè dicendis patebit) quàm aqua igni, venenum animali, tenebræ luci: tum quia peccans graviter, ita est affectus; ut malit, non esse DEum, quàm præsenti commodo seu voluptate carere.

Rationes ex Oppositione peccati cum Perfectionibus & Personis Divinis.

23. Peccatum adversatur Essentiæ divinæ. Hæc enim est fons, radix, & principium omnis boni, omnis perfectionis, & honestatis, in DEo & creaturis; illud autem est principium omnis mali, inficiens & depravans, quod ex DEo participāt rationales creaturæ, bonum.

24. Adversatur Existentiæ divinæ. Peccator

tor enim vellet non esse DEum, ut liberiùs & impunè peccare posset. Quod quàmvis efficere non possit, cùm in profundum peccatorum venerit *dicit in corde suo*, quod ore non audet, *Non est DEus*. Psal. 13. Quem effectivè non potest, tollit affectivè.

25. Adversatur Sanctissimæ Trinitati Personarum divinarum: inducit enim ad aliam amandam colendamq; trinitatem pessimam, Mundum, Carnem, & Diabolum, pessima vitiorum trinitate, concupiscentiâ carnis, concupiscentiâ oculorum, & superbiâ vitæ.

26. Adversatur Patri æterno: tum quia ipsum permovit ad Filium suum Unigenitum in suscepta carne tam dirè castigandum (*Propter scelus populi mei percussi eum*, Isa. 53.) tum quia adoptatos ab eo in filios per gratiam, convertit in servos diaboli.

27. Adversatur Filio DEi. Quos enim ipse tantis laboribus, doloribus, sangvine & vita ipsa profusis, redemit, sanavit, vivificavit, conjicit peccatum in servitutem, mortem, & damnationem æternam, facitq; Sangvinem ejus divinum magna ex parte inutilem, seu infructuosum.

28. Adversatur Spiritui Sancto: quia sanctificatos ab ipso, & varijs charismatum cælestium monilibus ornatos, spoliat, pervertit, & Tartareis monstris similes efficit: adeoq; Spiritum omnis dulcedinis & consolationis contristat, Ephes. 4. 30.

29

29. Adversatur Bonitati divinæ. Non solùm enim hominis est summum malum, sed etiam DEi. Tollit enim ei debitum amorem, adeòq; dementat rationales creaturas; ut & beneficijs maximis, & comminationibus gravissimis vix, imò ne vix, impelli possint ad purissimam & infinitam illam Bonitatem diligendam.

30. Adversatur supremæ Majestati divinæ: subtrahit enim illi debitum honorem, reverentiam & cultum: imò eam enormissimo crimine læsæ infinitæ Majestatis, cujus gloria pleni sunt cæli & terra, vilissimis postponit creaturis. *Obstupescite cæli super hoc!* Ierem. 2.

31. Adversatur summæ Sanctitati divinæ, quæ consistit in summa puritate & perfectione. Peccatum enim non solùm est magna imperfectio; sed summa pravitas, perversitas, malignitas, ex hominibus jumenta, ex Angelis faciens Dœmones.

32. Adversatur infinitæ Sapientiæ divinæ. Est enim actus extremæ stultitiæ, fatuitatis & dementiæ. Nam quæ prudentia, lacessere DEum, opponere se contumaciter ejus judicio, voluntati, & mandatis æquissimis, qui omnia clarissimè videt, notat, & severissimè judicabit, vindicabitq; ?

33. Adversatur Omnipotentiæ divinæ. Solum enim peccatum est, quod DEus per omnem suam potentiam facere, seu committe-

re non poteſt. Deinde peccans abutitur peſſimè Omnipotentiâ DEi, dum invitum trahit ad cooperandum ſibi. Unde queritur. Iſa. 43. *Præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis*, Sed malè nobis ſolvetur olim hic labor.

34. Adverſatur ſupremo Dominio jurisdictionis divinæ: quia repugnat ſapientiſſimis conſilijs, legibus & diſpoſitionibus, quibus DEus gubernat hominem & mundum: nec dubitat peccator re ipſa, ſi non verbo, oblatrare: *Non ſerviam*. Ierem. 2.

35. Adverſatur divino Proprietatis Dominio, quod DEUS habet abſolutiſſimum in res omnes creatas, tanquam Conditor illarum, in honorem & gloriam ſuam. Per peccata enim avertimus res creatas ab hoc fine, & cogimus eas ſervire non neceſſitatibus ſolùm noſtris & commoditatibus; ſed luxui, libidini, ſuperbiæ &c.

36, Adverſatur juſtitiæ divinæ. Hæc enim reddit cuiq; quod ſuum eſt; imò abundantiùs reddit: peccatum autem eſt eſſentialis iniquitas & injuria ſubtrahens DEo timorem, amorem & honorem debitum, nec rarò cum injuria & ſcandalo hominum conjunctum eſt.

37. Adverſatur Liberalitati divinæ. Indignum enim facit hominem recipiendis gratijs & beneficijs divinis: adeòq; velut obturat fontem illum naturâ ſua exuberantem. Hinc oritur præceps lapſus de peccato in peccatum,

ac

ac tandem in damnationem & ignem æternum.

38. Adverſatur Charitati divinæ, effuſæ imbrium inſtar, ſuper juſtos & injuſtos; ardenter optanti, & procuranti omnium ſalutem æternam; ut vitam habeant, & abundantiùs habeant: peccatum autem partus viperinus eſt, rodens conſcientiam, torquens animam, & gignenti ſe mortem inferens temporalem & æternam.

39. Peccatum adverſatur Clementiæ divinæ, plerumq; differentis, ſemper imminuentis pœnam delicti, & facillimè reos recipientis in gratiam: at peccatum poſtulat, clamat, urget ſupplicium: quemadmodum peccata Sodomorum Gen: 18. ingenti clamore infeſtabant aures divinas, & ſolicitabant vindictam.

40. Adverſatur Miſericordiæ DEi, cujus miſerationes ſunt ſuper omnia opera ejus: peccans autem abutitur impudentiſſimè Miſericordiâ divinâ, & præcipuæ charitatis argumentum vertit in peccandi licentiam, ſecundùm duritiam ſuam & impœnitens cor theſaurizans ſibi iram in die iræ: ut loquitur Apoſtolus Rom. 2.

41. Adverſatur Immenſitati DEi, qua diffuſus per mundum univerſum & ultra, locis & rebus omnibus ſemper intimè præſentiſſimus eſt: peccata verò quid ſunt, niſi ſpurciſſimæ ſordes, quas è cloaca cordis impu-

impuri in vultum divinum impudentissimi projicimus, audentes ea in oculis divinis, quæ non auderemus in præsentia hominis honesti?

42. Adversatur Æternitati DEi. Ipse enim omnes & singulos actus nostros, necessariò, ab æterno in æternum habet in conspectu suo: peccatores autem tot odiosissima, & summè invisa obtrudunt illi objecta, quot peccata, quæ æternam illi moveant detestationem & indignationem; imò se ipsos offerunt æterno odio divino. *Nam similiter odio sunt DEo impius & impietas ejus.* Sap, 14.

43. Peccatum adversatur Libertati DEi, qua Essentialiter gaudet tum ob summam eminentiam Majestatis, tum ob liberrimum arbitrium voluntatis: peccator autem invitum, & repugnantem trahit ad cooperandum sibi etiam in actibus peccaminosis. Quod non dissimulavit DEus, Isa. 43. exprobrans peccatori: *Servire me fecisti in iniquitatibus tuis.*

44. Peccatum deniq; est Exinanitio DEi: siquidem in Satisfactionem pro ipso, Unigenitus DEi, splendor paternæ gloriæ, & figura substantiæ ejus, Patri per omnia æqualis, DEus verus de DEo verò EXINANIVIT semetipsum, formam servi accipiens. Philip. 2. 7. Quid ampliùs exspectas? Sensum non habet, saxo crudior est, quem ista non movent.

Sic opponitur Peccatum DEo, pugnat cum DEo,
pessi-

pessimeq; afficit illum. Et existimabis, te pium, & verè religiosum esse in DEum, si quidvis aliud egeris ad eum colendum: peccata autem, præsertim gravia, non fugias? Sed videamus: an Peccatum minùs, seu humaniùs affecerit, seu afficiat, DEum Hominem, Dominum ac Salvatorem nostrum?

Rationes ex violatione Personæ Christi.

45. Peccatum est extrema Humiliatio, & abjectio DEi Hominis. Ingens, & stupenda humiliatio, qua Filius DEi ad tollenda peccata mundi, semetipsum exinanivit formam servi accipiens! Sed multò est major, quod à peccatoribus imposita sit ei forma servi nequam, proclamatus ut proditor, patibulatus ut latro, factus vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis!

46. Peccatum est Causa omnium ærumnarum Christi, Salvatoris nostri, quas perpessus est in Nativitate incommodissima, in fuga in Ægyptum importunissima, in paupertate, & contemptu, in frigore & æstu, fame & siti, calumnijs & persecutionibus &c. Nisi enim homo peccasset: tam abjectam sortem Filius DEi non subijsset.

47. Est causa omnium Dolorum Christi in corpore virgineo & divino toleratorum. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum,*

quasi leprosum & percussum à DEo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra. Isa. 53.

48. Est causa omnium Dolorum Christi in animo. Unde enim illa turbatio in spiritu, sive in suscitatione Lazari, sive in ultima Cœna? Unde illa in horto tristitia, tædium, pavor, agonia; illa in cruce derelictio gravissima? Graves erant dolores corporis ex tormentis, quæ sustinebat; sed multò acerbiùs afficiebant animam, illa populi & sacerdotum malitia, & prævisa etiam Christianorum ingratitudo.

49. Est causa omnium laborum Christi. *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea* dicit de se Psal. 87. Non solùm enim fabrilibus fatigabatur laboribus, sed magis regiones percurrendo, & prædicando, ut homines à peccatis converteret ad pœnitentiam; noctes quoq; in oratione transigendo; ut Patrem æternum placaret peccatoribus.

50. Peccata inauditam illam tyrannidem tempore Passionis exercuerunt in Christum. Avaritia ipsum vendidit & prodidit; Acedia oranti in horto sangvineum sudorem expressit;; Luxuria vestibus nudavit & flagellavit; Invidia accusavit, & calumnijs oneravit; Gula fel & acetum propinavit; Superbia sprevit, spinis coronavit, inter latrones deputavit, & cruci affixit; Ira captum raptavit, pugnis contudit

tudit, sputis fœdavit, Crucifige, crucifige clamavit, in mortuum lanceâ ſævijt.

51. Peccata deniq; Regem gloriæ, Salvatorē, & delicium generis humani, Magnum DEum, morte turpiſſima condemnatum crucifixerunt, occiderunt! Quid immanius cogitari poteſt? Non solùm igitur parricidij, ſed Deicidij rea ſunt peccata hominum & quidem non affectivè tantùm, ſed effectivè commiſſi in Chriſto. Vulneratus enim eſt, attritus & contritus propter peccata. Iſa. 53.

52. Multò acerbiora fuerunt Chriſto peccata hominum, cooperantium ad necem ipſius quàm tormenta quævis, omnes corporis dolores, & mors ipſa. Iſta enim, quantumvis acerbiſſima, libenter ſuſtinebat propter voluntatem & gloriam Patris, atq; ſalutem noſtram: illa verò malitia ingratiſſimi populi, illa odia, & rabies plus quàm ferina, afficiebant animam ejus planè intolerabili cruciatu.

53. Non solùm Iudæorum, ſed noſtra etiam Peccata & mea, & tua, & cujusvis in particulari, rea ſunt paſſionis, dolorum & Mortis Chriſti. Sicut enim omnium omnino, & ſingulorum, ſuſceperat in ſe expianda Peccata: ita ab omnibus, & pro omnibus paſſus, & mortuus eſt. Pro cujuslibet enim noſtrum peccatis exigebat Iuſtitia divina à Chriſto ſatisfactionem condignam; quæ ſecundum præſentia decreta divina, non aliter præſtari po-

terat, quàm per passionem & mortem Christi.

§ 4. Quodlibet grave peccatum nostrum est Renovatio Passionis Christi. Non quòd Christus jam gloriosus, impassibilis & immortalis, dolorem aliquem inde in corpore vel animo percipiat: sed quia ponimus causam, propter quam Christus passus & mortuus est; quæ idem, quod olim, operaretur in illo, si adhuc esset passibilis, & nondum esset condigna satisfactio præstita: re vera autem offendit ipsum non minùs, si non magis, quàm excæcatorum Iudæorum, & infidelium satellitum Romanorum malitia.

§ 5. Est Conspurcatio divini sangvinis Christi. Eodem enim actu peccaminoso, quo quis maculat, fædatq; animam suam, Christi sangvine mundatam & sanctificatam; polluit sangvinem Testamenti, ut loquitur Apostolus ad Hebr. 10. 29. id est, Sangvinem Christi, quo novum Testamentum conditum & firmatum est, homo autem sanctificatus.

§ 6. Est Conculcatio Filii DEi. Proh nefas infandum! Eòne se extendit malitia humana: ut supremam illam Majestatem, non in mortali corpore conversantem in terris, sed sedentem ad dexteram Patris in cælis, quasi inde detractam conculcare præsumat? Ita omnino est. Ad exprimendam peccatorum gravitatem, & contemptum. qui per illa irrogatur Christo, utitur hoc non hyperbolico, sed emphatico loquendi modo, Apostolus

tus proximè citatus.

§ 7. Eſt Illuſio Chriſti. Quid enim aliud agunt, qui Chriſto nomen dederunt, & ab illo nomen ſanctius acceperunt, qui gratiam & legem ejus ſuſceperunt, qui in fide & nomine ejus ſalvari ſperant; & nihilominus tam liberè tamq; graviter peccant, ac ſi Chriſtum non noſcerent, non ſolùm Salvatorem, ſed etiam Iudicem ſuum, & peccatorum vindicem: quid, inquam, aliud agunt; quàm quòd ipſũ ludibrio traducant ſeu ut loquitur Apoſtolus Hebr. 6. v. 6. *Filium DEi oſtentui habeant?*

§ 8. Eſt iterata Crucifixio Chriſti. Quis credat? Credendum autem Apoſtolo id prædicanti Hebræis, loco proximè citato: ubi Chriſtianis graviter lapſis exprobrat gravitatem peccatorum commiſſorum, arguitq; illos, tanquã rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium DEi. Et hoc eſt eſſe Chriſtianos, fideles Chriſti, populum electum, gentem ſanctam? Indignamur ſcilicet, atq; iraſcimur Iudæis, quòd ſuum & mundi Salvatorem, in crucem egerint: ipſi autem nonne ſimile, imò quid pejus, patramus quotidie, rurſum Crucifigentes nobismetipſis Filum DEi?

§ 9. Multò graviora, & Chriſto acerbiora ſunt peccata Chriſtianorum, quàm Iudæorum & ſatellitum, à quibus crucifixus eſt, & occiſus. Tum quia longè clariorem & pleniorem & certiorem habemus notitiam Excellentiæ & dignitatis, atq; Divinitatis Chriſti (*ſi enim* il-

li æquè *cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* 1. Cor. 2. 8) tum quia pluribus & majoribus beneficijs sumus ab eo cumulati. Erubescamus igitur, horrescamus, & totis artubus contremiscamus oportet, Christiani: dum de committendo agitur peccato.

60. Deniq; peccatum quodvis grave, est Passionis & Meritorum infinitorum Christi exinanitio, seu evacuatio. Redduntur enim in peccatore, quàmdiu non agit debitam pœnitentiam, infructuosa & inania: sicut in ægroto, quamdiu non abstinet cibo, vel potu vetito à medicis, infringitur & inutilis redditur oblata medicina, quantumvis ex se efficacissima. Unde Christum conqueri oportet: *Quæ utilitas in sangvine meo?* Psal. 29. Et Isa: 49. *In vacuum laboravi: sine causa & vanè fortitudinem meam consumpsi.* Viderint autem impœnitentes: quam carò ipsis aliquando solvendum erit dilapidatum Redemptionis suæ pretium infinitum.

Vidisti, Florimunde, & exhorruisti, arbitror: quàm malè, & immaniter peccatum affecerit, & afficiat Filium DEi, Dominum & Salvatorem nostrum gratiosissimum. Videamus jam; quomodo se habeat erga authorem suum, ipsum hominem, à quo committitur.

Rationes ex Effectibus, quos operatur peccatum in homine.

61. Peccatum est Maximum hominis malum

lum. Quæcumq; tibi imaginari potes hominis mala, compara cum isto: & habebunt se respectu ipsius, non dico, ut atomus vel arenula respectu maximi montis, aut ut guttula roris respectu Oceani; sed vix habebunt umbram mali. Manifestum id est inprimis ex jam dictis: pravitatem enim illam & perversitatem, quã homo exercet erga DEum, & Christum ejus per peccata, quis non videt, esse maximum hominis malum? Augebitur autem ad stuporem ex mox dicendis.

62. Peccatum reddit hominem sibi ipsi maximè injuriosum. Nam, ut notat S. Thomas lib. 3. de erud. princ. c. 3. mavult esse malus, quàm bonus; diaboli servus, quàm DEi filius; in statu latronis, quàm regis; mente captus, quàm sanus &c. Deinde nec homo alius, nec fera bestia, nec Dæmon, nec DEus ipse tantum mali inferre potest homini, quantum ipse sibi per peccatum. Ipse enim sibi infert malum culpæ & vitij: isti autem solùm malum pœnæ; quod malo culpæ longè minꝰ est, juxta communem Patrum, Theologorum & Ethicorum sensum.

63. Peccatum vertit hominem in brutum, imò facit bruto pejorem. Tritum est illud Psal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis* Peccans enim non regitur ratione, sed trahitur affectu, rapitur æstu concupiscentiæ vel iræ. Bruta nec edunt, nec bibunt

bunt ultra necessitatem, rectoribus & pastoribus suis obsequuntur, ferunt onera imposita &c. Quid horum insolentia hominum?

64. Facit hominem insensibilem. Docent magistri, clamant prædicatores, vellicat conscientia, monet DEus, terrent horrenda peccatorum exempla, undiq; inculcatur: *Fuge peccata*; *Age pœnitentiam*. At surdo fabula: nec sua videt pericula, nec sua sentit mala. Iam fere aduritur ignibus Inferni: & curat nihil.

65. Spoliat hominem bonis corporis, amœnitate vultûs (scelus enim plerumq; est luridum) & sanitate membrorum. Superbi enim & invidi hecticâ tabescunt, iracundi podagrâ torquentur, libidinosi Stygijs ignibus torrentur, gulosi sterquilinia sunt morborum &c. Spoliat deniq; ætate diuturniore. *Ne impiè agas multùm, & noli esse stultus; ne moriaris in tempore non tuo*: monet Ecclesiastes c. 7.

66. Spoliat hominem bonis fortunæ: ut bonâ famâ, opibus, honoribus. Quàmvis enim impij non rarò malis artibus sibi parent nomen celebre, divitias multas & dignitates: hæc omnia, detectis fraudibus, vel improvisis eventibus, citò desinunt in ipsis, vel posteris eorum. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani: & transivi, & ecce non erat: & quæsivi, eum, & non est inventus locus ejus*. Psal. 36.

67. Spoliat hominem naturalibus bonis Animi;

nimi; ut vigore & acie mentis, ad exercendos actus homine dignos, & prævidenda futura; rectitudine voluntatis, quam sensuales affectus rapiunt ad illicita; quiete conscientiæ, quam infestat & exagitat memoria delictorum; usu scientiarum acquisitarum, quas obtrudunt contracti habitus vitiosi &c. Ut meritò S. Crysost. hom. 28. in ep. ad Rom. peccatum appellet *Spontaneam insaniam*.

68. Spoliat bonis Animi supernaturalibus: imprimis Gratiâ divina Iustificante, qua constituimur amici & filij DEi; deinde habitibus infusis virtutum supernaturalium, specialibus DEi favoribus & luminibus, jure ad percipiendum Sacramentum Euchristiæ, &c: ut nihil miserabilius sit in mundo animâ peccatrice, possitq; illi meritò improperari illud Apoc. 3. *Dicis: quòd dives sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser & miserabilis, & pauper. & cæcus, & nudus!*

69. Spoliat fructu omni bonorum, quæ per omnem anteactam vitam homo exercuit. Manifestum est decretum divinum Ezech. 18. *Si averterit se justus à justitia sua: omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Miserandum sanè spectaculum (ingemiscit S. Basilius hom. in princ. Proverb.) post jejunium, post asperam degendæ vitæ rationem, post assiduas preces, post uberes lachrymas, post continentiam annorum fortasse 20 vel 30, propter animæ negligentiam & incuriam, o-

E 5. mnibus

mnibus orbari !

70. Spoliat vitâ, gloriâ, & beatitudine æterna. Proscripti enim pridem sunt è cælo omnes operarij iniquitatis. *An nescitis, quia iniqui regnum DEi non possidebunt? Nolite errare. Neq; fornicarij, neq; idolis servientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; avari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces, regnum DEi possidebunt.* 1. Cor. 6. O quale, & quantum regnum non possidebunt in æternũ! Ibi vita sine morte & infirmitate, ibi gloria sine confusione, ibi Beatitudo summa sine fine. Nolite errare: Non possidebunt!

71. Spoliat ipso DEo. Quid amplius & luctuosius dici potest. Utcunq; tolerabilia essent cætera damna: hoc unum superat omnia; imò ex ipso fluunt cætera omnia. Qui DEum habet, etiam in omnium aliorum bonorum defectu habet Omnia: cùm DEus sit Omnia; ut sup. Instit: 1. ostensum. Ergo qui DEum perdidit, perdidit omnia, etiamsi cæteris abundaret. Perdit autem peccator DEum, quo ad fructum & solatium ex ipso referendum: retinet, quo ad judicium & supplicium ab ipso exspectandum.

Heu! Quantis nos bonis privat peccatum! Heu! heu! heu! quantis nos addicit malis!

72. Facit hominem exosum, & summè odibilem DEo, Angelis, & hominibus probis, imò creaturis omnibus. *Odio sunt DEo impius,*

impius, & impietas ejus. Sap. 14. Hostem DEi, quomodo non detestetur omnis creatura? Erit, quando tam impudenter offensus DEus, *acuet diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Sap. 5. 21.

73. Fœdissimè inquinat animam, conspurcat Imaginem DEi in homine, & tollit mortalem cum illo similitudinem; adeoq; in horrendum commutat monstrum. Nec potest hæc fœditas tolli quibusvis naturalibus medijs, sed solo Filij DEi sangvine. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith: maculata es in iniquitate tua coram me: dicit Dominus.* Ierem. 2.

74. Miserè excæcat hominem. Nimirum ascendentibus ex impuro corde, velut ex puteo abyssi, pravis densisq; cupiditatum vaporibus & fumis, extinguuntur lumina supernaturalia, obscuratur lumen rationis, intellectus velut in Ægyptijs tenebris, nec detegit præcipitia, nec ostendit, quò se homo recipiat; ideoq; de peccato in peccatum fit lapsus. Patet in adultero Davide: qui non citiùs agnovit lapsum suum gravissimum, euq; non unum; quàm ei exprobraret Nathan.

75. Facit hominem impotentem ad exercenda opera salutaria: ut nec converti possit per pœnitentiam, nisi DEus ex singulari misericordia ipsum respiciat, excitet, ac adjuvet. *Perditio Tua Israel: tantummodò in me auxilium tuum.* Oseæ 13. Unde Augusti-

gustinus in Psal. 98. Idoneus est homo ad vulnerandum se: numquid idoneus est ad sanandum se?

76. Facit inquietum, anxium, nullibi securum. *Non est pax impijs; dicit Dominus.* Isa. 48. Sunt quidem, qui lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, Prov. 2: at eorum lætitia sincera & stabilis non est, cum semper circũferant vermẽ intus rodentẽ. Si cæteræ deessent pœnæ: *prima & maxima peccantiũ pœna est, peccasse*: inquit Seneca ep. 97.

77. Facit captivvm & servum diaboli. Nam ut dicitur 2. Pet. 2. 19. *à quo quis superatus est, hujus & servus est*, Et 2. Tim. 2. dicuntur peccatores esse *in laqueis diaboli, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Permittere nunc illis videtur multam licentiam: sed illi tantò magis se implicant ejus laqueis, quantò majore utuntur licentiâ.

78. Occidit corpus & animam. *Stipendia peccati Mors.* Rom. 6. Tolerabile esset, si in solùm corpus sæviret peccatum: at tyrannidem suam exercet in ipsam quoq; immortalem animam! Moritur enim anima, dum à DEo separatur. Ut enim corporis vita est anima, ita animæ DEus: inquit August. *Va autem eis, cùm recessero ab eis!* dicit Dominus Ose. 9.

79. Præcipitat hominem in Infernum. Non dubito Florimunde, te intelligere significatum hujus vocabuli, Infernus; & hunc

apud

apud te non esse anilem fabulam, aut pictorum commentum. Satis igitur malorum, imò Omne malum, expressi; dum dixi: à peccato præcipitari hominem in Infernum.

80. Peccatum deniq; addicit hominem Æternis Inferni supplicijs. Jam nihil pejus, aut huic malo par, dicere possum. Torqueri in illa dæmonum officina die integro, ô quantum, quàm intolerabile tormentum! Quid si anno integro, quid si toto sæculo, quid si annis mille, ea carnificina, in corpore & anima, sustinenda esset, sine ulla, etiam momentanea, remissione, vel consolatione? At anni mille, vel sæcula mille, nec momentum faciunt respectu Æternitatis, cujus finis nullus.

O PECCATUM, INFELIX INFELICIS ÆTERNITATIS MATER!

O ÆTERNITAS, INTERMINABILE, SED JUSTISSIMUM, PECCATI SUPPLICIUM!

Cui sanæ mentis jam lubeat peccare? Producamus tàmen adhuc duplicem Decadem Rationum urgentium Fugam peccati.

Rationes ex Proprietatibus & varijs affectionibus Peccati.

81. Peccatum est Malorum omnium Maximum. Nihil enim in tota creaturarũ universitate reperitur; quod ita repugnet rectæ rationi, humanæ & divinæ, tamq; malè afficiat DEum & hominem, imò orbem universum, ac Peccatum: ut ex dictis & dicendis manifestum

ſtum eſt. Unum igitur ex maximis mundi Mirabilibus eſt: quod reperiantur homines, iiq; non pauci; qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.

82. Peccatum eſt Solum malum. Sexto enim die Mundi conditi, *vidit DEus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. Gen. 1. Et quomodo non eſſent bona, & valde bona, talis artificis opera? Solum proinde inter res omnes creatas malum eſt peccatum. Non enim eſt opus DEi, ſed hominis & diaboli. Advertit hoc etiam in tenebris gentilitatis Tullius, docetq; lib. 3. Tuſc. quæſt. Sapientem in adverſis etiam hoc ſe ſolari; quod ſciat. *Nullum malum eſſe niſi culpam*.

83. Peccatum eſt Cauſa omnis mali. Quàmvis, ut proximè indicatum, omnia à DEo creata, bona ſint ſecundùm ſe, non mala: non pauca tamen ab hominibus mala dicuntur, quia ſibi noxia experiuntur; ut ſunt animantia fera & venenata, tempeſtates, bella, peſtilentia, morbi &c. Verùm quod hæc omnia ſint mala, ſeu noxia: à peccato eſt. Hoc in hominem concitavit feras, & bella, virus infudit ſerpentibus, genuit morbos & mortem &c. Si igitur illa odimus & fugimus: iſtud deteſtandum, & fugiendum magis.

84. Peccatum eſt malum totius Mundi. Nam in cælo Empyreo ingentes fecit ruinas per tertiam Angelorum partem in Tartara

tara præcipitatam; magnis cæli luminaribus non unam induxit ecclipsim; abyssi magnæ solvit cataractas, ad demergendum orbem terrarum; ex aëre nunc sulphureos fudit ignes, nunc inter immanes grandines horrenda jecit fulmina; maria crebrò confudit cum terris, terras horrificis concussit motibus; & quid non movit in capita authorum suorum?

85. Peccatum est purum putum malum. Cætera, quæ mala dicimus, non parum habent boni; & si prudenter illis uti velimus, multum nobis conferre possunt commodi; ut morbi, egestas, persecutiones, calumniæ &c. Peccatum autem in se, & in cute, nihil omnino boni habet, nec in homine operari potest. Antequam comittatur, magnam boni ostentat speciem: ubi commissum est, larvam deponit, meramq; prodit malignitatem.

86. Peccatum est malum dolosissimum: est venenum melle conditum, est gladius anceps in aurea vagina, est anguis in herba; non autem de genere terrestrium serpentum, qui statim ac sub aspectum veniunt, horrorem incutiunt, atq; in Fugam impellunt; sed est propago illius Paradisiaci serpentis, qui blandissimos inter sermones venenum fudit, & occidit. Non vis lædi? fuge vel umbram illius.

87. Peccatum est malum corrumpens optima. Quàm innocentes, quàm decori, quàm

quàm sancti, Deoq; grati, ante lapsum, Angeli in cælo, protoparentes nostri in Paradiso? Momentaneum unum peccatum ex Angelis fecit diabolos ; ex humani generis principibus nudos, luridos, maledictos terræ colonos. In ipso DEo quantam facit metamorphosim! Testatur Psalmographus de ipso Psal. 17. *Cum sancto sanctus eris; & cum perverso perverteris.* O Circen triveneficam, quæ tales inducis metamorphoses; quis amet te?

88. Peccatum est malum, etiam insontibus fatale. In universali cataclysmo, & aliàs non rarò, in fortuitis incendijs, pestifera lue &c. nonne cum hominibus perierunt jumenta, & volucres cæli; cum peccatoribus adultis infantuli insontes, cum tabernaculis impiorum etiam templa sacra DEo?

89. Peccatum est malum Pestilentissimum, & maximè infectivum. Vix aliquis sibi soli peccat; ut luem, qua correptus est, non diffundat ad plures, sive per oculos, sive per aures, sive alios sensus. Pauca præterierant sæcula à mundo condito: & jam querebatur DEus Gen. 6. Multam malitiam esse in terra, repletam esse iniquitate, & omnem carnem corripuisse viam suam. Utinam nunc paucioribus opus esset vespillionibus ad efferendas animas hac lue extinctas!

90. Peccatum est malum naturaliter insanabile. Ut contra vim mortis non est medica-

dicamen in hortis: ita contra peccati cujusvis malignitatem nulla Gallenicorum aut Chymicorum, nulla Hippocratis vel Æsculapij, prosunt pharmaca. Divino sangvine curari oportet hujusmodi paroxismos, hæc vulnera! Disce homo ex remedij pretio, morborum tuorum malignitatem.

91. Peccatum est malum, quod etiam sanatum timeatur: *De propitiato peccato noli esse sine metu:* monet Siracides c. 5. 5. Nescis enim an dignam egeris pœnitentiam. Deinde scias: dimissâ culpâ & pœnâ æternâ, restare non levem pœnam temporalem justitiæ divinæ pendendam: quemadmodum David rex, acceptâ per Nathan Prophetam notitia de dimisso sibi à DEo peccato, nihilominus gravibus calamitatibus in pœnam exagitatus fuit.

92. Peccatum est malum summè dedecens creaturam rationalem. Præclarissima celebratur Stoici Romani, Senecæ, sententia: *Licet scirem, homines ignoraturos, & DEum ignosciturum: tamen peccare nollem ob peccati turpitudinem.* Idem ep. 97. docet: nullum peccatum esse impunitum: *quia prima & maxima peccantium pœna est, peccasse.* Audiant Christiani, & erubescant.

93. Peccatum est gravissima peccatoris Accusatio. Si nec dæmones, nec homines injuriati, nec Angeli, nec creaturæ aliæ, per turpem abusum violatæ, reum agerent pecca-

catorem coram tribunali divino: non deesset gravissima, & non refutabilis Accusatio, ipsum peccatum. Nec solùm accusabit, sed statim à momento, quo comissum est, accusat. *Peccatum meum contra me est sempe*: ingemiscit pœnitens David Psal. 50.

94. Peccatum est stigma servile, fronti peccatoris impressum. Præclarè Augustinus lib. 2. de Civit. c. 3. *Bonus, etiamsi serviat, liber est: malus autem, etiamsi regnet, servus est; nec unius hominis; sed, quod est gravius, tot dominorum, quot vitiorum*. Multi tamen amant hanc servitutem suam, maluntq; sibi dominari diabolum, quàm Christum.

95. Peccatum quodvis quavis morte corporali pejus Agnovit hoc, asseruitq; Aristoteles: qui quàmvis dixerit, Mortem esse terribilium omnium terribilissimum: addidit tamen lib. 3. Eth. *Melius est mori, quàm facere aliquid contra bonum virtutis*. Disertius & fortius S. Anselmus Episc. Cantuarien: *Malo insilire in rogum ardentem, quàm peccatum ullum sciens admittere in DEum meum*,

96. Peccatum quodvis est pejus diabolo. Cùm enim Angelus non aliunde factus sit diabolus, quàm per peccatum: necesse est hoc illo pejus esse, juxta illud philosophorum: Propter quod unumquodq; tale, ipsum magis. Unde S. Chrysostomus, licèt in Psal. 41. asserat, tam fœdum & horrendum aspectu esse diabolum; ut hominem illico exanimaret, si

totam illi fœditatem ſuam monſtraret: tamen hom. 28. in ep. ad Rom. aſſeverare non dubitat; longè pejus & horribilius eſſe peccatū.

97. Peccatum eſt pejus Inferno: quàmvis huic nullum malum in mundo par ſit; cùm ſit locus omnium malorum aggregatione horribilis. Infernus enim ſolùm eſt pœna peccati, non culpa; quæ quavis pœnâ pejor eſt. Deinde pœna inferni malum eſt phyſicum, culpa verò malum morale, quod eſt altioris ordinis. Unde peccatum lethale per omnem æternitatem ignibus, alijsq; Inferni tormentis expiari non poteſt. Deniq; peccatum eſt cauſa Inferni conditi, non contrà.

98 Peccatum eſt malum Infinitum. Tum quia privat hominem bono infinito, quale eſt DEus; atq; gaudijs infinitis, quibus in cœlo frueretur per totam æternitatem: tum quia ex dignitate perſonæ, quæ offenditur, creſcit gravitas offenſæ. Cùm igitur læſa Majeſtas divina ſit infinita; refundit in peccatum quandam infinitatem culpæ & iniquitatis.

99. Peccatum eſt malum Incompræhenſibile. Cùm enim acies intellectus noſtri ſit finita & limitata; peccati autem malignitas ſit illimitata, ſeu infinita: complecti plenè cogitatione non poſſumus ejus pravitatem, fœditatem, & odibilitatem. Et tamen dum ad peccatum nos reſolvimus, plerumq; dicimus: Nihil eſt hoc!

100. Peccatum eſt Omne Malum. Sicut enim

nim ſummum Bonum, DEus, complectitur in ſe reliqua omnia bona: ita ſummum malum, peccatum, in ſe contineat oportet, cætera omnia mala. Continet autem tam *Cauſalitate*; quia eſt cauſa aliorum omnium malorum, ut num: 83. quàm Eminenter: quia illorum malignitatem longè excedit; ut ex tota Rationum ſerie patet.

Multò plura in odium peccati dici poſſent: ſed hæc abundè ſufficient cuivis ſanæ menti.

§ 3.

Quæ vitia Iuventuti maximè ſint vitanda.

FLorimunde, omnem hominis ætatem vitia infeſtant non pauca: juvenilem plurima. Nam, ut notavit Philoſophus 8. Eth. 3. juvenes affectibus vivunt. Quod volunt (plerumq; autem inordinatè volunt) vehementer volunt. *Adoleſcentum cupiditates*, inquit Plutarchus de vit. mor. *ob copiam & calorem ſangvinis, celeres, feroces, ardentes, atq; rabida ſunt.* Cogitationes bonas, ſanaq; propoſita, quàm citò concipiunt; tam citò deponunt: ut meritò illis accinat Venuſinus (de arte poët:)

Mutatur in horas
Imberbis juvenis. Tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibusq;, & aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Utili-

Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq;, & amata relinquere pernix
Genium juvenum expressit & Salomon Sap. 2. ubi eos sic inducit sese cohortantes, ad indulgendum genio. *Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ &c. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt; & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ: ubiq; relinquamus signa lætitiæ; quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.*

Hinc patet: quatuor potissimùm generibus enormium vitiorum obnoxiam esse juventutem. 1. *Impudicitiæ*. Dicunt enim: Nemo sit exors luxuriæ nostræ: Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. 2. *Intemperentia* in cibo & potu. Venite, fruamur bonis: vino pretioso, & ungventis nos impleamus. 3. *Otio:* Ubiq; relinquamus signa lætitiæ. De labore, negotijs, & occupationibus honestis. mentio nulla. 4. *Mendacio.* Quoniam hæc est pars nostra, inquiunt, & hæc sors: quod falsissimum est. Numquid enim eadem est juvenum, quæ vitulorum, & emissariorum equorum conditio? Num adolescentia transigenda, ut transigitur æstas à cicadis, canendo & saliendo in pratis? Recole dicta sup. Instit. 2. §. 2. de Fine ortûs, seu

ſeu Creationis noſtræ. Hæc eſt igitur quadriga, qua per latam & ſpatioſam mundi viã, & florulentos Babylonis campos vehuntur juvenes, & paſſim Orco invehuntur, Impudicitia, Intemperantia, Otium & Mendacium: quorum fœditatem, & incredibilia, quæ adferunt, damna paucis perſtringam.

I. Impudicitia, ſeu luxuria, eſt inordinatus appetitus delectationis Venereæ; tam abominabilis DEo: ut propterea (quod de nullo alio vitio traditur) pœnituerit eum, quod hominem feciſſet in terra. Gen. 6. & *præcavens in futurum, & tactus dolore cordis intrinſecus* dixerit: Delebo hominem, quem creavi, à facie terræ, ab homine uſq; ad animantia &c. Nota illud *Præcavens in futurum*: id eſt, ut poſtea naſcituros homines abſterreret ab hoc vitio; univerſali diluvio totum orbem terreſtrem demerſit, octo ſolùm animabus de familia juſti Nòé ſalvatis. Idem vitium cùm invaſiſſet in Pentapoli Sodomam, Gomorrham, & finitimas civitates, igne cælitus demiſſo funditus evertit. Nec ullum eſt ex poſterioribus ſæculis, quo non horrenda ediderit exempla vindicis juſtitiæ in homines porcinos. Quæ ſi omnia deeſſent, ſi nullus ultor eſſet: adhuc ſupereſſent innumera & graviſſima mala, quæ homini ingenuo execrabiliſſimum redderent hoc vitium.

Lege S. Cyprianum, de bono pudicitiæ, & videbis: quod ſicut *Pudicitia eſt Honor corporum*

orna-

ornamentum morum. sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domûs, concordia caput; ita contrà Impudicitia, *blanda priùs, ut plus noceat, sit incendium conscientiæ bonæ, mater impœnitentiæ, ruina melioris ætatis* (id est juvenum) *contumelia generis &c.* Lege Ambrosium lib. 1. de Cain & Abel. c. 5. & videbis: quòd *Sævus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, à ratione revocat, aufert consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat; nullus peccandi modus & inexplebilis scelerum sitis, nisi morte amantis, extingui non potest.* Lege Hieronymum lib, 1 cont. Iovinian. ubi ait: *Amor formæ rationis oblivio est, & insaniæ proximus; fœdum, minimèq; conveniens animo sospiti vitium: turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humiles detrahit; querulos, iracundos, temerarios durè imperiosos, serviliter blandos, omnibus inutiles, ipsi novissimè amori, facit.* Vis pòetas? Audi Silium lib. 15.

Quippe nec ira deûm tantũ, nec tela, nec hostes,
Quantum sola noces animis illapsa voluptas.
Ebrietas tibi fida comes, luxus, & atris
Circa te semper volitans infamia pennis.

Audi Claudianum *de laud. Stilicon lib.* 2.

Luxuries prædulce malum: quæ dedita semper
Corporis arbitrijs, hebetat caligine sensus,
Membraq; Circeis effœminat acriùs herbis.
Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior ulla

Interi

Interius; fucata genas, & amicta dolosis
Illecebris, torvos armo circumlinit hydros.

Parendum proinde Apostolo, Ephes. 5. monenti: *Fornicatio, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis*. Rationem dat, Rom. 8. 13. *Si enim secundùm carnem vixeritis moriemini*. Nimirum morte accelerata, morte impiorum pessima, morte æterna. *Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis*; concupiscentias scilicet carnales; *vivetis*: vitâ homine dignâ, vitâ gloriosâ, vitâ æternum beatâ.

Advertendum verò 1: Non solo illicito cum fœmina concubitu violari Pudicitiam, & committi impudicitiam iræ DEi, ac æternorum Inferni suppliciorum ream: verùm etiam quovis voluntario libidinoso aspectu, colloquio, auditu, tactu; imò vel solâ internâ concupiscentiâ, juxta disertam Christi declarationem Matt. 5. 28. *Dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem: ad concupiscendum eam; jam mœchatus est eam in corde suo*: adeoq; crimen commissum est, quàmvis non consummatum. 2. Nec solâ fœminæ concupiscentiâ, vel tactu libidinoso, graviter peccatur: sed etiam quavis in proprio corpore ultro per tactum quæsitâ, vel per obscœnas cogitationes admissâ, delectatione Venerea. Quod dicitur peccatum Mollitiei, & Pollutionis: qui verò illud committunt, vocantur ab Apostolo 1. Cor. 6. 9. *Molles*, & à regno DEi excluduntur. Peccant enim in DEum & corpus suum, multis præcla-

clarisq; dotibus à DEo honoratum. Sed hæc alijs, non tibi, dicta sint Florimunde; cui video virgines purpurascere genas. Non onerabo pluribus verecundiam tuam; quin potiùs eam honorabo egregio Scaligeri disticho, lib. 4. Epidorpid.

Cui pura manus, puraq; mens, linguaq; pura:
Exuit hominem; qui hominem induit, DEumq;.

II. Alterū juventuti quàm maximè fugiendum vitium, est INTEMPERANTIA in cibo & potu. Nam 1. officit studio literarum & sapientiæ. Veteri parœmiâ dictum est apud Rhod. lib. 29. *Pingvis venter mentem non gignit tenuem:* id est, subtilem, & sublimem. Recentiores dicunt: Plenus venter non studet libenter. Disertè S. Hieronymus lib. in Jovinian. *Si quis existimat; & abundantiâ ciborum potionumq; se perfrui, & vacare posse sapientiæ: seipsum decipit.* Et Chrysostomus hom. 44. in Joan. *Nihil gulâ perniciosius, nihil ignominiosius est. Hæc obtusum, & crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit.* Quomodo enim inter offusos ructantis stomachi vapores, mens explicet intelligentiæ radios? Qui formabuntur inter olidos gulæ nidores, nisi pingvissimi, conceptus? Dum anima tota in ventris culina distinetur; quæ non erit confusio in capite? Præclarè Heracletus apud Plutarch. *Anima sicca sapientissima.* 2. Intemperantia officit studio Pietatis, aliarumq; virtutum. Plenus enim venter, ut non studet, sic neç orat libenter. *Parcis victibus ex-*

 pedita

pedita corda infusum meliùs DEum receptant: canit Prudentius hym. 4. canth. *De ventris ingluvie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensuum circa intelligentiam propagantur*: ait S. Gregorius lib. 31. Moral. *Ventris saturitas seminarium libidinum est*. Hieronym: sup. cit: *Sicut omnes carnales cupiditates per abstinentiam resecantur: ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruuntur*. Isidorus lib. 2. c. 42. de summo bono. 3. Officit sanitati, mortemq; accelerat. O quot milliones immaturorũ funerũ dederunt Bacchus & Venus! *Eo mores venerunt: ut homo maximè cibo pereat*. queritur Plinius l. 26. c. 8. *Venter vitæ charybdis*: dixit Diogenes Cyn. Disertiùs Ambrosius lib. 1. c. 5. de Cain & Abel: *Plurimos gula sua occidit, nullum frugalitas; innumeris vina nocuerunt, nulli parsimonia. Pleriq; inter epulas fudêre animas, & mensas replevere sangvine. Aliis cruditas vocem simul rapuit & sensum: & si aliquibus cruditas noxia non fuit; his ruinam fecit ebrietas*. Sic mortem non advocant, sed præcipitato quodam abortu, ante tempus generant sibi intemperantes. *Vivite jam lurcones, comedones, vivite ventres!* insultat illis Plauti Phormio act. 5. Tu Florimunde, ut bene studeas, rectè sapias, & diu vivas; nunquam sine sale comede & bibe.

III. Fugiendum OTIUM, quod *iners* appellari solet: ut quando nec corpus, nec animo honesta aliqua occupatione exercetur. Servile

vile id vitium eſt, & ingenuis maximè inconveniens. Unde Salomon Proverb. 12. *Qui ſectatur otium, ſtultiſſimus eſt.* Nam non ſolùm nihil lucri facit; ſed ingentia patitur, vel certò patietur, detrimenta. *Qui ſectatur otium, replebitur egeſtate.* Proverb. 28. imò & vitijs non paucis, nec vulgaribus. *Multam malitiam docuit otioſitas.* Eccli. 33. Hinc Chryſoſt. hom. 36. in Matt: *Valde deſidero, vos bonis operibus eſſe occupatos: omnium enim vitiorum quaſi magiſtra quædam, & origo, eſt otioſitas.* Dum enim animus honeſta occupatione non diſtinetur; velut apertâ januâ, præſtolamur adventum cujuſcunq; cogitationis. Nec patitur ſibi elabi tam pulchram occaſionem ſerpens antiquus: objicit jam hanc, jam illam imaginem, injicit nunc hujus, nunc illius pravi affectus tædam, excitatq; incendia, quibus ardere amamus; ſerò autem dolebimus. Proinde ſemper *aliquid operis facito: ut ſemper diabolus te inveniat occupatum:* monet ſapienter Hieronymus ep. 4. qui, ut declararet, quantum etiam ingenio, & literario ſtudio nocet iners otium: ſcitè illud appellavit *Rubiginem ſapientiæ & ingenij:* in c. 10. Eccl, & ep. ad Innoc. Hanc ingenium tuum ne contrahat edaciſſimam rubiginem, Florimunde: aſſiduæ ipſum exercitatione expolire, ne graveris.

IV. Fugiendum MENDACIUM; ad quod Juventus ex animi levitate, & conſiderationis defectu, valde proclivis eſt. Eſt autem id ge-

nus vitij, 1. DEo, tanquam Veritati essentiali, imprimis invisum ac abominabile. *Sex sunt, quæ odit Dominus: oculos sublimes, lingvam mendacem* &c. Prov. 6. & c. 12. *Abominatio est Domino, labia mendacia.* 2. Est vitium speciali titulo diabolicum: siquidem Joan. 8. diabolus à Christo appellatur *Pater mendacij.* 3. Est vitium Servile, & ingenuis mentibus maximè inconveniens. *Non modo humilis, & parvi animi, sed servile vitium scit esse mendacium*: ait Mamertinus de Juliano. Unde monet Plutarchus de educ. puer. ingenuorum liberos assuefaciendos esse: *ut vera dicant; qua in re summa est sanctimonia. Mentiri enim servile est, dignumq; apud omnes homines odio.* 4. Est naturâ suâ malum juxta Aristot: 4. Ethic. cap: 7. Est enim abusus verborum, institutorum ad significandum id, quod in mente habemus. Ideoq; nec propter bonum finem mentiri licet: sicut nec furari, vel falsum testari &c. Non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona: juxta Apostolum Rom. 3. Rectè Plato 10. L. *Adulterationem quidem, & mendacium, deceptionemq; quasi genus unum putare oportet.* 5. Mentiendi consvetudo facit hominem indignum fide etiam dum verum dicit. Cicer. lib. 2. de divin. Fidem autem qui perdidit, perdere quid ultra potest? 6. Facit indignum quovis officio civili, præsertim honorato: cùm non minùs in verbis, quàm moribus requirant, integritatem. Illustribus exemplis te-
stati

ſtati ſunt id duo laudatiſſimi Imperatores Romani, apud Guevar. l. 2. c. 45.

Trajanus Imp. filium Decebali Dacorum regis, à ſe devicti, indignum judicavit regno paterno; quòd mendacem advertiſſet adoleſcentem: nec ullus Senatorum, externorumq; principum precibus à ſententiâ dimoveri potuit. *Maximo quippe*, inquiebat, *tum mihi, tum genitrici noſtræ, Romæ, dedecori foret; ſi, cùm Roma veritatis ſit mater, mendaciorum filius regnaret*. M. Aurelius Imp. proprium filium eumq; promogenitum, Commodum, repulit à ſucceſſione in Rom. Imperium; reſponditq; familiari Senatori, pro illo deprecanti: *Deos hac in re teſtor immortales; me facere, quod nollem facere; & adimere, quod nollem. Cæterùm cùm Antoninus, idem dominus & ſocer meus, non ob aliam cauſam mihi dederit Imperium, quàm quia nunquam in me invenit mendacium: æquū non eſt; ut filio concedam Imperij hæreditatem, in quo nunquam veritatem inveni. Satius eſt, filium meum fortunis amittere, quàm patrem exiſtimationis jacturam facere*. Vide, Florimunde, in hominibus ethnicis ſtupendum Veritatis amorem, odium mendacii. Vide, quid te deceat. Nunquam mendacio tantum lucraberis; quantum amittes. Quomodocunq; illud palliaveris: ſeriùs an citiùs emerget, prodetq; & ſe, & te.

§ 4.

Qui-

Quibus Medijs facile vitari possint peccata.

PRimum & primarium est *Gratia DEI*: qua in tentatione, & quavis peccandi occasione nobis illuminetur Intellectus, abstrahatur voluntas, & ad resistendum roboretur fragilitas nostra. Illa igitur frequenti, humili, atq; ardenti Oratione, præsertim in præsente peccandi periculo, imploranda. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Philip. 4. 13.

2. Consideratio frequens enormitatis & malignitatis Peccatorum: quam satis superq; repræsentant Centum Rationes fugiendi illa, suprà Instit. 3. §. 2. allatæ. Juvat illarum aliquas subinde recolere, & ponderare, præsertim urgente tentatione. Vix enim fieri poterit: ut te resolvas ad tantum malum; & non potius dicas cum adolescente Josepho, Gen. 39. *Quomodo possum hoc malum facere?*

3. Memoria acerbissimæ Passionis & mortis Christi, propter nos & peccata nostra toleratæ. Facile enim occurret animo: immanem esse Ingratitudinem, & insaniam; id committere in ipsum, quod ei longè acerbius est, quàm omnia, quæ passus est, tormenta. Recurret illud Deuter 2. *Haccine reddis Domino popule stultè?* Et illud Christi Luc. 23. *Si in virido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Id est; Si hæc in me innocente operantur peccata

vestra

vestra: quid non operabuntur in peccatoribus ipsis? Juvat ergo, in hunc finem domi expositam habere Imaginem Crucifixi Salvatoris: ut opportuno intuitu recoli possint, quæ passus est pro peccatis nostris.

4. Memoria ubiq; præsentis DEi. Stupenda enim impudentia est, id audere in oculis DEi, Domini & Judicis tui; quod non auderes in conspectu hominis honesti! Hinc heroica vox castissimæ Susannæ, ad illud lenonum, *Nemo nos videt*, reponentis: *Melius est mihi absq; opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Dan. 15.

5. Memoria quatuor Novissimorum; Mortis, Judicij, Cælestis gloriæ, & Inferni suppliciorum æternorum. *In omnibus operibus tuis memorare Novissima tua: & in æternum non peccabis.* Eccli. 7. Qui enim hæc prudenter prævidet, maturè consulit sibi, & indemnitati suæ. *Cogitatio stulti peccatum est.* Prov. 24.

6. Sensuum accurata custodia, præsertim visûs, auditûs, & tactus. Cùm enim secundùm philosophos nihil sit in intellectu, quod non prius fuerit in sensu: mens facilè immunis erit à culpa, si per sensus nulla se ingesserit illecebra. Unde monet Dominus Matt. 5. & 18. *Si oculus tuus scandalizat te; erue eum. Si manus tua scandalizat te; abscinde eam.* Tam severos nos esse vult in coërcendis sensibus: ut eos perdere malimus, quàm perire per ipsos.

7. Fuga Occaſionum peccandi, & Sociorum improborum. Occaſio non ſolùm fures facit, ſed etiam heluones, lenones, adulteros &c. Æternæ Veritatis oraculum eſt: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Eccle. 3. 27. Siracides quoq; monet: *Diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te.* Eccli. 13. Creberrimè quos dæmon ſeducere non poteſt per ſe, ſeducit per pravos ſodales.

8. Initio tentationis reſiſtendum fortiter, juxta tritum illud: Principijs obſta, ſerò medicina paratur. *Diabolus serpens lubricus est, cujus capiti, h.c. eſt, primæ ſuggeſtioni, ſi non reſiſtatur; non eſt dubitandum, quin totus in penetrale cordis furtim illabetur:* inquit Hieronymus.

9. Quotidie lege ſpiritualem aliquam doctrinam. Nam ut notat S. Gregorius lib. 2. Mor. c. 1. *Lectio docet quid caveas; lectio oſtendit, quò tendas; lectione ſenſus augetur, & intellectus.* Voluntas quoq; accenditur virtutum amore, odio vitiorum.

10. Quotidie ſub noctem examinanda Conſcientia. Svadet id S. Chryſoſt. in Pſalm. 4. *Non priùs dormieris, ô homo, quàm mente verſaveris, quæ à te interdiu perperam acta ſunt.* Svaſit hoc diſcipulis ſuis Pythagoras apud Stob. ſerm. 3. Et Seneca lib. 3. de Ira. c. 36. *Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus eſt.* Sic enim cautiores reddimur in diem ſequentem.

Hæc

Hæc si tibi, Florimunde, feceris familiaria: crede mihi; facilius tibi erit, peccata fugere, quàm committere.

§. 5.

EXEMPLA HEROICA

Iuvenum, peccata fugientium.

NOn ignoro, Florimunde, quàm appetens non solùm laudis & gloriæ, sed etiam victoriæ, sit ætatis vestræ ingenium. Si experientia deesset, disceremus id ex philosopho, qui 2. Rhet. c. 2. de Iuvenibꝯ ait: *Studiosi honoris quidem sunt, sed magis victoriæ. Excellentiam enim cupit juventus: & victoria excellentia quædam est* Hinc æstus ille animi, quo præclarè gesta aliorum æmulari ardent: nec quidquàm supra vires suas putant, quod vident ab alio factum. Quæ verò potest esse gloriosior victoria, quàm quæ in fuga peccatorũ elucet? Præterquam enim, quod suapte naturâ prona sit in lapsum tenerior ætas; alliciunt eam illecebræ sensuum, impellunt indomitarum cupiditatum stimuli, urgent apprehensarum voluptatum imagines, incendunt sodales improbi, præcipitant in ruinam satellites Tartarei. Si ergo in tanto discrimine, ope divina nixus, infractus perstet juvenis: quis merebitur celebrari victoriosior? quẽ dicemus digniorem triumpho, non solum terrestri, sed cælesti? Orbis judicio, Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia. Proinde

inde & gloriosior est victoria, quam imbellis juvenis reportat de se ipso, fugiendo peccata; quàm cataphractus & legionibus stipatꝰ Imperator de acie hostili. Ad hanc ut te, sodalesq; tuos, magis incitem, atq; accendam: Exempla quædam, planè Heroica, vobis proponenda duxi. Quidni possitis vos, quod potuerunt alij, nec ætate, nec viribus majores?

I.

Aciem florentissimorum Heroum ducat Magnus ille Ægypti Salvator, primusq; post regem princeps, Iosephus. Notum est orbi, quàm infestam passus sit innocentiæ & pudori suo heram, fœminam principem, sed Veneris pedissequam. Lacessebat illum, cùm tacitis nutibus, tum procacibus gestibus & verbis; & quidem tantò periculosiùs, quantò diutiùs. *Per singulos dies mulier molesta erat Adolescenti.* At ille fide erga herum suum, DEiq; timore munitꝰ *Quomodo*, reponebat *possū facere hoc malū, & peccare in DEū meum?* Impera domina, quæcunq; placent, quantumlibet ardua, modò honesta, & DEo non adversantia: obsequentissimum habebis servulum, etiam cum vitæ dispendio. Omnia possum: at hoc malum facere quomodo possum? Nec ratio, nec voluntas, nec vires suppetunt: ut peccem in DEum meum. Quid tibi videtur Florimunde de hoc Iuvene? Dubitabis, eum referre inter Heroas? Inter cæli Principatus & Potestates sortem meretur, tum innocen-

tiæ,

tiæ, tum fortitudinis suffragio; utpote qui non solùm non voluit, sed nec potuit, peccare. QUOMODO POSSUM? Cùm non desisteret illa, imò vim pararet: Iosephus *relicto in manu ejus pallio fugit*. O fugam victoriosissimam! O victoriam triumpho cælesti dignissimam! Hæc tibi Iuvenis Castissime, & divinandi scientiam, & imperium Ægypti, & nomen paravit æternum.

Ad similis fugæ gloriam incitat Magnus Augustinus Christianam Juventutem *Serm.* 250 *de temp*. Joseph, *inquit*, ut impudicam Dominam posset evadere, fugit. Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam: nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Inter omnia certamina Christianorum sola duriora sunt prælia Castitatis: ubi quotidiana est pugna, & rara victoria. Hìc ergo Christianis quotidiana Martyria deesse non possunt. *Ita August*:

II.

Succedit cum tribus lectissimis socijs, Anania, Misaele & Azaria, magnus Propheta DANIEL. Hos ætate, genere, formà & omnibus naturæ dotibus florentissimos, è Iudæa Babylonem captivos abduxerat Nabuchodonosor. Ut autem ex ipsis formaret egregios aulæ suæ ministros: jussit eos regali victu educari, moribusq; Chaldæorum & literis instrui, quā scitissimè. Et quidem in lingva & literis ad-

 discen-

discendis nec mora, nec difficultas ulla fuit: ut autem vescerentur cibis gentilium, patrijs, divinisq; legibus vetitis, adduci nullo modo potuerunt. Primus igitur conflictus pijssimis Juvenibus fuit cum Gula, & præposito sibi eunucho Asphenez, non tam invitante, quàm impellente, authoritate regia ad regalis mensæ illicebras; in quarum usu juventus non stimulis, sed frenis indigere consvevit. *Proposuit enim Daniel* (cum Socijs) *in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neq; de vino potûs ejus* Vide autem senilem juvenum prudentiam. Non reluctantur pervicaces, non in lamenta vel diras effunduntur; nec tamen inconvenienti cedunt imperio: sed utuntur ingenio & consilio opportuno. Daniel humili petitione aggreditur semivirum: *Tenta nos, obsecro, servos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum: & contemplare vultus nostros, & vultus puerorum, qui vescuntur cibo regio; & sicut videris, facies cum servis tuis.* Persvasit feliciter. Aluntur ergo solis leguminibus & fonte: quantumlibet, salvis legibus divinis, etiam lautioribus non paucis cibis vinoq; saginari potuissent. Honoravit autem DEus heroicam hanc juvenum abstinentiam insigni corporis vigore, vultûsq; gratiâ. *Post dies enim decem apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio.* Quin & pias illorum mentes mira scientiarum copiâ & splendore instruxit

ſtruxit. *Pueris autem his dedit DEus ſcientiam & diſciplinam in omni libro & ſapientia: Danieli autem intelligentiam omnium viſionum & ſomniorum. Cùmq; eis locutus fuiſſet rex: non ſunt inventi tales de univerſis, ut Daniel, Ananias, Miſael, & Azarias & ſteterunt in conſpectu regis: & omne verbum ſapientiæ & intellectus, quod ſciſcitatus eſt ab ejs rex, invenit in ejs decuplum ſuper cunctos ariolos, & magos, qui erant in univerſo regno ejus.* Hi ſunt fructus Abſtinentiæ. Ex pleno ventre & fumante cerebro, quid, niſi pingvis naſcitur Minerva?

Cùm ſic præluſiſſent: duriori certamini matureſcebat tam religioſa Virtus, ut glorioſiùs triumpharet. Ananiam, Miſaelem, & Azariam ad ſingulare certamen provocavit Statua Nabuchodonoſoris aurea, quàm iſte, divinos involans honores, adorari præcepit, ſupplicio capitis intentato. At illi veri DEi in ſpiritu & veritate cultores, rotundè negarunt. *Notū ſit tibi rex: quia deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quā erexiſti, non adoramus.* Furore excandeſcens tyrannus, ad concutiendos majore metu juvenum animos, *præcepit: ut ſuccenderetur fornax ſeptuplum, quàm ſuccendi conſueverat.* Ubi verò immotos in propoſito vidit: ligatos in fornacem mitti juſſit. *Et non ceſſabant qui miſerant eos, miniſtri regis, ſuccendere fornacē naphtâ & ſtuppâ, & pice, & malleolis, & effundebatur flamma ſuper fornacem cubitis quadraginta novem.* Quis dubitaret, hos vernantis æta-

 tis

tis & pietatis flores, momento in fumum abijsse? At potentissimus innocentiæ assertor DEus, misit Angelum suum, *qui fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neq; contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.* Consternatus igitur rex, evocatos è fornace corporeos hosce Angelos summis encomijs primisq; cumulavit honoribus, vel ipsâ innocentiâ suâ, & frigentibus flammis illustrissimos.

Danielis Religio, & constantissima peccati fuga, in alia scena spectaculo fuit DEo, Angelis & hominibus. Regio edicto, per dolosissimam invidiam, prohibitus intra certi temporis spatium adorare DEum suum; regem potiùs, quàm DEum, offendere maluit. Territus intentata nece, atq; leonum rugitu; perstitit nihilominus in adoranda Majestate, cui non minùs principes, quàm feras, noverat esse subjectas. Objectus leonibus, mites & reverentes habuit: innocentiâ inter feras, quàm inter homines, securiore. Deniq; discerptis, justa talione, hostibus suis, gloriosior quàm ullus Romanorum Imperatorum, quadrigâ leonum triumphavit; Regem verò cujus edictū honori divino postposuerat, invenit, constanterq; habuit, faventiorem. Lucra nimirum sunt maxima, quæ in evitanda offensa divina patimur dispendia.

III.

Prodeant in triumphalem hanc victricis juven-

Juventutis arenam, & ſeptem illi adoleſcentes, Machabæi dicti, cũ incomparabili Heroide, matre ſua: qui ſub Antiocho, rege Syriæ, pro patrijs divinisq; legibus, atq; evitanda offenſa DEi, fortiſſimè depugnârunt. Rem geſtam, è divinis literis (2. Machab. 7.) totidem verbis ſub oculos pono.

Contigit autem; ſeptem fratres unà cum matre ſua apprehenſos, compelli à rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos. Unus autẽ ex illis, qui erat primus, ſic ait: Quid quæris, & quid vis diſcere à nobis? parati ſumus mori magis, quàm patrias DEi leges prævaricari. Iratus itaq; rex juſſit ſartagines & ollas æneas ſuccendi. Quibus; ſtatim ſuccenſis: juſſit ei qui prior fuerat locutus, amputari lingvam: & cute capitis abſtractâ, ſummas quoq; manus & pedes ei præſcindi, cæteris ejus fratribus & matre inſpicientibus. Et cùm jam per omnia inutilis factus eſſet, juſſit ignem admoveri, & adhuc ſpirantem torreri in ſartagine: in qua cùm diu cruciaretur, cæteri unà cum matre invicem ſe hortabantur mori fortiter; dicentes: Dominus DEus aſpiciet veritatem, & conſolabitur in nobis, quemadmodum in proteſtatione Cantici declaravit Moyſes: *& in ſervis ſuis conſolabitur.* Mortuo itaque illo primo, hoc modo ſequentem deducebant ad illudendum, & cute capitis ejus cum capillis abſtracta, interrogabant: ſi manducaret, pri-

ùs

ùs quàm toto corpore per membra singula puniretur. At ille respondens patria voce, dixit: Non faciam. Propter quod & iste sequenti loco primi tormenta suscepit: & in ultimo spiritu constitutus, sic ait: Tu quidem sceleſtiſſime in præsenti vita nos perdis: sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. Post hunc tertius illuditur, & lingvam postulatus citò protulit, & manus constanter extendit: & cum fiducia ait: E cælo ista possideo, sed propter DEi leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero: ita, ut rex, & qui cum ipso erant mirarentur adolescentis animum, quòd tanquam nihilum duceret cruciatus. Et hoc ita defuncto, quartũ vexabant similiter torquentes. Et cũ jã esset ad mortẽ, sic ait: Potius est ab hominib⁹ morti datos spẽ exspectare à Deo, iterũ ab ipso resuscitandos: tibi enĩ resurrectio ad vitã ñ erit. Et cũ admovissent ſtũ, vexabant eum. At ille respiciens in eum, dixit: Potestatem inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare, genus nostrum à DEo esse derelictum. Tu autem patienter sustine, & videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te & semen tuum torquebit. Post hunc ducebant sextum, & is mori incipiens, sic ait: Noli frustra errare: nos enim propter nosmetipsos hoc patimur, peccantes in DEum nostrum, & digna admiratione facta sunt in

nobis

nobis. Tu autem ne exiſtimes te impunè futurum, quòd contra DEum pugnare tentaveris. Supra modum autem mater mirabilis & bonorũ memoriâ digna; quæ pereuntes ſeptem filios ſub unius diei tempore conſpiciens, bono animo ferebat, propter ſpem quã in DEo habebat. Singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta ſapientia: & fœmineæ cogitationi maſculinum animum inferens, dixit ad eos: Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis: neque enim ego ſpiritum & animam donavi vobis & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi: ſed enim mundi creator, qui formavit hominis nativitatem, quiq; omniũ invenit originẽ & ſpiritũ vobis iterum cum miſericordia reddet & vitam, ſicut nunc vosmetipſos deſpicitis propter leges ejus. Antiochꝰ autẽ contemni ſe arbitratus ſimul & exprobrantis voce deſpecta, cum adhuc adoleſcentior ſupereſſet non ſolùm verbis hortatur, ſed & cum juramento affirmabat: ſe divitem & beatum facturum, & translatum à patrijs legibus amicum habiturum, & res neceſſarias ei præbiturum. Sed ad hæc cùm adoleſcens nequaquam inclinaretur; vocavit rex matrem, & ſvadebat ei: ut adoleſcenti fieret in ſalutem. Cùm autem multis eam verbis eſſet hortatus, promiſit ſuaſuram ſe filio ſuo. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce: Fili mi, miſerere mei, quæ te in utero no-

novem mensibus portavi, & lac triennio dedi & alui, in ætatem istam produxi. Peto te, nate, ut aspicias ad cælum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt; & intelligas quia ex nihilo fecit illa DEus & hominum genus: ita fiet, ut non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. Cùm hæc illa adhuc diceret, ait adolescens: Quem sustinetis? non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen. Tu verò qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum DEi. Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur. Et si nobis propter increpationem, & correptionem Dominus noster modicum iratus est: sed iterum reconciliabitur servis suis. Tu autem ô scelestè & omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in servos ejus inflammatus. Nondum enim omnipotentis DEi & omnia suspicientis judicium effugisti. Nam fratres mei modicò nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: tu verò judicio DEi justas superbiæ tuæ exolues pœnas. Ego autem sicut & fratres mei, animam & corpus meum trado pro patrijs legibus invocans DEum, maturiùs genti nostræ propitium fieri, teque cum tormentis & verberibus confiteri, quòd ipse est DEus solus. In me verò & in fratribus meis desinet

desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum justè superducta est. Tunc rex accensus ira, in hunc super omnes crudeliùs dæsevijt, indignè ferens sẽ derisum. Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens. Novissimè autem, post filios & mater consumpta est. *Si tamen consumpta, quia cum filijs triumphatura, cælo invecta est.*

IV.

Fœcundior hujusmodi heroum est Christiana Religio: quos non decadibus, sed legionibus numerat in omnibus orbis terrarum partibus. Pauculos dabo. Vexillum cæteris præferre meretur Juvenis, potentissimi Indiæ Orientalis monarchæ Abenner, filius unicus, Josaphat dict9, cujus conversionem, & mirandam animi constantiam, fido eruditoq; stylo posteritati consignavit S. Joannes Damascen9.

Juvenem hunc, licèt diligentiùs quàm Colchicum vellus, aut Hesperidum poma, custoditum, pari dexteritate ac felicitate Christo lucratus fuit celebris Anachoreta Barlaam. Id ubi innotuit regi, idolorum cultori ardentissimo, nullam non adhibuit machinam, ad filium sectæ suæ restituendum. Cùm cætera non proficerent: Acheronta movere statuit, jussitq; famosum adesse magum Theudam. Habuit is in promptu consilium, quo nequius Orcus concipere non potuit. Author fuit: ut illico famuli, ephebi, & omnes virilis sexûs ministri, amoverentur aulâ prin-

cipis

cipis; ſubſtituerentur autem, & idoneis ad finem propoſitum artibus inſtruerentur, ſelectiſſimæ puellæ; quæ ſemper ante oculos verſarentur, omnia præſtarent obſequia, & ſenſim, ad rigorem diſciplinæ Chriſtianæ in corde juvenis diſſolvendũ, propria ſexui ſuo inſtillarent lenocinia. Vicimus, inclamabat veneficus, quàm primùm Joſaphat amare cœperit! Non enim cor unum capit Chriſtum & Venerem. Quomodo autem poterit non amare, inter tot Veneres? Placuit regi conſilium: dictum factum. Amotis ſine mora omnes aulæ miniſtri; introductum numeroſiſſimũ Veneris gynecæum; cui Theudas addidit Orco evocatam impurorum geniorum manum, quorũ alij oculos, labia, linguam, manus, incitarent puellarum; alij viſcera mentemq; inflam̃arent juvenis; & ſic inexpugnabile hoc caſtrum cómpellerent ad deditionem.

Cohorruit totis artubus innocentiſſimus princeps; ut primùm ſeſe aperuit inexſpectata hæc ſcena: nec potuit non advertere magnitudinem periculi ſui. Non enim ſic periclitati ſunt, Daniel inter leones, Machabæi 7. inter tormenta, Joſeph in domo Putipharis, Ananias, Miſael & Azarias in fornace Babylonica: ut Joſaphat inter has Sirenes. Fretus tamen cæleſtibus ſuppetiis, obfirmavit animum contra omnes Erebi vires & artes, certus mille priùs oppetere mortes, quàm vel

vel unâ Majeſtatem Divinam violare offenſâ. Nec defuit DEus athletæ ſuo. Alienatâ à ſenſibus mente, monſtrata ei inprimìs eſt ineffabilis Curiæ cæleſtis gloria, & parata conſtanter certanti inæſtimabilis corona. Oſtenſus deinde rogus Infernalis, in quo, ut ſcripſit D. Hieronymus, frixæ libidines in proprio adipe bulliunt, pice ſulphure, felle draconum &c. conditæ. Hoc igne, & ſplendore illo, ita obfirmatus eſt in propoſito caſtiſſimus Juvenis: ut omnes Veneris & Cupidinis copias feliciſſimè profligârit: quin ipſum Theudam (mirantem, totum Infernum prævalere non poſſe contra Juvenem unum Chriſtianum) captivum duxerit, & ſub Chriſti jugum miſerit. Acceſſit demum ad victoriæ gloriam Rex ipſe Abenner, cum toto regno ſuo. Cùm enim nullum amplius reperiret conſilium, nullamve machinam, ad debellandum filium: tantæ Virtuti, Victoriq; DEo, victas dedit manus.

V.

Quid non egerunt complures aliæ Angelicæ Adoleſcentum animæ, ut corpus & animum ſervarent immunem à labe peccati? Benedictùs, cùm ignem Cyprium in medullis ſerpere, ſentiret; nudus inter ſpinas volutatus, ſangvine illum extinxit. Martinianus, ubi ex fortuito cum muliere colloquio advertit, ſibi laqueos injici, & fœdam parari captivitatem, corraſis ſarmentis ignem ſubjecit, in quo velut

lut tripudians tam diu saltavit, donec ambu-stis pedibus concideret, mensium aliquot dolore torquendus. Bernardus improvisò fixerat oculos in fœminam: unde discriminis aliquid suboriri poterat. Quam temeritatem ulturus, in gelidum vicinum stagnum insilijt, ibiq; tam diu collo tenus substitit, donec in semianimi concupiscentia omnis evanesceret. Aliàs idem iter agens cum socijs, intempesta nocte in diversorio à procac[illegible]ina tentatus, *Latrones Latrones!* magna voce exclamavit. Diffugit tunc spectrum illud, sed paulò post redijt; & rursum Bernardus: LATRONES LATRONES! Et sic excitatis socijs, fugâq; arrepta deprædationem evasit anima ipsius. *Guilelm. Abb. lib. 1. vitæ.*

VI.

Recentius exemplum heroicæ fugæ peccati dedit S. Carolus Borromæus, adhuc in flore ætatis. Ut juvenem à Socratica quadam, ut ajebant, severitate, quā videbatur, intempestivè induisse, avocarent viri quidam principes pro animi quadam relaxatione invitarunt ad suburbanum amœnius palatium. Die festivè transactâ, in conclave pro quiete nocturna deducitur Carolus. Dilapsis de industria cæteris, paulò post occultis submissa scalis, velut ex Inferni machina, adfuit procax muliercula, jamq; blandiri parabat. At Carolus velut improvisâ Furiâ consternatus, illico austeriore voce inclamat famulos, pestem illam ira-

rum

rum plenus abigit, equos ſine mora inſterni jubet, & fruſtra renitentibus, qui invitave- rant, intempeſta nocte avolat in urbem Victor, Joan. Rho. Exempl. l. 7. ç. 2. Implevit Carolus cumulatè, quod ſvaſit Sapiens Eccli. 21 *Tanquam à conſpectu ſerpentis fuge peccatum. Nam ſi acceſſeris, mordebit te. Dentes leonini ſunt dentes ipſius interficientes animas hominum.* Fugienda ergo domus, in qua periclitatur anima. *Quid tibi neceſſe eſt, in ea verſari domo, in qua neceſſe habes, quotidie aut perire, aut vincere? Quis unquam mortalium juxta viperam ſecuros ſomnos capit?* monet S. Hieronymus ep. 47. Et lib. 2. ep. 12. *Non Sanctior es Davide, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quod mulier Paradiſi colonum de poſſeſſione dejecit.*

Sed, quid, ſi fugæ non detur locus? Tunc cominus depugnandum, armis, quæ zelus & locus, & ingenium ſuminiſtrabit. En heroes, in tali arena Victoresglorioſiſſimos.

VII.

Compactus fuit à proprijs fratribus in arcem quandam, velut in arcam, ex fuga, quâ mundum deſeruit, retractus nobiliſſimus adoleſcens Thomas de Aquino. Ut autem efficaciùs averteretur à vitæ religioſæ propoſito, inter cæteras machinas fruſtra adhibitas, hanc tandem ex Satanæ & Veneris officina produxerunt. Comptam puellam ad ſolitarium Thomam immiſerunt; quæ ſi artibus ſu-

is

is eum fecisset Cupidinis captivum, pronum videbatur, ut ad mundi libertatem aspiraret. At Thomas, cùm elabi fugâ non posset; arma, minax oculis, vultuq; torvus, circumspectat: & cùm alia non suppeterent, ex foco ad arcendum frigus accenso, arripit titionem, & prostibulum ferox invadit, delumbat, ejicitq; conclavi, similius jam atro dæmoni, cujus personam agebat. Risit & applausit cælum; misitq; illico aligeros Numinis ephebos, qui fortissimum pugilem pretioso Virginitatis baltheo præcingerent, & in Doctorem Angelicum auctorarent. *Ex vita S.*

VIII.

Similibus armis, in simili arena arctatus, decertavit pudicissimus adolescens Antonius Caraffa, Ducum Sangvis. Hujus innocentia cùm tenebrionibus quibusdam trabs esset in oculis; ut sibi facerent similem, in cubiculum quiescentis adhuc in lectulo, summo manè immiserunt Veneris pedissequam, formâ, ornatu, sermone, moribus, ad ipsorum propositum factam. Nec leviter Antonij virtus periclitabatur. Cùm enim ad primum mulierculæ conspectum accurrisset ad ostium, usitato probis remedio sibi consulturus; ostium suorum fraude occlusum invenit. Cùm voce contentissimâ famulos inclamasset: nemo respondit. Nec illa sibi deerat; sed omnibus agebat blandimentis ut amaretur; totâ meretriciâ pugnabat arte, ut in amplexum veniret. Quid facere[t]

ret innocens, Cupidini destinatus in victimam? Caminum ibi habebat, in eoq; prius, quàm se cubitum reciperet luculentum ignem excitarat: nam hyeme summâ initum certamen est. Ergo ad illum accurrit, & arrepto batillo satis capaci, ingentem cineris nubem & ardentium adhuc prunarum grandinem in petulantem Vulcani amasiam offundit, vultum ac sinum implet, atq; semiustam conjicit in fugã. Meruit heroico hoc ausu gloriosus pugil uberes Numinis favores: inter cæteros insigni Divinorum Librorũ scientiâ donatus, quâ postea in Vaticano Purpuratorum Patrum Senatu, cujus princeps diu fuit, sole clarior effulsit. *Rho. lib. 7. c. 2. Exempl.* 13. Amant indolem castam Divina Sapientia & Justitia, de qua dicitur Eccli. 15. *Obv: bit illi quasi Mater ho orificata. Cibabit illum pane vitæ & intellectûs, & aquâ Sapientiæ salutaris potabit illum.*

IX.

Non peccabo in selectam hanc manum Robustorum David, seu Christi potiùs: si illi inseruero parvulum novennem; quem celebrat Cordier in familia S. p. 2. c. 3. quàm strenuum in asserenda Veritate, tam fortem & constantem in fugiendo peccato etiam illius sortis, quæ levia dicimus. Exciderat huic per oblivionem, ut quidpiam à patre imperatum exequeretur. Solicito non tam de pœna danda, quàm culpâ, si quæ fuit, commissa, ideoq; in amaras lacrymas effuso, suggerunt dome-

stici: ut officioso quopiam, sed jam necessario mendacio, palliaret, seu excusaret culpam. Quid enim criminis, ajunt, mendacium; præsertim in puero, & ad redimendam pellem? Hìc puer cohorrescere, & caperata fronte indignationem prodere. Mox animosus reponit: *Præstat cædi, quàm mentiri. Faciat pater, quod volet. Ego, si moriendum sit, non mentiar. Quomodo deinceps coram cæli Domina comparerem supplex, mendacio turpi inquinatus?* Quid tibi videtur de hoc Puero, Florimunde? Quid putas animi prodidisset, si ad lethalem noxam solicitatus fuisset. Insigne est elogium Magnorum Præsulum, Ambrosij & Chrysostomi, *quód nihil timuerint, nisi peccatum*: at ego, si puerū hunc statuero in medio tantorum Patrum, num in illos injnrius ero? Dignissimus sanè mihi videtur, quem Christus ipse collegerit in sinum suum cum parvulis illis, quos ad se accersebat: *Sinite parvulos venire ad me.* Dignissimus, cui Ambrosius & Chrysostomus dicant, quod olim Seniores in Israel Danieli adhuc puero, sed prudentissimo castissimæ Susannæ vindici: *Veni, sede in medio nostri, quoniam dedit tibi Deus honorem senectutis.* Dan. 12.

X.

Compleat, coronetq; præsentem Heroum florentissimorum Decadem, nobilissimus Adolescens Pelagius; quem Hispania, fortium patria, genuit, patre Galliciæ Principe; iniquitas temporum coégit, obsidem dari Abderamini

mini regi Mauro, Victori. Captus illico liberalissimâ Adolescentis formâ Barbarus, florem hunc, Paradiso, & Christi pollice, dignum, suæ destinat voluptati. Ergo cum Pelagio agere familiariùs, jocari petulantius, & fuliginosos amores suos prodere intẽperantiùs. Castigat impurum Pelagius imprimis vultu severiore, & supercilio dedignante, mox verbis libertatem & sanctimoniam Christianam spirantibus, demûm vim paranti barbaro, vi, qua potest, maxima, pugnum impingit: *Et Tolle canis*, inquit, *vitam: pudicitiam mihi non extorquebis*. Excanduit supra modum tyrannus, jussitq; Adolescentem machinæ impositum, trans fluvium Bætim projici: ut rupibus allisus, contritusq; interiret. Sed Angeli videntur eum manibus proprijs deportasse, ac suavissimè deposuisse: ne fortè offenderet ad lapidem pedem suum. Verùm evidentia miraculi, iram acuit barbari: præcepitq; servatum divinitus Angelum forcipibus membratim laniari, discerpi, & flumine mergi. Collegerunt seduli virginea membra Christiani: Animus cælis illatus, utinam omnibus Christianæ Juventutis corporibus illaberetur!

Videor mihi jam videre bullientes in corde tuo, Florimunde, sanctæ æmulationis spiritus. Bene est, Hac hora indicatur internecinum peccatis bellum. Audeamus. Aderit DEus. Possumus & nos olim numerari inter Exempla.

INSTITUTIO IV.

COLE DEUM.

POst comparatam pleniorem DEi O. M. & nostri ipsorum, notitiam; post contractum implacabile omnis peccati odium, & factum adamantinum de ipsius fuga propositum; tanquam post jacta solida solidæ Pietatis fundamenta; accedimus, Florimunde, ad principes nobilissimæ hujus virtutis Actus; quibus, quantum fas humanæ tenuitati, colatur Majestas Suprema. Ad cultum hunc tibi, & coætaneis tuis, persvadendum, non est opus novis, operosè congestis, argumentis: siquidem, ut sapienter notavit Philosophus Romanus ep. 95. DEUM QUI NOVIT, COLUIT. Qui secus agit: non barbarus solùm, sed informis ursæ catulus sit oportet, cui scalpru artificis lingvæ non adhibuit mater. Illud ergo solùm relictum mihi videtur: ut præcipuos tibi seligam actus, quibus DEum ritè colas. Horum, ne prolixitate peccem in te, celebriores & illustriores tibi proponam & exponam. Tu illis cor docile, animumq; promptum para, memor illius gnomæ Senecanæ: OPTIMUS ANIMUS, PULCHERRIMUS DEI CULTUS. Optimus erit Timore, Amore & Honore Dei.

§ I.

Quomodo DEus Timore colendus.

Quàm

QUàm gratus DEo, quàm utilis & necessarius hominibus, sit Timor DEi: omnes Divinarum Scripturarum Libri loqvuntur disertissimè. Quot, & quàm illustria, vel solum primum Caput Ecclesiastici texit ipsi elogia?

Timor Domini, inquit, gloria, & gloriatio & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium in longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur. Initium Sapientiæ Timor Domini. Timor Domini scientiæ religiositas. Timenti Dominum bene erit, & in diebus consummationis ejus benedicetur. Plenitudo sapientiæ est, timere DEum, & plenitudo à fructibus illius. Omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à thesauris illius. Corona sapientiæ Timor Domini, replens pacem, & salutis fructum. Radix sapientiæ est, timere dominum: rami enim illius longævi. Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine Timore est, non poterit justificari &c.

Non minùs disertè accinit Psalmographus Psal. 111. Beatꝰ vir, qui timet Dominū in mandatis ejꝰ volet nimis. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur; Gloria & divitiæ in domo ejus, & justitia ejus manet in sæculum sæculi. Et Psal. 30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine

mine, quam abſcondiſti timentibus te? Optas, Florimunde, numeroſos feliceſq; agere annos? Time DEum. Nam *Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breviabuntur* Proverb. 10. *Timor Domini ſicut Paradiſus benedictionis*. Eccli. 40. Vis eminere in populo? Time DEum. *Montes à fundamentis movebuntur cum aquis; petræ ſicut cera liqueſcent ante faciem tuam: qui autem timent Te; Magni erunt apud te per omnia*. Judith. 26. Quid felicius, aut glorioſius dici, vel optari poteſt? *Magni erunt*, & quidem *Apud Te*, idq; *Per omnia!*

Petes 1. Cujus Timoris DEi ſunt fructus tam excellentes? ℞. Illius, qui *Filialis* dicitur. Triplex enim eſt Timor. Unus eſt Reorum, alter Servorum, tertius Filiorum. Rei timent; quia ſciunt, ſe deliquiſſe, & vident ſibi imminere pœnam. Servi timent delinquere; ne Dominum ad iram concitent, & ab eo caſtigentur. Filij timent delinquere, ne Patrem offendant, quem charum habent. Bonus eſt omnis hic timor: alter tamen altero melior. Optimus eſt Filialis: quia ex Amore naſcitur; & cavet offenſam patris; non ob hæreditatem, nec ob pœnas evitandas: ſed quia pater eſt (à quo vitam & omnia habet proles) cujus amorem & reverentiam imperat natura.

Sic ſe res habet etiam reſpectu DEi. Bonum eſt, timere DEum, à nobis non pauci; nec levibus peccatis offenſum; ne pœnas, quas comminatus eſt infligat; melius eſt timere, ne

ipſū

ipsum offendamus, & ad indignationem, pœnasq; infligendas concitemus; optimum est, amore Bonitatis ipsius summæ, timere offensam ejus, & mandatorum transgressionem. Hic est affectus proprius ingenuorum & proborum filiorum; huic Timori respondet in DEo & paternus erga nos affectus, & pretiosissimorum donorum largitio, & opimæ hæreditatis præparatio. *Fili, Omnia mea tua sunt.* Luc. 15. Scitè colligit Tertullianus diversitatem Timoris Filialis & servilis, ex ipsis timentium oculis. *Oculus*, inquit, *filij ad faciem, oculus servi ad manum.* Id est: filius intentus est in vultum patris, observatq; omnẽ ejus nutum, & an aliqua frontis rugâ prodat quampiam erga se, vel gesta sua, displicentiam; adeoq; timet displicere patri, nedum ad iram eum provocare. Servus autem ad solam heri manum attendit; an sit flagro armata, vel in pugnum contracta? quod est vilis & abjecti animi.

Filiali ergo Timori erga DEum assvesce, Florimunde; procede cum illo animo ingenuo; time offendere ipsum; non tam, quia severus peccatorum vindex est, quàm quia tui amantissimus Pater est; quia omni possibili amore, reverentiâ, & obsequio dignus est, propter eminentissimam excellentiam suam. Verbo dicam: Time DEum propter DEum. Recole quam sup. Instit. 3. §. 2. n. 92. attulimus, magnanimam Philosophi Rom. resolutionem

nem: *Licet scirem, homines ignoraturos, & DEum ignoscit rum: tamen peccare nollem.* Potuit hoc ethnicus: non poterit Christianus? Si ergo filiali hoc affectu DEum timueris, Florimunde; venient ne dubita, in sinum tuum omnes benedictiones, paulò antè allatæ, quas DEus promisit timentibus se.

Adverte tamen: subinde tam vehementes insurgere tentationes, & illecebras peccandi: ut vel memoriæ eripiant DEum, vel parum nos moveat cogitatio de ejus Bonitate & excellentia. Tunc ergo convertendus animus ad DEum justum Judicem, & severissimum peccatorum vindicem; recolenda mors imminens, & indeclinabile tribunal Christi; sistenda ante oculos quàm possumus vivacissimè, Inferni tormenta, & tormentorum indefectibilis æternitas, quibus non anima duntaxat, sed corpus etiam subjicietur æternùm. Non raro enim magis nos afficiunt, moventq;, corporis quàm animæ mala: & potentius experimur ferreum timoris, quàm aureum amoris frenum.

In hunc usum selegi tibi è Scripturis divinis Sententias quasdam; quarum unam alteramve, ubi opus fuerit, memoriâ recolas, & maturè ponderes, ad concipiendum fovendumq; salutarem DEi Timorem. Non solùm enim perfrictis peccatoribus, verùm & justis, sanctisq; necessarius est Timor Domini, monente Psalmographo: *Timete Dominum om-*

nes Sancti ejus. Pſal. 32. Timendum probis ne peccent. Timendum improbis, ne in peccatis moriantur. Nam, ut ſapienter notavit S. Auguſtinus: *Qui pœnitenti veniam promiſit, peccanti diem craſtinum non ſpopondit*.

GNOMÆ DE TIMORE DEI.

Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius, quod faciant: Oſtendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem, mittere in gehennam. Ita dico vobis: HUNC TIMETE. Luc. 12.

Ne dixeris: Peccavi & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor. Eccli. 5. 4.

Nihil mihi conſcius ſum; non tamen in hoc juſtificatus ſum: qui enim judicat me Dominus eſt 1. Cor. 4.

Lætare juvenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & ſcito; quod pro omnibus his adducet te DEus in judicium. Eccle. 11. 9.

Nihil opertum, quod non revelabitur; & occultum, quod non ſcietur. Matt. 10.

Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti: ut referat unuſquiſq; propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum 2. Cor. 5. 10. Nihil ibi vel incognitum, vel inultum erit.

Si justus vix salvabitur: impius & peccator ubi parebunt? 1. Pet. 4.

Ducunt in bonis dies suos: & in puncto ad inferna descendunt. Job. 21. 13.

Horrendum est, incidere in manus DEi viventis! Hebr. 10, 31. Momentaneum quod delectat: æternum, quod cruciat!

Venite, & videte opera DEi: Terribilis in consilijs super filios hominum! Psal. 65. Alios peccantium tolerat in multos annos: alios post unum aut alterum peccatum præcipitat in Infernum!

DICES: Ergo in continua solicitudine & anxietate agenda est vita? ℟. In anxietate nequaquam: in solicitudine moderata, omnino. Cur enim anxii simus, qui tam bonum Dominum habemus, ejusq; offensam vitare studemus? Anxij sint, qui ex bonitate divina licentiam sumunt peccandi, qui sicut aquam, imò sicut vinum meracissimum, bibunt iniquitatem, quibus nulla cura maturandæ pœnitentiæ. Non meministi, quod ex Siracide initio hujus Paragraphi adduximus: *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium in longitudinem dierum.* Generat enim, & tuetur bonam conscientiam, & fiduciam in DEO IESU nostro. Timent probi filij patres suos: nihilominus & lætificant illos, & lætantur cum illis; dum servi nequam gemunt sub flagris, scorpionibus, & fustibus.

Solicitudine tamen opus est. In medio enim

nim hoſtium & periculorum vivimus; in via valde lubrica ambulamus; & ſi aliunde deſint, intra nos alimus ruinæ ac perditionis noſtræ cauſas. Unde ad nos quoq; pertinet illud Deuter. 7. 9. *Cuſtodi temetipſum, & animam tuam ſolicitè.* Hæc tamen ſolicitudo non excludit, ſed parit, veram cordis lætitiam; dum nos ſervat à lapſu, & in DEi gratia atq; amicitia conſervat. Ita nimirum nobis, præſertim junioribus, ſaliendum eſt, ſicut ſacer canit Pſaltes Pſal. 2. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Excitat nos ad exultandum, ſed cum tremore. Pſalterio regio eleganter concinit Nolanus Pòëta & Præſul, S. Paulinus, ad gaudium metu miſtum (prout fert humana conditio in hac lachrymarum valle) nos provocans:

Deſervite DEo trepidi, miſtoq; Fideles,
Exultate metu. Fiat diſcordia concors,
Diſſimiles ſocians affectus pectore in uno:
Ne timor affligat mentes, vel gaudia ſolvant,
Si careant læta pavidi formidine lethi.
Diſcite juſtitiam, rectoſq; capeſſite mores;
Et Juſto trepidate DEo, gaudete Benigno.

Gaudeat proinde ac exultet Chriſtiana Juventus: ſed non ut annoſi inſolenteſq; illi Hebræorum pueri, circa vitulum ſalientes: verùm ut Vir ſecundum cor DEi, ludens & ſaliens coram Arca Domini, pari lætitiâ, & Numinis ſupremi reverentiâ.

§. 2.

Quomodo DEus Amore colendus?

DEum esse Amore colendum, ambigere non potest: qui vel eminus, divinas inspexit scripturas; aut aliquid de summo ipsius erga genus humanum amore accepit. Nihil enim æquè in sacris Libris suadet, urget, imperat, inculcat nobis ipsemet, ac mutuum erga se amorem. Nihil aliud tota hæc mundi machina, cum tanta creaturarum varietate & præstantiâ nobis gratiosè subjecta, clamat: quàm ut Authorem & Largitorem amemus. Quid volunt, & promissio regni cælestis, & comminatio suppliciorum Inferni, & traditio Filij in mortem propter nos, &c, nisi ut amantem terræ vermiculos, servos nequam, scelestos peccatores, tandem redamemus? Nec solùm exigit summo jure suo amorem, sed petit. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te; nisi ut timeas Dominum DEum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum?* DEuter. 10. Quàm amanter, Prov: 23. petit sibi sedem & officinam amoris, cor offerri? *Præbe fili mi, cor tuum mihi.*

Hæc est igitur æquissima voluntas, hæc gravissima, æquè ac svavissima, petitio, hoc Primum & Maximum mandatum DEi, ac Domini nostri: ut Amore colamus ipsum. Quid enim sunt quæcunq; officia, obsequia, blandimenta, quàm fucus & ludibrium; si non veniant

niant ab amante? Amor eſt omnis ſinceri cultûs author, ornamentum & pretium. Tyrannorum genius eſt: timeri malle, quàm amari. Cultum non æſtimant; niſi tremebundo poplitè, vultuq; pallente deferatur. Principibus cordatis ſuſpectus eſt honor, quem non genuit amor; ſuſpecta, vilia, & nulla ſunt obſequia & munera, quæ timor extorſit. *Affectus pretium rebus imponit* Ambroſ. 1. de Offic. *Animus eſt, qui parva extollit, ſordida illuſtrat; magna, & in pretio habita, dehoneſtat,* (monet Seneca 1. de benef. c. 6.) ſi nimirum probus non ſit. Chymicus eſt amor, qui etiam plumbum & ferrum vertit in aurum; Sol eſt, qui tenues roris guttas conflat in gemmas. Erit ergo, Florimunde, & tenuibus obſequijs noſtris gratia atq; pretium, apud ſupremam illam Majeſtatem; ſi ea detulerit verus Amor: tantòq; major illis erit gratia, pretiumq; majus; quò melius inſtructus fuerit deferens Amor.

PETES: Qualis debet eſſe Amor erga DEum? R. Sit 1. *ſincerus*: ut non ſolùm diligamꝰ ore, & verbo; ſed corde, opere, & veritate. *Filioli mei*, monet dilectus diſcipulus, *non diligamus verbo, neq; linguâ; ſed opere & veritate*. 1. Ioan. 3. DEo fucum facere non poſſumus. *Oculi ejus multò plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes*.

2. *Integer ſit & perfectus*; ſeu ex toto corde.

Diliges Dominum DEum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Deuter. 6. & Matt. 22. Id eſt: nihil diligatur ſupra ipſum, nihil æquè ac ipſe, nihil Præter ipſum, niſi propter ipſum. Non prohibetur dilectio creaturarum; ſed præcipitur: ut non diligantur ultimò propter ſe ipſas, id eſt, ſiſtendo in voluptate, ſeu commoditate, quam ex ipſis percipimus; ſed ordinentur ultimo ad honorem & gloriam DEi, ſecundùm doctrinam Apoſtoli. 1. Cor. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, Omnia in DEi gloriam facite* Neq; id conſilium tantùm eſt, ſed Præceptum. Cùm enim DEus omnia creaverit propter ſe ipſum, ſeu ad honorem & gloriã ſuam: non licet nobis, res creatas ad alium detorquere finem ultimum. Proinde ratio diligendi, ſive DEum, ſive creaturas, ſit DEus; ut DEus ametur propter ſe ipſum, ſeu propter bonitatem & excellentiam propriam; creaturæ autem propter DEum: ita illis utendo; ut ipſum earum uſum referamus ad honorẽ & gloriam DEi.

3. Extenſus etiam ad homines, & quidem omnes, ſine diſcrimine: ut propter DEum amemus, non ſolùm cognatos & amicos, opulentos & honoratos: verùm etiam viles, pauperes, abjectos, ignotos; imò & inimicos injuriam nobis inferentes. Convincitur enim non amare ſincerè DEum, qui non amat proximum ſuum, id eſt, naturæ ſuæ participẽ.

ſi

Si quis dixerit, quoniam diligo DEum, & fratrē suum oderit: mendax est. 1. Ioan. 3. Quomodo enim diligit DEum, qui non diligit vivam ejus Imaginem, relucentem si non in moribus & fortunis, certè in ipsa natura hominis cujusvis? Quomodo diligit DEum, qui insolenter violat alterum è primarijs & maximis mandatis divinis, uti etiam novum & specialissimum Christi mandatum? *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Ioan. 13. Pro modo & mensura dilectionis nostræ ponit suam: *sicut dilexi vos*; non distingvendo inter pauperem & divitem, Iudæum & Græcum &c. sed omnes indiscriminatim, etiam Inimicos dolosos, & hostes apertos, complectendo ulnis sincerissimæ Charitatis. Qui sic non diligit, manet in morte. 1. Ioan. 3.

4. *Obediens mandatis divinis.* Hæc qui exequi non studet: non est, quòd sibi blandiatur de amore divino, quantumvis millies in diem protestetur: Amo te DEus meus ex toto corde meo. Diligo te super omnia &c. Veritatis enim incarnatæ oraculum est, Ioan. 14. 21. *Qui habet mandata mea, & servat ea: ille est, qui diligit me.* & 1. Ioan. 5. *Hæc est vera Charitas: ut mandata ejus custodiamus; & mandata ejus gravia non sunt.* Et rursus c. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Hinc rectè S. Grego-

Gregorius homi. 30. *Probatio dilectionis, exhibitio est operis*, scilicet à DEo præcepti. *De dilectione ergo DEi lingua, mens & vita requiratur* Soli ergo linguæ non credendum.

5. *Vividus in agendo.* Ignea enim est Amoris indoles. Non magis otiari potest, quàm sol, & orbes cælestes: desinit esse, si desinit agere. Parum illi est, agere præcepta: ad nutum amati prosilit, voluntas ei pro imperio est. Nec vulgaribus acquiescit factis: inter heroas censeri ardet, ad heroica se se extendit. Egregiè Gregorius ingenio, officio, & sanctitate Magnus: *Amor DEi nunquam otiosus est, si verè est Amor, magna operatur: si verò non operatur, amor non est.* Primum autem, quod in nobis operetur Amor DEi, esse debet; rationi rebelles subigere affectus, iram, invidiam, elationem animi, libidinem, gulam &c. Plus hinc gratiæ & gloriæ comparabimus, quàm si ferro barbaras domaremus gentes.

6. *Fortis in patiendo.* Non imbellis sexûs, sed masculus est amor, præsertim DEi. Voluptas & triumphus ejus est; non solùm agere fortia, sed etiam pati dura. Exaggerasse visus est fortem Amoris patientiam Salomon, quando Cant. 8. cecinit Dilectionem fortem, ut mors. At si attendamus ad luctas & agones Martyrum Christi; multò fortiorē morte deprehendemus: cùm non raró unus confecerit complures, alijs alijsq; lethalibus tormentis superstes. Non decet nos, Flori-

mundc

munde, degenerare à præcelsis heroum istorum cogitationibus & ausis. Paremus nos durissimis DEi amore sustinendis: interim præludamus in minoribus; & congressuri cum leonibus, luctemur primùm cum leunculis. Si consveverimus à copiosiore cibo & potu abstinere, frigus æstumq;, & cubilis duritiem pati; ut monet Plato XI. L. invalescemus sensim ad tolerandas amore DEi corporis animiq; ægritudines, fortunarum & honoris detrimenta &c. Mirabuntur homines & Angeli in fragilis corpusculi testa animum infractum.

7. *Constans in perseverando.* Quid prodest ingens amoris divini incendium, sed quod quovis ingruentis tentationis flatu extinguatur? Quemadmodum in lege veteri voluit DEus, ignem semper ali in ara Sanctuarij; *Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari*; Levit. 6. ita in ara cordis nostri, à Spiritu S. consecrata cultui divino, oportet nunquam deficere ignem divini Amoris; qui quovis gravi peccato opprimitur, & suffocatur. Non qui DEum amare cœpit, sed qui in amore vivere desiit, felix! Nam *Qui perseveraverit usq; ad finem, salvus erit.* Matt. 10. Cæterùm ut sacerrimum hunc ignem conserves faciliùs: gnomas aliquot, opportunè recolendas, velut oleum & balsamum, tibi subministro.

Gnomæ de Amore Dei.

Qui non diligit, manet in morte. 1. Joan. 3.

Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; Charitatem autem non habuero: nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; Charitatem autem non habuero: nihil mihi prodest. 1. Cor. 13.

Qui diligit DEum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis. Eccli. 34.

Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; quæ præparavit DEus ijs, qui diligunt illum. 1. Cor. 2.

Quæ dura sunt laborantibus, ijsdem ipsis mitescunt amantibus. Omnia sæva & immania prope nulla facit amor. S. August, serm. 10. de verb. Dom:

Perdit, quod vivit, qui DEum non amat. *Idem.*

Serò te amavi, Pulchritudo mea, tam nova, tam antiqua, serò te amavi! Væ tempori illi, in quo te non amavi! *Idem.*

Cælum & terra clamat Domine: ut amem te. *Idem.*

§ 3.

Quo honore DEus sit colendus?

AMoris proles germana est Honor. Quem enim sincerè amamus; ad eum honorandum, non solùm facilè inducimur, sed provolamus: contà verò quos non amamus, ad eos honorandos ægerrimè quis impellitur, & potiùs fucum facit, quàm honorem.

rem. DEum igitur amanti, & quidem (ut par eſt) ſuper omnia, neceſſe non eſt ſuadere honorem ejuſdem: ſed ſolùm demonſtrare, quo ſit honore colendus, ut congruè honoretur. Demonſtratio autem hæc facillima eſt. Cùm enim honor nihil aliud ſit, per philoſophum 1. & 8. Ethic. quàm *Teſtificatio de excellentia perſonæ alicujus*: Excellentia autem DEi ſit abſolutè ſumma & infinita; ut nec majorem, nec parem habere poſſit: manifeſtum eſt; honorem ipſi deberi incomparabiliter majorem, quàm ullis creaturis, adeóq; abſolutè ſummum.

Dicitur hic honor ex Græcò *Latria*, & requirit tres actus. Primò actum Intellectus, quo judicetur DEus eſſe incomparabilis & ſummæ excellentiæ, adeóq; honore ſummo dignisſimus. Secundò actum Voluntatis, quo velimus hanc ejus excellentiam certâ quadã teſſerâ teſtari, ſeu profiteri. Tertiò actum externum quo re ipſâ hanc teſtificationem præſtemus. Et hic actus propriè dicitur Honor, quàmvis non ſecundùm ſe ſolitariè, ſed quatenus prodit ex imperio voluntatis proximè indicato. Hujuſmodi actus divini Honoris, communiores ſunt, Veneratio, Adoratio, Oratio, Laudatio, Glorificatio, & Sacrificium.

VENERATIO, ſeu Reverentia, exhibenda eſt DEo ut ſummæ Excellentiæ & Majeſtati; coram quâ columnæ cæli, ſeu Angelici Principatus & Poteſtates, contremiſcunt. Exhibenda

da autem eſt non animo ſolùm, verùm & corpore. v. g. caput aperiendo, corpus profundè inclinando, genua flectendo, manus in cælum tollendo, & ſubinde pronam faciem terræ adſternendo; præſertim dum DEo ſupplicamus. Non gravaberis proinde & tu, Florimunde, in ſpiritu humilitatis, humiliq; corporis geſtu ac ſitu venerari Majeſtatem divinam. Et quidni præſtemus DEo, quod exhibemus hominibus dignitate aliqua eminentibus?

ADORATIO per cultum latriæ ſoli debetur, & exhibenda eſt, DEo. Exhibetur autem tum per recognitionem ſupremæ illius Excellentiæ, & Majeſtatis, cui nulla par eſt, aut eſſe poteſt; cui omnia ſummo jure ſubjecta ſunt; tum per infimam noſtri ſubmiſſionem, qua nos, & noſtra omnia plenè ſubjicimus illius ſanctiſſimæ voluntati, ſapientiſſimæq; diſpoſitioni. Talem cultum exhibere cuicunq; creaturæ, quantumvis excellenti, ſive viventi, ſive inanimi; fœda Idololatria eſt: nec poteſt ab ullo ſanæ mentis exhiberi, cui notum eſt diſcrimen inter creaturam, & Creatorem DEum. Quis enim creaturæ tribuat Excellentiam ſupremam, quam novit infinitè magis diſtare à DEo quàm vermiculum terræ ab Angelo ſupremo? Si autem creaturæ talis tantaq; excellentia non tribuitur: hoc ipſo non tribuitur illi cultus Latriæ, nec comitatur idololatria in ipſa honoranda. Recognitio

nitio enim & conteſtatio ſupremæ Excellentiæ eſt de Eſſentia Latriæ. Dixi: *Adoratio per c[illegible]tum Latriæ ſoli debetur DEo.* Nam vocabulum hoc *Adorare* frequenter, etiam in divinis Scripturis, ſignificat minorem quempiam cultum, etiam civilem, hominibus alijsq; creaturis delatum. Sic Gen. 23. dicitur, Abraham adoraſſe populum terræ: Gen. 43. fratres Joſephi adoraſſe ipſum &c. Proinde ut rectè diſtinguas, quo cultu quis honoratur: non tam attendendum eſt ad externos geſtus, quàm ad animum honorantis. Inſignis ruditas, vel malignitas eſt: illi impingere ſcelus idololatriæ, qui citiùs arenulam Olympo, ſcintillam ſoli, guttam Oceano; quàm creaturam æquaret DEo.

ORATIO quoq; rite inſtituta, eſt eximius honor DEi. Teſtamur enim per illam: DEum, ad quem ſupplices accedimus, & poſſe, pro ſua Omnipotentia, nos juvare; & velle, pro ſua Bonitate; & preces noſtras ei non eſſe ignotas, pro ipſius Immenſitate, & Omniſcientia. Ut autem Oratio rite inſtituatur: debet eſſe Grata, Attenta, Humilis, & Reſignata in voluntatem DEi. Grata erit; à perſona grata, id eſt, gravi peccato non obnoxia. *Scimus, quia DEus peccatores non audit; ſed ſi quis DEi cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Joan. 9. Oratio in ore peccatoris eſt ferculum opiparum in ſordida lance. *Attenta* erit: ſi mens fuerit conſona verbis

bis. Rustica inurbanitas est, perorare ad principem; & oculis gestibusq; colludere morioni. *Humilis* sit Oratio, ut ascendat usq; ad thronum Altissimi. *Oratio humiliantis se penetrat nubes ; & donec propinquet, non consolabitur : & non discedet, donec Altissimus respiciat.* Resignata sit in voluntatem DEi, exemplo Christi, orationi suæ ardentissimæ & humillimæ in horto subjicientis; *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Fiat voluntas tua.* Talis oratio, si non obtinet, quod petimus, bonum certò obtinet melius.

LAUDATIONE honoratur DEus, quando congruas ei laudes dicimus, sive proprio ingenio concinnatas, sive ex Psalmographo, aut aliunde petitas; celebrando, pro tenuitate nostra, ipsius perfectiones, & operum magnalia, in Psalmis, hymnis & canticis, in tympano & choro, in chordis & organo &c. vel sola voce; prout cuiq; opportunum est. Ad hoc omnes invitat Psaltes Domini rex: *Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.* Psal. 116. Et 148. *Reges terræ, & omnes populi, principes & omnes judices terræ, Iuvenes & virgines senes cum junioribus laudent nomen Domini.* Et quid justius, quid dignius, quid gratius? inquit August. in Psal. 134. Etenim si non laudaverint servi Dominum: superbi, ingrati, irreligiosi erunt. Semper autem & omnibus observandum est, illud Eccli. 15. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Imò molesta & intolera-

lerabilis est auribus divinis: *Aufer à me tumultum carminum tuorum: & cantica lyræ tuæ non audiam.* Amos 5. Non enim consonant mores tui legibus meis. Instrue primùm hanc harmoniam: & erit speciosa laus in ore tuo, & dulcis in auribus meis.

GLORIFICATIO est honor laude major: quia est longè latèq; diffusa magnifica celebratio perfectionum & operum DEi, ad concipiendam à plurimis summam ejus æstimationem, dilectionem, & venerationem. Est hic actus valde præstans, & magni apud DEum pretii. Felix, cui datum est, totam vitam suam impendere glorificando DEo! Habet enim, quā ab ipso expectet, mutuam glorificationem *Qui honorificàverit me, glorificabo eum*. 1. Reg. 2 Quam multi, Florimunde, vitam suam, & improbos labores impenderunt glorificandis principibus terrenis: & pro gloria, quàm speraverunt, sicut diploide operti sunt confusione sua? Vide igitur: quibus modis & medijs quā latissimè propagare possis gloriam divinam, eamq; maximis augere incrementis. Si poteris verbo: prædica, insta, obsecra, argue, in omni patientia & doctrina. Non poteris verbo? Doce, exhortare, prædica, moribus: ut omnes qui videbunt vitam tuam ad leges rectæ rationis & Christi compositam, glorificent Patrem tuum, qui in cælis est. Si auctoritate & opibus pollebis: vide, ut facias per alios, quod per te non poteris. Vita tua inclamet nomi-

omnibus illud piissimi principis: *Magnificate Dominum mecum & exaltemus nomen ejus in idipsũ*. Psal. 33. Non mihi est satis, si uno corde amẽ, uno ore magnificẽ & glorificẽ DEũ, super omnes & omnia amabilem & gloriosum in sæcula: quotquot vivitis in cælo & terra creaturæ rationales, Magnificate Dominũ mecum; & exaltemus nomen ejus in idipsum.

SACRIFICIUM latè sumitur pro Oblatione cujuscunq; rei, vel operis boni, in honorem DEi. Sic dicitur Psal. 49. *Immola DEo sacrificium laudis*. Psal. 50. *Sacrificium DEo spiritus contribulatus* Eccli. 35. *Sacrificium salutare est, attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate.* Strictiùs sumptum Sacrificium significat Oblationẽ alicujus victimæ, seu hostiæ in honorem DEi: qualiter in lege naturæ & Mosaica offerebantur variæ pecudes & fruges, & incensa. Sublata sunt hæc per legem Evangelicam; eorumq; loco celebratur in Catholica Christi Ecclesia unum sacrificium longè præstantius per Oblationem Corporis & Sangvinis divini, ejusdem Salvatoris nostri: quod dicitur *Sacrificum Missæ*, eò, quod Ritus, quo celebratur hæc oblatio, dicatur Missa, à Missione seu dimissione populi, qui ad cultum divinum & sacram doctrinam convenerat, nec dimittebatur ante consummatũ hoc Sacrificium. Confluit ad illud etiamnum frequens populus diebus festis; imò quotidie interesse student, qui probi Catholici munus implere volunt.

§. 4.

§. 4.

Quanto Virtutum solidarum studio colendus sit DEus.

DUbium non est: hactenus expositos Christianæ Pietatis actus, ingentis esse pretij apud DEum, ac veluti bases, quib9 nititur tota moles cultûs divini. At non sufficiunt ijs, quibus nota est divina Majestas, & Voluntas. Non satis est, Florimunde, pios erga DEum concepisse affectus, abstinere ab ejus offensione, atq; effundi in ejusdem laudem, invocationem & venerationem: sed extendam9 nos, oportet, ad cæterarum quoq; virtutum Exercitium, quarum semina rationali naturæ nostræ indidit Conditor DEus, Christus autē vivam præbuit Ideam Verbo & Exemplo.

Sic igitur vita nobis est instituenda: ut in ea reluceat vera & inconcussa Fides omnium, quæ DEus revelavit; Spes firmissima omnium quæ promisit; Charitas sincera non solùm erga DEum, sed etiam homines, eosq; inimicos quoq; & hostes; Pietas in DEum & Parentes, Obedientia erga præpositos, Misericordia erga miseros, Liberalitas erga egenos, Mansvetudo & Iustitia erga omnes. Reluceat Prudentia in rerum & actionum delectu, Temperantia in victu, Humilitas in animo, Continentia in corpore, Modestia in conversatione, Fortitudo in tentatione, Patientia in adversis, Moderatio, in prosperis, Constantia in omni Vir-

tutum solidarum Exercitio.

Has enim dotes Christianæ Religionis & Pietatis, disertè requirit Christus in Evangelio, & Apostoli ejus, præsertim Petrus & Paulus, in Epistolis suis Canonicis. Exigit quoq; ipsa Ratio naturalis. Animi enim nostri sunt instar fœcundæ telluris: quæ si non generat, acceptâ probâ semente, triticum & flores; exuberat in urticas, zizania, & omnis generis lolia. Sic in nobis, si non efflorescit seges prædictarum virtutum; sponte sua succrescit, & luxuriatur, non seges tantùm sed sylva quorumvis vitiorum. Unde necesse est veram suffocari Pietatem, nec alium in nobis superesse, quam fucatum & Pharisaicum, DEI cultum: de quo pronunciavit Dominus Matt. 5, *Nisi abundaverit Iustitia vestra plus quàm scribarum & Pharisæorum: non intrabitis in regnum cælorum.* Ostentabant illi insignem Pietatis speciem: intus autem, in cute & conscientia, nihil erat; nisi fœdum chaos vitiorum: sepulchra erant dealbata.

Imitandus igitur piissimus IESUS, qui se nobis normam præbuit, non solum in Adoratione, Invocatione & cumulandis laudibus Patris cælestis: sed in omnigena virtute, præsertim Humilitate, Mansvetudine Patientia, Charitate &c. Sic inter veros veri DEI cultores censeri merebimur, diciq; PLENI SOLIDA PIETATE. Ad quam ùberius alendam, non inutile erit, quod hìc subjicio Alphabetum

ex

ex variarum Virtutum Actibus Alphabetico ordine (memoriæ juvandæ gratiâ) dispositis, contextum. Qui enim his eliciendis assueverit: data occasione sentiet se admoneri & incitari; ut re ipsa, & in effectu præstet; quod sæpiùs verbis, pioq; affectu est testatꝰ.

ALPHABETUM.

Ad recolendam & contestandam Excellentiam Divinam, per varias ejus Perfectiones variosq́; Virtutum actus.

ADoro Te omni possibili submissione, Optime Maxime DEus: quia suprema Excellentia es.

Benedico tibi: quia author omnis benedictionis es.

Credo, quidquid revelasti, & ad credendum proposuisti: quia infallibilis Veritas, & Veracitas es.

Diligo te super omnia, & toto corde, totaq; anima: quia summa Bonitas es.

Exaltabo te super õnia: quia mera Perfectio es.

Fastidio omnes mundi vanitates & illecebras: quia Omne bonum es.

Gratias tibi ago immortales: quia summa Beneficentia es.

Humilio me coram te, usq; in abyssum nihili mei: quia suprema Majestas es.

Ignosco amore tui, omnibus inimicis meis: quia mera Charitas es.

Lætor omni felicitate, & perfectione, & gloria

gloria tua: quia perfecta & æterna Beatitudo es

Magnificat te anima mea: quia magnus es, & laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ non est finis.

Nolo, quidquid displicet tibi: quia summa Sanctitas es.

Offero tibi, quidquid sum, habeo, & habebo: quia Dominus meus es.

Pœnitet, ah pœnitet me, quod peccaverim in Te: quia DEus meus & Omnia es!

Quæro gratiam & auxilium tuum: quia Misericordia & Omnipotentia es.

Resigno me in omnem voluntatem tuam: quia summa Sapientia & Benignitas es.

Spero à te veniam, & vitam æternam: quia in promissis fidelissimus es.

Timeo judicia tua: quia Justus, & terribilis es in consilijs super filios hominum.

Volo, quidquid desideras à me: quia Amor meus es.

Vivit Dominus, in cujus conspectu sto: quia ipsi vivet anima mea.

Hæc sunt Florimunde, quæ tibi, & sodalibus tuis, Flori generis humani, proponenda censui, de vera solidaq; in DEum Pietate. Non dubito, vobis cordi futura: siquidem omnia rectæ naturali Rationi, Sapientum effatis, & Sacrarum Literarum consonant oraculis. Reliqvum est: ut quæ sana & æqua judicabitis; in usum frequentem constantemque deducatis.

INSTITUTIONUM
IUVENTUTIS

PARS II.

INSTITUTIONES
In compta Morum CIVILITATE.

PROOEMIUM.

CIvilitas Morum, cujus Ideam hic tibi proponere institui, Florimunde, nihil aliud est; quàm decora, & vitæ civili conveniens, Corporis, atq; omnium ejus motuum, compositio: ut nihil veniat sub aspectum, vel alium sensum, quod quemquam meritò offendat. Appellari etiam solet ea concinnitas morum, Urbanitas, Humanitas, Comitas, & usitatiùs MODESTIA. Est autem huic Virtuti summa gratia apud omnes gentes, non omnino barbaras aut agrestes. Placet in omnibus, cujusvis ætatis, aut conditionis; maximè verò in Iuvenibus & adolescentulis ingenuis.

Quàm ubiq; pulchra est Modestia,
Et egregiam gloriam inter homines affert!

Canit Euripedes in Hippol. Et in Medea:

Amat autem me Modeſtia,

Donum pulcherrimum deorum.

Eſt enim aurora quædam, ſerenum adultioris vitæ prænuncians diem; eſt primus adoleſcentis plantulæ flos, fructuum gratiſſimorum ubertatem promittens; eſt blandiſſima oculorum illecebra, & ſvaviſſima animorum Imperatrix; non minorem apud ſpectatores conciliaus gratiam & authoritatem, quàm admirationem & amorem. Certè Titus Veſpaſianus non aliunde, quàm ſingularis Modeſtiæ & comitatis ſuffragio, obtinuit: ut elogio, nulli principum antè, vel poſt, conceſſo, diceretur DELICIÆ GENERIS HUMANI.

Quid? quòd Superos ipſos bene morata Juventus in ſui rapiat amorem? *Modeſtos Dii amant* teſtatur Sophocles in Ajac. Et Vologeſes rex Parthorum, apud Tacitum 15. Annal. extollens ſuorum Modeſtiam, addit: *Quæ neq; ſummis mortalium ſpernenda eſt, & à Diis æſtimatur.* Digna ſanè divinis amoribus virtus. Proinde dum in Salomonis Proverbijs c. 8. v. 31. Æterna Sapientia de ſe teſtatur; DELICIÆ MEÆ ESSE CUM FILIIS HOMINUM: non video, inter quos dulciùs hilariuſq; deliciari, ut ita dicam, poſſit; quàm inter Adoleſcentes, quos & candor animi, & innocentia vitæ, & inſignis morum commendat Comitas, atq; Modeſtia?

Habita hujus ſemper eſt præcipua cura, non ſolùm apud Chriſti cultores, & in Religioſorũ

Aſcete-

Asceterijs: sed etiam apud gentiles, non omnino inhumanos. Lycurgus Spartanæ Iuventuti leges dedit de modesto oculorum usu, moderatione incessus, gravitate conversationis &c. voluitq; juvenes non inter se promiscuè agere; sed senibus intexuit juvenes: ut quisq; ante oculos haberet ideam gravitatis.

Apud Veteres Romanos non tantùm Cives Romani, sed pueri etiam publicum suum habebant Censorem, qui reos læsæ Modestiæ, seu petulantiæ commissæ, publicis pœnis severè corriperet. Rem miram narrat M. Aurelius Imp. in epist. ad Pollion. Quo tempore, inquit, Roma triumphabat, & orbi, ob politiæ præstantiam imperabat universo; censa sunt Civium Rom. supra ducenta millia. Cumq; consentaneum sit, inter illos supra centum millia puerorum fuisse; adeò morum Præfectus illos habebat morigeros, adeò vel minimis in rebus condocefactos: ut Catonis Uticensis filius, quod puellulæ aquam petituræ urnam fictilem fregisset; itemq; Cinnæ, illius optimi, filius ob hoc unum quòd ad decerpendos fructus hortum quendam intrasset, relegatus fuerit ex Urbe; quorum neuter decimum quintum ætatis annum impleverat. Acrius enim illo ævo in errata joco commissa, quàm hodie in flagitia seriò & ex destinato facta, animadvertebatur.

Hæc Aurelius Imp

Consultissimum igitur visum est: ut Institutionibus Iuventutis in Pietate Christiana, sub-

jungerem breves institutiones in Christiana morum Civilitate, seu Modestia. Præterquam enim, quod etiam gentilibus sit venerabilis, & necessaria visa, ut proximè indicatum: ea est Professionis Christianæ integritas & sanctimonia: ut & interiores animi, & exteriores corporis motus habitumq; velit componi ad eam probitatem, quæ deceat Filios DEi. Unde graviter monet Apostolus: MODESTIA VESTRA NOTA SIT OMNIBUS HOMINIBUS. Philip. 4. Fœdum enim est; magis esse dissolutum, vel moribus minùs cultum, Iuvenem Christianum: quàm olim puerum Romanum, aut Spartanum.

Cæterùm non fuit mihi magnopere laborandum in concinnandis hujusmodi Institutionibus; cùm me non latuerit: jam versari inter manus, multoties repetitis typis editam, SCHOLAM URBANITATIS, Libellum mole exiguum, sed distinctè, accuratè & cultè exhibentem Regulas morum decenter formandorum. Has igitur censui Institutionibus hisce inserendas: cùm Exemplaria in his terris ægrè reperiantur. Firmavi tamen eas & exornavi opportunis sententijs & Exemplis, tum ad persvadendum, tum ad incitandum appositis.

INSTITUTIO I.

De Cultu Divino decenter peragendo.

EST hæc imprimis Christianæ virtuti consentanea cura: statim ut quisque somno relaxatur, atque è lecto consurgit, animum ad DEum advertere, ejus Numini actis de nocturna quiete gratiis, morigerum in servum offerre sese, non tenendæ tantùm consvetudinis causâ: sed studiosâ & attentâ pietate.

2. Inter orandum, præsertim loco publico, interque non solennis Missæ sacrificium (illius dico, quæ solenni cantu, & celebritate non extrahitur) nec considendum, nec ullam in partem gravi corpore est incumbendum: nisi quà fortè imbecillitas gravior, aut proclinandi corporis, aut sessitandi etiam necessitatem afferret: quæ si aderit, tamen illa usurpanda erunt modestè, ac silenter, tum quamdiu tenebit res sacra, tum sacratiore curâ ipso jam tempore consecrationis. Porrò quoties pronis genibus est supplicandum: utrumque in terram submittendum est.

3. Per Missam solennem standi, sedendi, de genibus orandi, qui in Ecclesia usus est: is unicuique decori lex esto. In Missa soluta cantu, ac privata, ad solum Evangelium statur, reliquâ omni parte genibus religiosè nitimur.

4. Ut Templum intratur, illicò silentio,

atque aperto capite, DEo Optimo Maximo, summum altare versùs reverenter honos habendus est: tum adhibitâ sibi aquâ lustrali, adeunda orationis causâ Ara maxima, illave, ubi sanctissimo Sacramento sedes est; dehinc Altaria, sacrave signa cætera, ut piorum mos, & cujusquè religiosus ardor tulerit.

5. In templo, oculi nè temerè huc illuc circumagantur; socii nè pulsentur, stringanturve, fabulationibus nè indulgeatur; preces non sic sonorâ seu vibranti voce fundantur, ut ab aliis exaudiri possint. Suspiria nè clarè erumpant, compescantur; nihil facere liceat, quod vel offensionem, vel admirationem aliis afferat.

6. Missæ tempore, concionis, & reliquorū divinorum Officiorum, inambulare in templo, irreligiosum est. Spatiari autem coram sanctissimo Sacramento, id verò nullo tempore, fas & religio patiuntur.

7. Ad mensam, cùm aut sacris precibus initiatur, aut gratiæ DEo aguntur, recto corpore, manibus quietè compositis est consistendum, nullâ corporis invenustâ adminiculatione, nullo oculorum emissitio conjectu. Ad nomen IESU, ad Doxologiæ Numinis duos illos versus &c: *Gloria Patri &c: Sit nomen Domini benedictum*: caput reverenter est submittendum.

8: Sacris divinæ Scripturæ verbis non abutendum in res profanas aut ludicras.

9. In

9. In DEum, in Sanctos nec jacienda cognomina, nec dicenda acroamata, seu joco, seu seriò.

10. Sacris nominibus JESU, & MARIÆ, vel cùm audiuntur tantùm, honorem habento, caput aperiunto, pedibus nè instrepunto. In Missa quoties pronunciari ea accidit, caput honoris causa submittunto. In concione, lectioneve publica, ad primam eorum auditionem, & quoties qui prælegit, quive concionatur, sibi pileum detrahit, caput nudanto; cæteroqui capitis submissione honorem habere satis esto. Cùm mensæ assidetur, atq; interea dicit aliquis legitve: in more habento nutu capitis honorem testari. Cæterùm id temporis caput detegere nulla urbanitatis lex cogit, nisi, ut homines inter se colunt: gravi meritis, vel authoritate præcellenti cuipiam id officij necessario est tribuendum.

11. Signo publicè dato ad Salutationem Angelicam: etsi qui circumstant, salutem Virgini non dicunt, dicenda tamen, aut positis genibus, aut recto corporis statu, ut aliorum, loco illo & tempore, exemplum fuerit. Eâ finitâ, neque si præsens quispiam tibi antecellit, primum te exurgere, pileumve tibi indere, decorum putes; & ubi consurrexeris, mox iis, qui astant, salutem tempori aptam dicito, faustam aut diem, aut vesperam iis comprecans.

12. Dum inter viam sanctissimo Sacramen-

to occurritur, in genua procumbunto, adorandi causâ, dum prætervectum sit. Si nihil prohibescit, ad templum usque deducunto; in equo aut in rheda si eris, exscendunto.

SENTENTIÆ ET EXEMPLA.

VEri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. *Christus Ioan.* 4.

Sive manducatis, sive bibitis sive aliud quid facitis: Omnia in DEi gloriam facite. *1. Cor.* 10.

Omne, quodcunq; facitis in verbo aut in opere: Omnia in nomine Domini IESU Christi. *Coloss.* 3.

Rerum omnium principium, medium & finis, DEus est. Quisquis ergo bonum aliquod opus aggessurus est; exordium sumat à cælesti Numine, supplexq; petat: ut ejus voluntatem intelligere possit, viresq; sibi subministret, quibus cœptum feliciter absolvat. *Alphonsus X. Rex Cathol. in prologo legum.*

Prima officia Dijs immortalibus debentur. *Cic. 1. de offic.*

A Jove principium faciamus, & in Jovem desinite Musæ. *Theocritus Idyllio* 17.

Omnibus in rebus & dicendis & cogitandis, principium semper à Dijs est sumendum. *Plato ep.* 8.

Funde preces: nam nemo DEi non indigus hic est. *Nestor apud Homer. Odyss.*

Quæ ratio est, manibus quidē ablutis, spiritu vero sordente, orationem obire? *Tertull. lib.*

Quàm reverenter, adorandus sit DEus; & quàm humiliter, non stando solùm (ne dicam sedendo) sed genibus flexis, & subinde prono corpore, fundendæ sint ad eum preces: docent illustria Sanctorum & Sancti sanctorum Exempla. Invitat ad eum ritum David rex Psal. 94. *Venite adoremus, & procidamus & ploremus ante Dominum.* Et 2. Reg. 12. *Ingressus seorsum, jacuit super terram.* deprecando pro vita parvuli. Daniel Propheta ter in die genua flectebat, & adorabat. Dan. 6. Tres Orientis Reges Infantem Christum *procidentes adoraverunt.* Paulus Apost: ad Ephes. 3. de se testatur: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri IEsu Christi.* Apocal. 4. & 5. Viginti quatuor seniores in facies suas ceciderunt coram throno Divino. Ipse Salvator & Dominus noster, ante Passionem in horto, venerabundo *procidit in faciem suam orans.* Matt. 26. Requirit hoc DEus Isa: 45. *Mibi curvabitur omne genu.*

Attentionem maximam in cultu Divino, præsertim tempore Sacrificij, docent maximi Principes. Philippus II. Rex Hispaniarum, cùm advertisset duos è Grandibus suis liberiùs confabulantes in ecclesia, non solùm fulgure oculorum eos perstrinxit: sed vetuit deinceps venire in conspectum suum. Quæ castigatio alterum mente movit, alterum paulò pòst vitâ exturbavit. *Lrexel. l. . Trib n. 6. 9.*

Rex quidam Indus in duos nobiles ephebos suos, tempore sacrificij Divini ante ædē sacram perstrepentes, jussit illico animadverti gladio, tanquam in reos læsæ Majestatis supremæ. Et luissent capite petulantiam: nisi Lusitani pæsentes docuissent; gratiorem DEO futuram Clementiam. *Rho. lib. 3. c. 1.*

Carolum V. Imp. horâ consvetâ vacantem fundendis ad DEum precibus, interpellavit aliquando nuncius potentissimi cujusdam regis, urgebatq; importunè admissionem cum literis urgentissimis principalis sui. At Carolus nihil motus, renunciari jussit: Negotium sibi esse cum majore Monarcha. *Idem ibid. c. 8.*

In quovis cultu DEi & Divorum, accuratè observandum illud Veterum Romanorum monitum, sacrificantibus dari solitum: HOC AGE, QUOD AGIS. Quamvis Tertullianus putârit, Christianos hoc monito & monitore non indigere. *In cælum suspicientes, Christiani,* inquit, *manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubescimus; deniq; sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus.* In Apologet. c. 30. Quod dicit, *de pectore oramus*, idem est, ac animo & corde sincero.

Præterire non possum Ephebum Magni Alexandri; cui inter sacrificandum facem ardentem gestanti, cum fortè luculentus carbo delapsus, manum acriter adureret: immotis manu vultuq;, perstitit Scævola novus, præclaro Juventuti Christianæ relicto exemplo;

qua

qua gravitate, & corporis modestiâ rei sacræ debeant interesse.

SS. Venceslaus Bohemiæ, Câsimirus Litvaniæ, Principes, ætate & pietate florentes, nocte intempesta, subinde pedibus nudis, etiam acri hyeme, visitabant ecclesias, & in earum vestibulis, toto corpore strati, adorabant, & prolixè, brachijs expansis, orabant.

Jucundè Epictetus: Etiamne aliud ego præstare possum, senex claudus, quàm celebrare DEum? Etenim si luscinia essem; facerē quod solent lusciniæ: si cygnus, cygni more canerem. Atqui compos sum rationis. Itaq; hymno mihi celebrandus est DEus. Nam meum illud est officium: quod sanè præstabo, nec deseram ordinem hunc, quo ad ejus possum; vosq; ut idem faciatis, atq; eâdem incedatis viâ, hortor. *Differ. ap. Arrian. lib. 1. c. 16.* Christianè Cato in distichis:

Si DE9 est Anim9, nobis ut carmina dicunt:
Hic tibi præcipuè sit purâ mente colendus.

INSTITUTIO II.

Civilis vitæ genericæ, ac miscellaneæ, informatio.

OMnis in aliorum conspectu suscepta actio, specimen animi honorificè eos colentis præseferat.

2. Fœtidarum rerum sensum, aut memoriam

am commovere, indecorum est.

3. Coram aliis serva id attentè, quoad potes, nè quam ad corporis partem manum portigas, quæ exposita oculis esse non soleat; solent autem & vultus & manus. Id consuetudine ipsâ ut teneas, assvesce huic decoro, etiam cùm solus es.

4. Quæ res stomachum nauseâ comovent, eas socio nè commonstres.

5. Tecum tu ipse nè cantites, nisi tam solus sis, nemo ut abs te alius audiat. Nec pedum autem, nec digitorum pulsu tympanotribam agito.

6. Nec dentes defrica, nec iis stride, nec quidquam aliud ita collide: ut hærenti stridore sensum molestè alijs lacessat.

7. Illiberale est, diductis brachiis corpus pandere, aut horsum illorsum contorquere.

8. Cùm tussis, cùm sternutas, si regere rem potes, nè magno & vibranti sono incunditè instrepe. Suspiria nè ducas, quæ alij sentiant, sine gravi causa.

9. Nè vastè expira, nec ulula oscitando. Si potes, oscitatione penitus abstinè, sed tum etiam diligentiùs, cùm aut loqueris, aut loquentibus præsens es. Habet enim id tædij significationem, aut parum comis observantiæ in eos, quibuscum agitas. Si, quin oscites, continere te non potes, saltèm nè loquere interim, nec patulo ore hisce, sed pressa illud modestè, seu manu objectâ, seu sudariolo

vul-

vultu ab circumſtantium oculis modicè averſo.

10. Cum nares emungis, ne buccinæ in modum naſo perſona, nec quod elicueris, in ſudario reſpecta; neve, quod pueri ſordidè faciunt, mucum digitis tibi aut manica deterge, ſed ad id linteo emunctorio ſemper utere.

11. Obdormiſcere aliis ſermocinantibus, ſedere dum ſtant, inambulare dum immoti manent; loqui dum ſilendi tempus eſt, vel audiendi, res ſunt inurbanæ omnes; atque indecoræ. Ei tamen, qui cæteris anteſtat, ſunt tempora, locaquè, quibus, in cœtu ſecum inambulare liceat: ut magiſtro in ſchola, aliisquè talibus.

12. Non decet, in cubiculo cubile eſſe incompoſitum; in aliorum oculis aut veſtire ſe, aut deſpoliare; cubiculo exire ſemiveſtitum, aut vittâ pileove nocturno redimitum; non ad pluteum, aut omnino in cubiculo ſtare diſſoluto cinctu, habituquè. Ac tametſi tibi ad manum domi eſt, qui lectum ſternat: tamen cùm ex eo deſilis, nè inconcinnè diſtectum, & detectum relinquas.

13. Dum ſtudes, ſi alij tecum unà ſtudent; inurbanũ eſt, cuiquam obſtrepere, aut ſic clarâ voce legere, ut interpelles. Eſt & inſcitum ac illiberale: magiſtro docente, legere alia, atque agere, ſocioſue, quò minùs attentè audiant, impedire.

14. In ſchola, in concione, alibi, dum audis

dis, nè exultantiùs geſtias, ut Saperda præ cæteris, atque intelligens, non ſine aliorum deſpectu videaris.

15. Ad ludum atque ad focum diu exſpectantibus locum non dare, indecorum eſt.

16. Cave, nè immodicè ludo incaleſcas; nè ludum contentionibus, aut clamoribus miſceas, nè, dum calore ardes, interbibas: ſeu calor è ludo exiſtat, ſeu ex itineris labore, ſeu ex opera, cauſave alia. Nam omnino æſtuantem bibere, inſalubre, ac periculoſum eſt.

17. Deſpuere in focum, manus calefaciendi cauſà proximè ad ardentes prunas admovere, flammis ingerere, ad ignem quaſi humi ſedeas, ſedere, atque incurvari, invenuſtum eſt. Si quid ad ignem coquitur: pedem porrò ſupra ignem nè oppandito: honeſto in cœtu tergum tibi nè calefacitò, nec propiùs quàm cæteri eſſent, accedito. Nam hoc utrumque prærogativa excellentiæ eſt, & autoritatis. Cum uſus ac neceſſitas non eſt, focum movere, ligna compulſare, indeve demere, ejus eſt, qui autoritate polleat, aut cui foci cura commiſſa ſit.

18. Sedendi lex eſto, ut pactis in terram pedibus, ijſque, & cruribus æquatis ſedeas, nec crus cruri, aut pedem pedi invenuſtè ſuperponas.

19. Ungues nec ſubſecandi palam, nec verò dentibus ſunt demordendi.

20. Digiti non ſalivandi, non articulatim diſtor-

distorquendi, dispandendive, digitis nasum non pertentando, nec convertendo alijs contuētibus.

21. Caput non quassabis, tibias non agitabis, oculos fœdè non diradiabis; supercilia inæqualiter non attolles, os non distorquebis. Quos alloqueris, eos cum verbis pytissmate, atque oris salivâ non complues. Id nè accidat, nulli te in os propiùs offeres, sed justo ex intervallo colloqueris.

22. Præsente altero nec pulices conficе, nec sordida id genus animalcula. Quod si sordidum aliquid humi occursans tibi oculos lacessit, quale purulentum sputum, taleve aliud, id si commodè potes, pedum pressu confunde atque obtere. Sin ejus, cum quo agis vestibus adhæret, oberratve; non illi, alterive putidè commonstres; sed quoad potes, sic tolle concinnè atque industriè, nè sentiat quidem; qui alius autem simile aliquid tibi decusserit, dempseritve, comem & gratum animum ei ostende.

23. Nec porrò procul quasi jaculo emisso, nec post humeros est excreandum, sed longiusculè, & in latus; non ulli, qui unà adsit ex adverso: at si lentior, crassiorque est pituita, pede illicò, si potes, est opprimenda. De fenestra in subjectam viam nè despuas, nè in focum, nè in malluvium, ad quod os, manusque colluuntur, neque alium in locum, unde lentor ille pede, induci, atq; aboleri non possit.

24. In congressu cum hominibus, colloquio præsertim, tergum, atque humeros ei obvertere, inconditum est. Est & importunum mensam incursare, pulpitum succutere, ubi aut legit quis; aut scribit; vel ad alterum tanquam adminiculum, adniti: eũ, cui loqueris, seu loqui cupis, per vestem ducere, vel cubito pulsare, indecorum est.

25. Noli, ut bellatulus videaris, inepte in omni sermone, vitæque actu, cæsitium aptare tibi, tibialia adducere, aut reducere: ut bellè quadrent. Ungues nè sordibus oppleti, seu prælongi sunto. Dentium, ac manuum munditiam curato, sed sine delitijs, ac lautitiis.

26. Putidum est, inflare genas, lingvam exertare, barbam sibi mulcere, manus confricare, labia distendere; aut mordere, pressa arctiùs aut hiulca circumferre.

27. Nè assenteris: nec verbis ductes. Nam qui alterum phaleratis dictis ducere instituit, is ostendit, se despectui eum habere, certè minus cordatum ac providum credere, quem idoneum putat, in quo sic ludat. Quem joci offendunt, ab ejus auribus eos facesse.

28. Contra decorum est, medio in familiari congressu libros, literas, id genus aliud legere, nisi in re necessaria, ac tantisper; ac tum etiam veniam præfari consentaneum est, nisi fortè cæteris, qui tecum sint, autoritate sis superior. Multò ab decoro est alienius, aliena scripta, libros, res generis ejusdem

dem contrectare, applicare se ad ea propiùs, oculos in ea defigere, non annuente eo, ad quem res pertinet; laudare item ea vel carpere, antequam de iis sententiam rogeris. Alienissimum autem, dum qui tibi vicinus est, literas, taleve aliquid privatim legit, corporis impulsu, aut oculorum conjectu, ejus lectioni imminere.

29. Vultus nè imaginosus sit, & multiplex, severus, admiratione suspensus, mærore obductus, varius & inconstans; nullam denique perturbati animi significationem præ se ferat. Tranquillus sit contrà, ac serenus, nec seriis in rebus nimiâ hilaritate solutus, nec in familiari, & communi vitæ consvetudine, nimiâ subductus gravitate.

SENTENTIÆ ET EXEMPLA

I. Sit negotiorum nostrorum principium & basis, & radix, & si quid tale alio nomine dicitur, Primus animi motus; & si placet, extraria ejus impulsio: quibus attendendũ est; nec temere quid inchoandũ, si bonus quis esse velit. Agenda sunt enim omnia adhibita considerazione, judicio, consilio, conscientiâ: & ubiq; præcipuæ partes Honesto tribuendæ. *Manue. Imp. de Educat. præcepto* 30.

Itidem non agenda confusè, quæ fortè se offerunt: sed semper prima primùm: nam magna vis ordinis est. *Idem. ibid.* Per *prima* intelligè præcipua.

Cu-

Cujusq; suscepti operis & negotij conside-ra antecedentia, & consequentia, & postea ip-sum aggredere. *Epictet.*

Vir bonus eligit potiùs unam actionem ho-nestam & magnam; quàm multas & parvas. *Aristot. 9. Eth. c. 8.* Ut satius est, unum aliquid insignite facere, quàm plura mediocri-ter: ita plurima mediocriter, si non possis unum aliquid insigniter. Plinius Jun. l. 9. ep. 29.

II. Omnes actiones totius vitæ, Honesti at Turpis respectu temperantur. Ad hæc facien-di, & non faciendi ratio dirigatur. Quid sit hoc? dicam. Vir bonus, quod honestè se fa-cturum putaverit, faciet; etiamsi laboriosum erit: faciet etiamsi damnosum erit; faciet, e-tiamsi periculosum erit. Rursus, quod turpe erit, non faciet, etiamsi pecuniam affert, eti-amsi voluptatem, etiamsi potentiam. Ab ho-nesto nulla re deterrebitur, ad turpia nulla spe invitabitur; *Seneca* epist. 79. *Accinit Clau-dianus de VII Con: Honorij*

Comprime motus:
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat, mentemq; domet respectus Honesti.

Evenit tamen plerumq; quod Seneca notavit *epist.* 95. Ad mercedem pij sumus, ad mercedem impij. Honesta, quamdiu illis spes aliqua inest, sequimur; in contrarium transituri, si plus sce-lera promittant.

Plutarchus *in apophtegm: Spartan.* tradit de se-ne quodam; quòd solemne certamen Olympia

spe-

ſpectare cupiens, ſedem non invenerit: cumq; multa obiret loca, à nemine admiſſus, contumelijs inſuper dicterijsq; exagitatus eſt. Cùm autem ad Lacedæmonios veniſſet, omnes ei pueri aſſurrexerunt, multiq; viri ceſſerunt loco. Quem morem cùm Græci omnes multo plauſu, ut æqvum erat, approbarent, ſummisq; laudibus efferrent; ſenex iſte canam concutiens barbam & tempora cana: Proh calamitatem! exclamavit. Norunt omnes Græci, quid ſit honeſtum: ſed eo ſoli utuntur Spartani,

Cæteros inter Spartanos honeſti amantes, celebratur adoleſcens: qui cùm ab hero ſuo ſolicitaretur ad quidpiam inhoneſti, nec alio modo evadere poſſet: è feneſtra domûs præcipitem ſe dedit.

III. Quidquid agendum aut dicendum erit, in publico vel privatim; agendum dicendumve Moderaté. Vetuſtiſſima parœmia eſt: *Ne quid nimis*. Cujus authorem faciunt alij Solonem, alij unum è Græciæ 7. Sapientibus, Pittacum. Concinit Venuſinus *Satyr.* 1.

Eſt modus in rebus; ſunt certi deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectũ.

Socrates aliquando rogatus quænam ſit Juvenum Virtus? ſeu quæ maximè illis neceſſaria? Reſpondit: Nihil nimis. *Diog. Laert. in ejus vita*. Impetus naturæ moderandus ratione.

Modus eſt ſol & anima virtutum. *Lipſius* 2. *Polit: c.* 14. Quem quia non tenuit Phaëton

ton, orbem incendit; & ipse, curru eversus, præceps abijt. Instruxerat enim illum providè Phœbus, *apud Nasonem l. 2. Metamorph.*

Nec preme, nec summũ molire per æthera currũ:
Altiùs egressus cœlestia tecta cremabis,
Inferiùs terras: MEDIO TUTISSIMUS IBIS.

Notavit & Martialis *lib. 6. Epigramm.* 29. quod
Immodicis brevis est ætas, & rara senectus.

In jucunditate, quæ ad jocum accomodatur, qui modum quendam adhibet; is festivus, seu urbanus habendus est; & hæc affectio urbanitas est & festivitas: at quæ modum egreditur, scurrilitas; & in quo ipsa inest, scurra dicitur. Qui verò omnino à jocis abhoret; is agrestis & rusticus; affectio ipsa rusticitas habenda est. *Aristot: lib. 2. Ethic. c.* 7.

In conversatione igitur familiari non appareas nimis lætus, non nimis facetus, non nimis gravis, nec nimis familiaris, nec nimis doctus, nec nimis disertus, imò nec nimis sanctus: prudens tamen & probus ubiq;. Nam ut rectè Hippocrates in Aphorism: *Omne nimium naturæ inimicum.* Et Democritus apud Stob. serm. 6. *Si quis modum excesserit, jucundissima quæq; injucundissima fient.*

In omnibus rebus videndum est, QUATENUS. Etsi enim suus cuiq; modus est: tamen magis offendit nimium, quàm parùm. *Cic: in Bruto c.* 8.

IV. Decori ratio semper & ubiq; habenda. Nam ut pulchritudo corporis apta compo-

positione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipso; quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt: sic hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine & constantiâ, ac moderatione omnium dictorum atq; factorum. *Cicero lib.* 1. *de Offic.*

Decori gratiâ, fabulantur pöëtæ, Minervam abjecisse usum tibiarum, quibus suavissimè afficiebatur. Quàmvis enim tibia non dedeceret Musarum aliquam: at Minervam maximè.

Decori intuitu, Socrates invitatus ab Agathone, inter amicos comptiore, composuit & ipse habitum corporis vultumq; ad nitorem solitò elegantiorem. Mirantibus familiaribus respondit: Ut pulcher ad pulchrum eam. *Erasm. lib.* 3. *apoph.*

Pericles Prætorem agens Atheniensium, cùm videret Sophoclem Pöëtam, Collegam suum, oculos intemperantiùs circumferre: admonuit hominem decori, & officij sui. *Oportet, ô Sophocles, Prætorem non solùm manus à lucro, sed oculos à libidine habere puros.* Videndùm, non solùm quid te, sed etiam quid officium tuũ & dignitatẽ deceat. *Lipsius in Mon. Pol. c.* 17.

Damocles Adolescens Atticus, corpore formosissimus, sed animo longè formosior, ne quid indecorum pateretur à Demetrio rege, deprehensus ab eodem in balneis; cùm aliâ viâ evadere non posset, reserato aheni bullientis operculo, in aquam ferventem se demersit, & extin-

extinxit. *Idem ibid.*

Non solùm ab Adolescentibus, sed etiam coram illis, & omni teneriore ætate, decori maxima ratio habenda est. Nam, ut bene Juvenalis Sat: 14.

Dociles imitandis
Turpibus & pravis omnes sumus. *Et paulo post:*
Nil dictu fœdum, visuq;, hæc limina tangat,
Intra quæ puer est. Procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia, si quid
Turpe paras: nec tu pueri contempseris annos.

INSTITUTIO III.

Congressionum prima officia, salutatio, loci cessio, similia.

ABstinendum quidem est immodicæ urbanitatis intemperanti studio: necessariæ tamen in communi vita, atque opportunæ morum elegantiæ diligenter ideo sunt adhibendæ, quòd prætermitti sine eorum injuria non possunt, quibuscum vivitur.

2. Spectatos, honestosq; viros ut DEo sacratos, ut in civili dignitate locatos, ut istorum similes, capite aperto venerare; pilei, quem honoris causâ tibi exemeris, patulâ inferiore parte ad te reductâ. Venerare & nonnullo corporis flexu, pro eo ac cujusquè dignitas, & ingenuus benè educatorum mos fieri

eri poſtulat. Ut inſulſa autem res eſt, caput ſalutandi cauſâ, non aperire quibus par eſt; aut exſpectare, dum æqualis tuus, te hoc officio antevertat; Sic cùm non opus eſt, id uſurpare, ſpeciem habet affectatæ urbanitatis. Probroſæ demum inurbanitatis eſt reſpectare, an reſaluteris. Porrò in ſalute verbis dicenda, forma illa optima eſto, quam politiorum hominum conſvetudo præcipuè celebrat.

3. Peccat in rationem decori, qui majori ſe dicere occupat, ut caput tegat; peccat & qui id non dicit, cui æquum eſt, & qui præpropere caput tegit, præſertim viro gravi colloquens, & qui tegere aliquoties monitus, importunè obſequi detrectet; quare poſt unã, alteramve ſignificationem, capitis tegendi omne jus eſto, niſi quid aliud receptum uſu uſpiam ſit. Et quidem in conſvetudine cum æqualibuſve, majoribuſve, qui aut Religioſi ſint aut domeſtici, fas eſt æquali minorive, primum ad ſignum, de re iſta obſecundare, ſolent tamen ferè qui vel pares ſunt, vel parvo diſcrimine diſjunguntur, unà æquè omnes ſignificare inter ſe, unà omnes caput operire. Quæ de moderatione hic annotata, etiam de capiendo loco, & de inſidendo dicta intelliguntur. Nam immodicæ officiorum deliciæ perquam importunæ, ac moleſtæ ſunt.

4. Qui aut re, aut hominum opinione altero minor, caput obnubere æquum bonum ducit, dum qui major eſt, nudo interim ca-

 pite

pite esse perseverat, primùm hujus rei veniam poscat, tum impetratâ utatur; quod sine offensione tamen utrumque fiat.

5. Si sedenti tibi intervenit quispiam, colloquii causâ, assurge adventanti; præcipuè si id personæ ratio exigit; ut si quo nomine tibi antestat, si par, minoruè, tibi haud admodum est familiaris. Si sedes apud te, seu sedile erit, quod quemque decet, ei fac tribuas.

6. Cùm iis occurris, quibus te deferre æquum est, præter solitæ consalutationis munus, subsistendum tibi est nonnihil, aut regrediendum etiam, maximè ad januarum ingressum, aut locorum angustias, dandusque eis locus, dum præterierint.

7. Cum iisdem si inambulabis, honoratiorem locum eis concedes. Honoratiorem dico, qui ubi deges, talis usu, & opinione vulgò habebitur. Generatim, usu receptum videtur apud plures, ut dextera honoris sit index: ita scilicet, ut quem quis honorat, eum sibi ad dexteram, se ad ejus sinistram astituat. Tres cùm unà ambulant, qui inter eos est ornatissimus, medio loco accipitur; secundas honoris partes ejus dextera, tertias sinistra sibi vindicat. At in Gallia cùm ad murum inambulatur; quia muri vicinia & acclivitate superior sæpè est, & ferè rectior, ac mundior: passim mos obtinet, ut digniori illa concedatur; nominatim cùm soli duo unà iter habent.

8. In-

8. Inter compares aut pene compares tuos locum ex omnibus commodissimum tibi nè delige. Ad eum invitatus nè pugnaciter resiste. Utere hoc potiùs modestè, & comiter, ut te obsequendi studio, vel contentionibus occurrendi, admittere eum ostendas; certè de eo gratias agito.

9. Qui aut ætate, aut dignitate valdè antecellet, si domi suæ, locove alio principatùm loci minori deferet: ut non convenit eum, qui minor est, tali se honore dignari; ita neque illo superiorem de eo studiosiùs urgere, aut plus semel, iterumve ei deferre, nè precum magnitudo, & crebritas, de prudentiæ vel urbanitatis existimatione recusanti aliquid detrahat, aut quod non decet, eum facere adigat.

10. At inter æquales, par est, domi quemquè familiarem æqualem suum honorificentiore loco impertire; & qui sic accipiatur, cū verò decet recusare primò, mox iterata amici petitione, morem gerere, gratiamq; habere

11. Domestica in ambulatione similia tenento. Sat erit tamen principio, dignationis causa, sese ad amici lævam applicuisse; ut sors deinde tulerit, sic eunto. Quæ præceptio, nec in ambulatione cum majoribus reprehendi posse videatur; ac ubiq; locorū quod plurimo in usu erit, id ratum esto.

12. Qui cum imperio, & potestate sunt, quive magistratum gerunt, iis omni in con-

 gressu

greſſu loco' ceditur. Iidem tamen juvenes ſi erunt, ſciant hoc à ſe exſpectari, ſibi ut nobilitate pares, at longè ætate provectiores, inprimiſque doctoratus gradu inſignitos, etſi Rempublicam non gerant, honore colant; imò delatum ab his ornatiorem locum primùm eis remittant, tum modeſtè, cum gratiæ teſtificatione, quaſi tributum ab iis beneficium capiant.

13. Perhoneſtum eſt, quibuſcum res, & colloquia agitantur, eos vocis teſtimonio ſibi anteponere, illuſtres præſertim viros & magnâ præ nobis acceſſione dignitatis; cum quibus nulla unquam eſt ſuſcipienda contentio.

14. Cùm primarius ſacrorum Antiſtes, cùm ſummus in Repub. Princeps, cùm in ſimili dignitatis luce conſtituti obvii fuerint, eſt uniuſcujuſque benè inſtituti, pro eo atque ipſorum dignitas fuerit, honorifica eos conſalutatione proſequi, ſubſiſtereque etiam, dum præterierint.

15. Univerſum hoc cultioris humanitatis genùs, inprimiſquè illud, quod in ſermone verſatur, moderare debent tempus, locus, ætas, perſonarum diſſimilitudo. Ac ferè negotioſi homines prolixis elegantiarum lautitijs perurgendi non ſunt, decurtandæ illæ, & ſigno magis, quam verbo, exprimendæ.

16. Ut opifices, atque infimæ plebis homines ſolicitare non debet exquiſitæ urbanitatis cura (in Patricios, ac Magnates magis id ſtudere

dere eos æquum eſt, officio illos, & obſequio ut colant, ſic proprium eſt Nobilitatis) humanitatem in ipſos, facilitatemq; adhibere; fugeteq; omnem arrogantiæ culpam, ac ſpeciem.

17. Majorem ſeu ſalutes, ſeu viſas, quod ibi locorum his muneribus ſolemne erit, quod perſonarum varietas depoſcet, id uſurpa; ſeu manus illi oſculandæ erunt, ſeu veſtis oræ, ſeu dexteræ tuæ libato oſculo ſubmittendum corpus & conquiniſcendum honoris cauſa; ut quodquè horum, inquam, mos patrius, perſonæ, tempus, locus requirent. Ante rem, ſi quod optimum factu ſit, incertus eris, à conſultis conſilium expete.

18. Viris gravibus colloquens, corpus tibi nè adminiculato, oculos in eorum ora nè defigito, protinus nè accedito, paſſus circiter unus interjectus eſto.

19. Ad ægrotum ubi adieris, extemplò medicinæ ignarus, Medicum nè agito.

20. Viros exiſtimatione florentes, cùm literas ad eos dabis, cùm alloqueris, ſic compellabis, honoris cauſâ, ut mos patrius atque ipſorum dignitas poſtulat. Scriptas jam literas relege, ut erratis perpurges; pulverem, ubi opus erit, inſperge; nec niſi literis probè deſiccatis, chartam complices, ut nè deformentur.

SENTENTIÆ ET EXEMPLA.

NOn omnibus eadem placent, nec conveniunt quidem. Præterea faciendi aliquid, vel non faciendi ratio, cùm hominum ipsorum, tum rerum etiam ac temporum conditione initur. *Plin. l. 6. ep. 27.* Proinde & modus atq; ratio salutandi à salutantis & salutandi, conditione petenda.

Salutatio frequenter sine voce intelligitur & afficit; & ex ingressu vultuq; perspicitur habitus animorum. *Quintil. Instit. l. 11. c. 3.*

Maximi decoris erat, amplos illustresq; viros, etiam ab infima plebe, quotidie salutari, appeti, deduci, reduci, consuli, eisq; decedi, & assurgi. *Alex. ab Alex lib. 5. Gen. dier. c. 24.*

Cæsar Augustus propter cladem Germanicã, ut ajebat, petijt à Patribus, ne se ampliùs domùm venirent salutatum *Xiphilin. in Epit: Dion.*

Augustus Cæsar. promiscuis salutationibus admittebat & plebem; tanta comitate desideria adeuntium excipiens: ut quendam joco corripuerit: quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem. In senatu non nisi sedentes Patres salutavit, ac nominatim singulos; eodemq; modo sedentibus valedicebat discedens é curia. *Suetonius.*

Assurgebant veteres occurrentibus vel adeuntib9 etiã inferiorib9: ut L. Sylla Dictator Cn. Pompejo, Pompej9 Catoni minori &c. August9 Cæsar ægrè tulit: quod populus honoris causâ assurrexisset filijs suis. *Sueton.*

Romæ

Romæ Domitius Corbulo præturâ functus, de L. Sylla, nobili juvene questus est apud senatum: quod sibi inter spectacula gladiatorũ loco non decessisset. Pro Corbulone ætas, patrius mos, studia seniorum erant, nec deerant exempla majorum, qui juventutis irreverentiã gravibus decretis notavissent. Sullam potentes propinqui tuebantur: datæq; fuissent turbæ, nisi Drusus apta temperandis animis disseruisset. *Tacit. lib. 3. Annal. c. 31.*

Notavit agrestem hanc inurbanitatem Juvenum Iuvenalis sat: 13. ubi de Veteribus ait:

Credebant hoc grande nefas & morte piandũ,
Si juvenis vetulo non assurrexerat; & si
Barbato cuicunq; puer: licèt ipse videret
Plura domi farra, & majores glandis acervos.

Requisivit eam reverentiam & DEus ipse, erudiens populum suum *Levit 19. 32.* Coram cano capite consurge, & honora personam senis; & time DOMINUM DEUM TUUM.

Capite aperto salutationes instituuntur more veteri: ut omnia nostra, & intimos sensus animi, apertos ei, quem honoramus, esse testemur. *Alex ab Alex lib. 11. c. 19. & l. 5. c 34. Plutarchus in quæst. Rom. q. 10. dicit:* Quemadmodum adversùs hostem caput tegimus: ita, & præstantibus hominibus obviam datis, idem nudemus, consentaneum est.

Dexteræ junguntur inter familiares & amicos: tum, ut ex Varrone notavit *Servius ad illum versum Æneid. 1.*

Cur dextræ jungere dextram, Non datur? quia in eo membro præcipua vis agendi consistit: tum quòd arctissimam testemur amicitiam, stringendo dextras. Diogenes autem dictitabat: Non esse porrigendas amicis manus, complicatis digitis. Innuens; civilitati adjungendam esse auxiliarem operam, & liberalitatem. *Laert. lib. 6.*

De magno apparatu hujusmodi officiorum ait *Seneca ep. 96.* Humana ambitio istis officijs capitur. *Et c. 13. de Constantia Sap.*

Sapiens, quemadmodum non placet sibi, si illum mendicus coluerit; nec contumeliam judicabit, si illi homo plebis ultimæ mutuam salutationem non reddiderit: sic se nec suspiciet quidem, si illum multi divites suspexerint: scit enim illos nihil à mendicis differre, imò miseriores esse.

Plutarchus in Consolat. ad Appollon. eximiam filij ejus defuncti, civilitatem extollit ejusq; dotes adolescentium æmulationi proponit. Apollonius, *inquit*, tuus in pulcherrimo ætatis flore decessit, perfectus Iuvenis; suspiciendus & æmulandus omnibus æqualibus suis: cùm & in patrem matremq; fuisset pius, & domesticorum studiosus, philosophiæ deditus, deniq; ut uno dicam verbo, prorsus humanus; ut qui seniores non aliter, quàm parentes revereretur, & æquales sodalesq; amaret, & præceptores veneraretur, & cùm peregrinis, tum hospitibus mansvetissimus esset, & vultu gra-

tioso.

tioso, comiq; humanitate omnibus suavis carusque.

INSTITUTIO IV.

Compellandi, monendi, carpendi, salibus utendi forma, ac ratio.

QUæ ad viros illustres adhibendæ sint honorificè compellationes, earum tempora, mores patrij autores sunto; interpretes autem viri communis vitæ gnari, & experientes. Sed enim quæ in sermone ritè adhiberi cœptæ erunt, dum cum iisdem sermo habebitur, variè, aliis nè commutentur.

2. Non sic splendidæ, sed vulgarioris fortunæ homines cum alloquimur, vulgari quidem ac vernaculâ lingvâ (nam Latinæ sua quædam severior majestas atq; augustior est) compellamus plurativo numero blandiusculè. Vos, Vobis; non Tu, Tibi, nisi puerulus fortè sit, quo cum loquimur, multo nobis ætate inferior, feratquè hanc liberiorem compellationem, nobilium ac politiorum loquendi usus. Patrum tamen in liberos certam ad ætatem (ac passim in Gallia usque dum patriâ potestate exierint) sancta hæc autoritas est, Tu, Tibi, te illis vernaculè usurpare sine inurbanitatis nota liberè ut audeant possintquè. Par scholæ Magistris in suos pusiones, par esse videtur autoritas simili jure aliis id genus Præsidibus. Ad intimos, & fa-

miliares quod attinet, mos patrius liberiorem illis nonnunquam Tuisandi inter se potestatem facit, alibi sanctiùs prohibet.

3. Qui in rem, quod potest, quod decet, facit; estò res optatis tuis non respondeat, tamen eum nè carpas. Laudari enim, quàm vituperari dignior est.

4. Moniturus, reprehensurusve quempiam, circumspice diligenter, clam, palàm, isto, an commodiore alio tempore, imò & quo genere verborum fieri id par sit; maximè ubi quis aliàs monitus, nec præteritis, nec futuris erratis remedium adhibet. Ante cætera, seu mones, seu reprehendis, absit iracundia, vocisquè contentio impotens, contràque omnis moderatio animi adsit, & placiditas.

5. Enimverò quisquis te admonuerit, quo idcunque, modo, loco, tempore faciet, amicè & cum gratia accipe. Post, si culpà vacabis, ac necessariò tibi purganda videbitur, licebit sanè ita facias; sed cum hac cura, ut in tempore bonoquè modo, magis ut rem ei probes, ac de ea molestiam eximas, nominatim si in ejus es cura, & potestate: quàm ut te excusatione defendas.

6. Nulli vitia exprobra, nè naturæ quidem, nec voluptati ducas, verbis, factisve quêquam pudore suffundere.

7. Nec gravi, nec probrosâ in re dictis ludito: si cavillari placet, nè morde, nè lacera ut canis. Sales sint in re nati, acuti, nulli

nulli odiosi aut acerbi. Facetiæ, nè, quod scurræ amant, indignis ex rebus, ex inverecundis actionibus, risum quærant. Si quid lepidè argutum, si festivum dices, risum aliis permittens, risum contine.

SENTENTIÆ ET EXEMPLA

COMPELLANDI ritus apud veteres Romanos is servabatur: ut in familiari salutatione quisq; proprio nomine salutaretur, & resalutaretur. Unde *Ovidius lib.* 2. *de Arte*

Nomine quemq; suo (nulla est jactura) saluta.
Iunge tuas humiles ambitiose manus.

M. Crassi popularitatem celebtat Plutarchus: quòd nulli civium Rom: quantumvis obscuro, & abjecto, occurrerit: quin salutantem nomine suo resalutarit. Præstantissimum fuit, suis nominibus quemq; venerari, & salutare, salutantibusq; reddere salutem. Ideo nomenclatorem, qui nomina suggereret, habuêre. *Alexand. ab Alex. lib.* 11. *c.* 19. Qui tamen præcipua dignitate & honore fulgebant: illos proprijs salutare nominibus, indecorum videbatur. *Addit idem.* Quod etiam nunc passim observatur. Utimur enim nomine Officij seu dignitatis.

Obvios, si nomen non succurrit, DOMINOS salutamus. *Seneca ep.* 111. Unde Martialis lib. 1. ep. 113.

Cùm te non nossem, Dominũ regemq; vocabam:

Cùm bene te novi; jam mihi Priſcus eris.
Et lib. 5. ep. 10

Cùm voco te Dominũ, noli tibi Cinna placere.
Sæpe etiam ſervum ſic reſaluto meum.

ADMONENDI ars paucis conceſſa, multò cum ſale adhibenda eſt. Rectè *Iſocrates ad Demonic.* Fidelem & benevolum monitorem haud temere invenies.

Omnes in admonendo ſapimus: ſed cùm ipſi aberramus, haud advertimus. *Euripedes apud Stob. ſer. 23.*

Illa admonitio efficacior eſt, & altius penetrat, quæ adjuvat ratione, quod præcipit; quæ adjicit, quare, quidq; faciendum; & quis facientem obedientemq; fructus expectet. *Seneca ep. 94.*

Cimon, quoties aliquid in Athenienſium ſuorum moribus reprehendendum erat, non directè & expreſſè ipſos arguebat; ſed dicere ſolebat: An non tales Lacedæmonij? *Plutarch. in Cimone.*

Similiter Pomponius Lætus, quando Romanæ juventutis deſidia, vel improbitas arguenda erat, cum gemitu dicebat: At majores veſtri tales non fuerunt.

Illum liberiùs admonuiſti, quàm debebas: itaq; non emendaſti, ſed offendiſti. De cætero vide, non tantùm, an verum ſit, quod dicis: ſed an ille, cui dicitur, veri patiens ſit? *Seneca lib. 3. de Ira. c. 26.*

Admoneri bonus gaudet: peſſimus quiſq; correpto-

ceptorem aſperrimè patitur. *Idem ibid. c.* 37.

Admonebo ergo non amarè, non palam, ſine convicio; ſic, ut ſe rediſſe in memoriã, non reduci, putet *Idem lib.* 5. *de Benef. c.* 23.

SALIBUS ut ſale utendum. Ne quid nimis.

Duplex omnino eſt jocandi genus, *inquit Cicero lib.* 1. *de Offic. c.* 29. Unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum: alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum. Quo genere non modo Plautus noſter, & Atticorum antiqua comœdia, ſed etiam philoſophorum Socraticorum libri referti ſunt. Ludo autẽ & joco illo quidem uti licet; ſed ſicut ſomno & quietibus cæteris, tum, cùm gravibus ſerijsq; rebus ſatisfecerimus. Ipſum genus jocandi non profuſum, nec immodeſtum, ſed ingenuum & facetum eſſe debet. In ipſo joco aliquod probi ingenij lumen eluceat. *Inter Epigrammata Seneca carmen eſt*.

Nunquam ſunt grati, qui nocuêre, ſales.

Dextri ac ingenui eſt, ea dicere, & audire omnia, quæ bono viro ac libero digna ſunt. Eum enim quædam & joco dicere, & audire decet. Politus & liberalis homo ita animo affectus erit: ut ipſe ſibi lex eſſe videatur; ſive dexter, ſive urbanus nominetur. At verò ſcurra à riſu longè multumq; ſuperatur, qui nec ſibi parcit, nec cæteris, ſi riſum concitet.

Idem ibid.

INSTITUTIO V:

Vestitus, cultusquè corporis.

NE sis ut fœmina comptus; cæsitium, capillum, barbam impensiùs nè cures. Unguentis te, atque odoribus nè perfundas. Galerum neque adductum altius, neq; in oculos eductum depressiùs, nec Thrasonico fastu compositum geras.

2. Præsentibus aliis, nè ligulis te astringe, nè relaxa, seu ad requisita naturæ te compara. Naturæ ut servieris, si cibus dehinc contingendus est, manus elue, at si fieri potest, alijs haud præsentibus.

3. Sanitatis, unà & munditiæ interest, manè lecto solutum, faciem, manusquè abluere; tum in tempore caput pectere, dum nè curiosius, & ad delicias id fiat.

4. Non sint sordidæ, laceræ, pulverulentæ, depilatæ vestes. Semel ferè in dies singulos scopulis depurgentur. Quin ubi sedeas, ubi in genua procumbas, quo corpus applices, videto, nè aut pulvere, aut quâ aliâ immunditiâ locus horreat. Pallium sub alas, basilicam ad pompam, nè substringito. Seu togam autem seu pallium tibi eximes, complicato ea decenter, & composité, atque ubi deponas, etiam advertito.

5. Genus vestium id ama, quod tui compares honesti, modestiquè usurpant, habitâ prudenter locorum, temporumquè ratione. Enimverò idhic etiam age atque opta: inter æquales tibi

ut

ut vestium cultus simplicior, ac modestior sit potiùs, quàm aut opulentus magis aut apparatꝰ.

SENTENTIÆ ET EXEMPLA.

MUndæ vestis electio appetenda est homini. Naturâ enim homo mundum & elegans animal est. *Seneca ep.* 92.

Abjectum & humilem animum notat vestis sordida *Basil. ep.* 42.

Odi in parvo corpore longa velamina. Illa vestis decenter indutui est, quæ non trahit pulverem, nec in humum demissa calcatur. *Symmachus l.* 3. *ep.* 10.

Augustus Cæsar pro concione advertens multos sè Romanis Græcorũ more palliatos, indignabundus exclamavit: En Romanos rerum dominos, gentemq; togatam. *Sueton c.* 40

Ne vestis serica viros fœdaret: decretum sub Tiberio Imp. *Tacitus* 2 *Ann.*

Luxum vestium ac mensarum, tanquam corruptelam & vitæ pestem, à palatio pepulit Ioannes Comnenus imp. *Nicet in vit.*

QUEMADMODUM stultus est, qui empturus equum, non ipsum inspicit, sed stratum ejus ac frænos, sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste, aut ex conditione æstimandum putat. *Macrob. l. Saturn c.* 11.

Nihilominus plerumq; secundùm parœmiã *Est vestis testis, quales intrinsecus estis.*

Cui consonat oraculum Divinum Ecli 19. 27 Ornatus viri, & risus dentium, gresusq; hominis, enunciant constitutionem ejus. Sic tur-

bulen

bulentum Cæſaris adoleſcentis ingenium Prodidit veſtis malè compoſita, monente Cicerone: ut caverent à malè præcincto. Et aſſumptum palliolum philoſophicum à Iuliano, præſagiit turpem Apoſtatam.

Faſcibus & purpuris gloriari, vanus error hominis: & inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente ſordeſcere. *Minuc. Felix in Octav.*

Hinc Alexander Severus Imp. monitus ut civilem veſtitum Imperatorio mutaret; reſpondit Imperatoriam Majeſtatem conſtare virtute non corporis cultu. Idem gemmas omnes, quas reperit in palatio, vendidit; & aurum ærario intulit. *Lamprid.*

Alphonſus rex Aragonum ſimile monitum ſimili reſponſo refutavit. Præſtat moribus & authoritate præcellere, quàm diademate & purpura. *Panorm. lib.* I.

Celebre eſt Rudolphi I. Imp. apophtegma. Ab Ottocaro Bohemiæ rege victo, fidei Sacramentum, quod Homagium dicimus, in caſtris accepturus, cùm rogaretur: ut congruum actui tam ſolemni Imperatorium aſſumeret habitum; renidens reſpondit: Imò rex Bohemiæ griſeam meam veſtem ſæpe deriſit: nunc ipſum veſtis mea griſea derideat. Vos equos & arma expedite, atq; ad pugnam inſtructi ſtate. Hic ſplendor, non veſtium, me & vos decet. *Lipſius in Mon. Pol. c.* 15.

In publico maximè, attendendum, ut partes omnes decenter ſint tectæ, Philippus Macedo mul-

multos bello captos, aliquando fub hafta vendens, indecenter fedebat, vefte reducta. Fidenter monitus à mancipiorum quodam, ut decoro confuleret, veftemq; accuratius componeret: libertate monitorem donavit, atq; amicũ appellavit *Plutarch. in apopht.*

Sicut in plerifq; rebus mediocritas; optima eft (ait *Cicero 1. de Offic.*) ita veftitûs eadem habenda ratio.

Non eft Corpus noftrum tam bene de nobis meritum; ut molliter ac fplendidè fit veftiendum. Si cilicio non atteritur, muliebriter non foveatur. *Durius tractandum eft corpus, ne animo* (& DEo) *malè pareat*: monet Seneca ep. 8. Heluo ille Evangelicus, qui epulabatur quotidie fplendidè, & purpurâ byffoq; induebatur; tandem fepultus eft in Inferno. *Luc.* 16 Quodfi ftatûs ratio ferica requirere videatur, vel quidpiam auro illufum: neceffitati ferviatur, non vanitati. Inter Chrifti cultores non defuerunt, etiam è prima nobilitate, etiam in fexu molliore; quibus cilicium ferico vel purpurâ tectum, latera mordebat.

Lacedæmonij folis meretricibus permittebant veftes floridas, & auro pictas. *Clemens Alex. l.* 2. *pædag. c.* 10.

Sicut cui impofitum eft cataplafma, & cui inuncti funt oculi, vel ipfo afpectu præbet morbi fufpicionem: ita fuci, tincturæ, & ornatus affectatus, animam intrinfecus ægrotare fignificant. *Idem ibid. lib.* 3. *c.* 1. Quodfi luxu

diffl=

diffluentia, & mollia vestimenta insuper peregrinis halent odoribus, vel corpora spirent ungventorum nidorem: nonne exanimis animæ argumentum erit?

Vespasianus Imp. non tulit adolescentem, qui ipsum adierat, gratias pro collata præfectura acturus. Statim enim ac odoribus fragrantem sensit: moto stomacho, repulit, & acerbiore voce superciliόq;: Mallem, inquit, allium oboleviſſes. Et sic reſciſſis collatæ gratiæ literis, bene olidū dimisit. *Petrarcha dial. 2.*

Quod hodiernus mundus comam cineribus odoratis inspergat: nescio, an bene olentis cerebri argumentum sit?

INSTITUTIO VI.

Incessus sive unius secum, sive unà plurium.

FAc, cùm incedis, gressu eas nec concitè effusè, nec langvidè inerti, non ore diducto, hiantiquè, non promicanti, non latatim nutanti corpore, non pendulis manibus non jactatis, succussisquè brachijs, non pedum plantis terram validè compulsantibus, non variè immissis, non valdè projectis pedibus non terram convertentibus. Sunt & hujus decori partes; tibialia passim in incessu haud adducere, non summis niti pedum articulis, non subsultim, tolutimve ut in chorea, non corpore, incurvo, non prono capite, non

non saltuatim, non calcaneis sese incursantibus ingredi, non extra templum capite aperto progredi, nisi si religio id jubet; cum sanctissimum Sacramentum foras per viam est prosequendum.

2. Nè pavi instar magnificè te circumspice, pulchrè an comptus sis, calceatus commodè, tibialia, recentesve aliæ vestes benè an corpori sedeant. Pedem è cubiculo nè effer, scriptorio calamo, aut ori indito, aut auriculæ imposito. Omitte & flores, talesve amœnitatum delicias, auribus, pileo, galero præfixas circumferre. Sudariolum nè manu præferto, nec pendulum ex ore, è zona, sub axillam congestum, in humeros immissum, sub toga abditũ: sed eo loco illud habeto, unde nec aspectabile sit, & præstò expromi possit, ubi usus erit. Idem nisi mundum, & prope adhuc intactum abs te, alteri nè offeras.

3. Seu solus, seu comitantibus alijs, per vias hæsitando nè incedas, præcipuè in civitatis luce publica. Nè domi quidem alieno tẽpore comede, præsertim corã alienis hominibꝰ.

4. Solus tecum nè ride, nè colloquere. Non sunt enim hæc sapientis. Nec solus per viam cantu te exhilara, unde alij rem percipiant. Non te offeras mirantis specie tanquam magnum aliquid animo volutes. In via ligna, lapides, res, reculasve id genus alias ut missilia nè jactes. De industria saxa pedibus nè collidito, emoveto. Stultorum enim nego-

tia

tia sunt ista. Non te inferas capite arduo, non depresso abjectiùs, non contorto ineptè aut in dexteram, aut in lævam; non oculis huc illucquè hiantibus.

5. Imprimis si honori tuo consultum vis, cum bonis ambula. Si id non potes, quia aut non nôsti; aut qua alia de causa: solum te esse, atque ire, quàm cum malis, est optatius.

6. Si cum æquali tuo gradieris, in eum principatum tibi nè arroges; nè ambitiosæ antecessionis delicias secteris, seu si locus tibi pro dignitate delatus non erit, indolescas. Si dignior est comes, dextrum tibi eum, certè honoratissimo loco statue; ac dum unà itis, cave gradu eum præyertas.

7. Domi si comite aliquo spatiaberis, atque is erit, cui honorem debeas, eum primo ambulationis ingressu ad dexteram colloca; nisi cum substiterit, nè intersiste, prior ambulationem nè converte; ipsa in conversione vultum non humeros ad eum adverte. Si celsâ erit, & illustri dignitate, gradum cum eo penitus nè æquato: tantillùm reductus eum prosequere; sic tamen dimensè ac modicè, tecum ut commodè sermonem conferat. Si compar tibi est: ambulationis spatia pari cum eo nutu dimetire, prior nè semper te converte, nè in medio incessu crebrò interjunge, nisi cùm illustris necessitas rem excusabit. Res enim ista & principatum præ se fert, & molestiam creat. Qui inter stipantes medius ambulat

bulat, si fortunâ, & dignitate pares utrinque sunt, aut pene pares, alternis ambulationem convertat, hinc ad dexteram, inde ad sinistram: sin dispares sunt, digniorem versûs sese plurimùm convertat. Denique, qui eum cingunt, semper ad eum & cum eo, non antê aut post se convertent, quippe ipse ambulationis metator est.

SENTENTIÆ ET EXEMPLA

Inter indicia interioris hominis, qui certé valde varius est, & nimis abditus, ponit Siracides Ingressum, seu Incessum, hominis. *Amictus corporis, & risus dentium, & Ingressus hominis enunciant de eo.* Eccli. 19. 26.

Sic Magnus Theologus, S. Gregorius Nazianzenus, cùm Athenis liberalibus disciplinis operam daret, unà cum Juliano, cui Apostatæ stigma postea inustum est, inter cætera defectionis ejus omina notavit etiã PEDES INSTABILES ET TITUBANTES, ingemuitq;: *Quale malum Romanorum terra nutrit?* Orat. 1. in Julian.

Salomon quoq; Proverb. 6. inter alia hominis perversi argumenta, ponit pedes inquietos. *Homo apostata,* inquit, *vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede &c.*

Isaias etiam Propheta c. 3. perstringit insolentem incessum filiarum Sion, & imminentem pœnam comminatur. *Pro eo, quod elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant. & plaudebant; ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant: decalva-*

decalvabit Dominus verticem earum.

S. Basilius in ep. ad Greg. Naz. formam incessûs modesti præscribit. Incessus esto nec segnis, ne animum dissolutum declaret; nec rursus insolenter incitatus, ne consternatos impetus animi significet.

S. Ambrosius lib. 1. Offic. monet: Est etiam in ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior; aut contrà gravior & constantior, & purior & maturior æstimatur. Itaq; motus corporis est vox quædam animi.

Discat, vel ex Lycurgi Institutione, Christiana juventus moderationem in incessu, & debitam in publico Modestiam. Imperavit ille Adolescentibus Spartanis; in vijs manus intra pallium haberent, silentioq; incederent, ac nunquam circumspicerent: sed humi defixos oculos tenerent. Sic effecit: ut masculinus sexus circa pudicitiam acrior esset naturâ muliebri. Itaq; illorum vocem (*præsertim in plateis*) minus, quàm si essent lapidei, oculos verò minùs, quàm si essent cæci, converteris. Majore autem eos pudore affici, quàm ipsas in thalamo virgines existimabis. *Xenophon de rep. Laced.*

Isocrates de Atheniensium Juvenibus testatur: Forum ita fugiebant: ut si quando transire cogerentur: id magna cum modestia & vere-

verecundia facere viderentur.

Cum quibus autem ambulandum & conversandum sit Juveni: indicat Salomon *Proverb.* 13. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. Amicus stultorum similis efficietur.

Ut, qui in solem venit, illustratur; & qui in unguentorum taberna resederunt & paulò diutiùs commorati sunt, odorem loci secum ferunt: ita qui cum sapiente consvetudinem habent, etiamsi hoc non agant, tamen redduntur meliores. *Seneca.*

Sancta conversatio confundit inimicum, ædificat proximū, glorificat DEū. *Isidor. soliloq. lib.* 3

Conversatio perpetua contemptum parit. Raritas autem admirationem conciliat. *Apulejus de deo Socratis.*

Cum his oportet ambulare; cum quibus conspectus, non mutes colorem. Id est; non erubescas. *Plutarch. in Apoph. Lac.*

Socium conversationis voluit Epictetus tripliciter considerari. Vel enim præstantior est, aut inferior, aut æqualis. Præstantiori auscultare & obtemperare convenit: minori modestè persuadere, æquali autem consentire. Et hoc sanè modo nunquam incides in contentionem. *Stob. serm. de Temper.*

Pulchra copula seniorum atq; adolescentum. *Ambros. lib.* 2. *de Offic. c* 20

Convictor delicatus paulatim enervat, & emollit. Necesse est, aut imiteris, aut oderis. Utrumq; autem devitandum est. Cum his con-

 versare

verſare, qui te meliorem facturi ſunt: illos admitte, quos tu potes facere meliores: Omnium Societatum nulla præſtantior eſt, nulla firmior: quàm cùm viri(vel juvenes) boni, moribus ſimiles, ſunt familiaritate conjuncti. *Seneca ep.* 11.

Agnoſces, talem unumquemq́ eſſe, quales ij ſunt, cum quibus libenter verſatur. *Plinius lib.* 4. *ep.* 27.

De Sencio Augurino adoleſcente, ſcripſit idem Plinius: Vivit cum Spurina, vivit cum Antonio; quorum alteri affinis, utriq; contubernalis eſt. Poſſis ex hoc facere conjecturam; quàm ſit emendatus adoleſcens, qui à graviſſimis ſenibus ſic amatur.

Solonem multi nobiles viri ſecuti ſunt: Ariſtides, Phocio, Pammenes, Thebanus, Lucullus, Cato, Ageſilaus, Spartanus: horum unuſquiſq; imitatus hederam, quæ validam amplexa arborem, ſimul attollitur. *Plutarch. de præcept. reip.*

INSTITUTIO VII.

Congreſſus ipſe, & colloquia.

IN hominum doctorum, graviumq; congreſſu levicula in ſermonem nè inducito; nec apud indoctos ſubtiliora, quàm ut intelligant, aut quæ difficulter inveniant. Sententias crebrò nè eloquere, præſertim apud æquales, minimeq; apud eos, qui dignitate

tibi

tibi antecellunt, nec tempori item, vel auditoribus aliena. Inter epulas festave tempora, tristia nè commemorato non diritates plagarum, non immunditiarum spurcitias, non mortis tædia: quin si de his sermo aliunde inductus erit, tu, si potes, industriè, commutato. Somnia, nisi intimis familiaribus, nè referto, eaq; cùm illustrem rerum significationē dare videbuntur, cui fidē tamen nè habeto.

2. Non est hominis bene instituti, de rebus suis gestis, de ingenio, virtute, cæteris ejusmodi laudum nominibus gloriari, quin imò de sua, aut suorum nobilitate, divitijs, honoribus, nisi coactus non loquetur. Idem haud se temere tamen in sermone admodum deprimet.

3. Ubi risui locus non est, ibi cavillari & jocari velle importunum est: nè rideas effusè, nè indecorè,nè sine idonea causa, tantumve ideo, more tuo ut rideas. Ex aliena calamitate risum ne captes, etsi risui per se opportuna esse videatur.

4. Neminem injuriosè appelles, nequè joculo, neq; extra jocum. Neminem verbis perstringas, neminem ludifices, hominum præsertim antecellentium, tametsi ab eis causa aliqua sit.

5. Ne sis morosus, & difficilis, sed comis, & liberaliter officiosus, priorq; aliis salutem dicere occupa. Sermonem accipe, & redde nec te conde in recessum, cùm in vita communi humanè congredi, & colloqui oportet.

 6. De

6. De nullo, de nullius rebus, ulla ratione detrahe. Etiam cùm laudas, modum tene.

7. Colloquijs, consilijsve ne te immisceas, quibus gratusne intervenias, tibi incertum sit. De rebus, si authoritate princeps non es, sententiam nisi rogatus nè dicito, præsertim non in tempore, nequè utilitatis spe allucente. Rogatus, sermonem confer in pauca, maturequè ad rei caput accede.

8, Si qui ulla de re duo contendunt, neutri, nisi quid cogat, accedito. Quod sentis, nè pertinaciter defende. In rebus, quæ ad sentiendum liberæ sunt, quæ pars sententiarum numero est superior, eam complectere.

9. Alienis culpis Censorem te & reprehensorem nè appone. Est enim id magistrorum, patrum, eorum, qui præsunt, proprium munus. Potes tamen alienum ab re animũ præ te ferre. Potes interdũ prudenti oratione, opportuna in rem monita delinquentibꝰ adhibere.

10. Aliorum labes, ac maculas, tametsi naturâ insint, maximè si in facie insident, curiosè nè dispicias, seu causas sciscitetis, unde extiterint. Quod in aurem amico fidenter dicturus esses, præsentibus aliis silentio preme.

11. Quæ lingva tibi ignota est, aut non probè percepta, eâ ne sermocineris, nisi in re necessaria, ut animi tui sensa intelligentiùs exprimas. Patrio, ac gentili idiomate utere, non inconditè, ut fex populi, aut ut ancillare abjectum genus: sed ut politiores, atque opti-

mates

mates cives tui, & cultè, & eleganter. Imprimis castè loquere, ac verecundè, subturpicula ipsa nec el m alteri in aurem, nec liberiùs quasi per lusum verniliter funditans. In sermone de rebus altis & sublimibus, fac, vilia & plebeja verba tibi nè excidant.

12. Nè eloquere, nisi re prius cum animo tuo cogitata, expensaquè: quotidiano in sermone verborum circuitione nè utere, argutias & emblemata nè quære. Volvente, aut lapsante lingvâ, verba ne involve; contra, nè loquere tam lentè & cunctanter, ut fastidium crees.

13. Dum quis alius loquitur, cave auditores tuâ causâ ab eo defluant: tu audi facilis, & attentus, non oculos aliò intorquens, non aliud agens. Si ductim quispiam, & quasi restitans loquitur, tamen ei, velut loquenti subserviens, verba nè supple, nisi hoc te roget, aut privatim res agatur, sitquè ipse de intimis tuis & perfamiliaribus, nequè interpella eum, nequè ei responde, quoad loquendi ipse finem fecerit,

14. Dum colloquio intervenis: nè percontare, ecqua de re sermo inductus sit; habet id enim specimen autoritatis. Precare potiùs urbanè & comiter, ut qui cœptus erat, eum, qui habebant, protendere nè graventur, si ideo conticuisse eos senties, quia tibi deferunt. Contrà, si quis colloquenti tibi intervenit, præsertim vir spectatus & gravis, est è

rationibus decori sermonem habitum compendio re erre, deincepsquè totum pertexere atque exequi.

15. Nihil ore, oculis, manibus faciendum indecorè, quo, res quæ dicitur, exprimatur. Nec verò tenenda brachia sunt aut in tergum reducta, ut complicata decussatave. Inest enim in his corporis gestibus plus quiddam autoritatis. Sed sustinenda ea ratione modoquè, ut manus, altera alteri adjecta, coram adversæ sint, paulò infra pectus aut ad zonam deductæ. Zona ipsa nec prælarga, nec præarcta sit; depressa immodicè, aut surrecta. Inter verba, etiam adverte quàm compositè corpus moveas. Quo in genere nec caput motes, nec manibus mices, & firmo in vestigio consiste.

16. Sic habeto, inconcinnum esse inter loquendum pileum ori aliudve quicquam prætendere, chartam aut quæcunquè alia mansitare, capite micare, cubitos collidere, unum in pedem collocare sese, tibiarum alteram alteri transversam inducere.

17. Eum, de quo loqueris digito nè monstra; ad ejus autem quicum loqueris nec vultum, quem vereri imprimis addecet, nec personam propriùs accede.

18. Duobus unà pluribusve inter se sermocinantibus, si quem seorsum conventum velis, paucis rem expedi; nec quod dicere habes, in aurem ei dicito; sed si arcana res erit se-

duc

due eum ab alijs paululum. Si potes nihilq; prohibet, colloquere idiomate, quod qui circumstant probè noverint.

19. In multorum communi congressu, privatim ne uni atque alteri arcane colloquitor: verùm de re hujusmodi differ eum in tempo alterum, nisi tu fortè cæteris præsides.

20. Intempestivè velle adire & colloqui, perinde est atque agendo nihil agere; aut si quid agis, eos quos sic velis, sic adeas, molestiâ & indignatione complere.

21. Hominum cum hominibus comparationes devita; ideoque si quis rei benè gestæ aut virtutis prædicatione laudatur, tu coram eo de eadem virtute alterum nè lauda. Omnis enim comparatio odiosa est.

22. Novis de rebus dissipatos sermones sermunculosque narrare alijs, facile animum ne inducas, nisi veros esse certâ autoritate cognoris, Nec cùm audita refers, autorem memores, quin gratum ei id fore jure existimes: Quod secretò audis, tecum habeto, atque alteri nê dixeris.

23. Si quid narrabis, legis ratione disseres, longus ne esto, tum maximè, cum aut res ipsa parvi momenti est, aut sentis eam parũ auditoribus gratam esse.

24. Noli esse in alienis rebus curiosus, & ubi qui inter se conferunt, arcanò colloquuntur, eò ne accede.

25. Quod efficere atque exequi non potes, in

in id operam tuam ne deferas: quod spoponderis verò, id serva atque præsta.

26. Quæ legatio obeunda tibi erit, quæ relatio, quæ autoritas: ea fac tranquillè, prudenterquè defungare, sive illa tibi ad plebejos homines, sive ad optimates sustinenda erit.

27. Interea dum Præsides, dùm alij verba faciunt: cave ne aut fabuleris, aut rideas, aut aurem iis, quæ inter eos dicuntur admoveas.

28. Nè musses, ne gannias.

29. Quod nescis certò, tanquam cèrtum ne asseveres.

30. Inter majores, maximequè eos, qui cũ imperio tibi præsunt, non interrogatus ne eloquere, eloquuturus consurge, ac nudato capite paucis responde: nisi & sedendi & caput obnubendi, potestas facta tibi fuerit.

31. In concertationibus, maximè quæ in communi vita occurrunt, ne sis vincendi adeò cupidus, ut non aliis suas quoque dicendi partes liberas relinquas. Seu jure autẽ, seu injuriâ contendas, par est acquiescere te autoritati aut plurium aut contentiosiorum, multoq; magis eorum, qui vel tibi vel disputationi præsident.

32. Lacessitus verbo, vel injuriosè appellatus, neque responses, neque te defendas; magis rem joco elude, aut tanquam ea te modicè tangat, ita te ostende; estò multi ad jus tuũ defendendũ te vocent; certus teneas: *Non omni dicto, responso opus esse.*

33. Non

33. Non cuivis ſermoni pugnaciter reſiſtas, contentioſè iſta opponens: *Non ſic res habet, ita habet uti ſentio, dicoque.* Alieno judicio ſta; iis potiſſimùm de rebus, quæ ſint, an non ſint, haud magni intereſt.

34. In communi, etiam tuorum æqualium congreſſione, ne blatera ut planus & circulator, ſed loquere modicè & opportunè, quãdiu ſe aliquid dat, quod tum ſit ad rem de qua agitur, tum certum tibi atque exploratum. Nam de re quam non teneas, ſermonem inceptare, eoque oſtenſo & incepto, excuſare caducam rei memoriam, quam te legiſſe tamen certò ſcias: frigida & invenuſti exempli excuſatio eſt.

35. Te addecet compoſitũ honeſtã gravitate, quid alii dicant, animum attendere, ſubinde ne iſta turpiter quærites: *Ecquidnam dicis? quî geſto, inquis, res eſt? fugerunt me, quæ dixiſti:* nec alias id genus ineptias inculces.

36. Si quid narrare occeperit quiſpiam, non obtundas narranti, id jam te ſcire: ei rem non apprimè rectiſſimè, narranti, ne abnutes, ſeu contradictes, aut riſu illudas. Multò minùs dici æquum eſt: *Non ſic res habet, falleris.*

37. Vocem nec contende ut præco: nec tam demitte: ut quoad par eſt non exaudiaris.

38. In deambulationum congreſſionibus, ne temere, ut fræno, ſocium inhibe, tertio quoq; verbo eum demorans. Nec tam vicinum ei te applica, ut cubito pulſes: nec plus palmo

circiter ab eo te adjunge.

39. Animum in pangendis prooemijs in excusationum conquisitarumque elegantiarum delicijs ne pone, quale exemplum: *Amabo O colendum caput, ignosce si haud satis cultè, satis idoneè rem dicturus sum: Obsequendi tibi studio plus etiam enitar, quàm efficere possim*, aliique ejusdem modi odiosi & insipidi praefationum circumductus. Verùm quoad rectè fieri & commodè potest, à re ipsa ordire, exorsusque ingenuâ animi aequitate ac fiduciâ, ac imperturbato orationis tenore sermonem contexè ad extremum. Id quod dum agis, ne longus esto, ne unum aliquem loquendi modum crebrò inculca.

40. Qui impeditiore est lingva, is ne ambitiosè semper loquatur; is operam det, ut quod lingvae deest; silentio & auditione suppleat

SENTENTIAE ET EXEMPLA

IN omni congressu, sive cum doctis, sive indoctis; cum amicis aut inimicis, cum superioribus, aequalibus, vel inferioribus &c. necesse inprimis est: ut affabiles. mites, comesq; nos exhibeamus, in verbis & gestibus. Nam, ut oraculo divino docemur: *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos; & lingva eucharis* (gratiosa) *in homine bono abundat*. Conciliat enim multum gratiae, & provocat beneficentiam.

Popularis & grata est omnibus bonitas, nihilq;

hilq; eſt, quod tam facilè illabatur humanis ſenſibus. Ea ſi manſvetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate ſermonis, verborumq; honore, patienti quoq; ſermonum vice, modeſtiæq; adjuvetur gratiâ: incredibile, quantum procedit ad cumulum dilectionis. Legimus enim non ſolùm, in privatis, ſed etiam in ipſis regibus, quantum facilitas blandæ Affabilitatis profuerit; aut ſuperbia, verborumq; obfuerit tumor; ut regna ipſa labefactaret, & poteſtatem ſolveret *Ambroſius lib. 1. Offic. c. 7.*

Difficile dictu eſt: quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitaſq; ſermonis. Extant epiſtolæ, & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Caſſandrum, & Antigoni ad Philippum, trium prudentiſſimorũ regũ quibus præcipiunt: ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant; militeſq; blando ſermone deliniant. *Cicero lib. 1. Offic.*

Proinde meritò monet Plutarchus, *lib. de educat*: parentes: Opera danda eſt; ut liberi affabiles fiant, & in colloquio comes. Nihil enim ita dignum eſt odio, ut eorum mores, qui compellantibus ſe difficiles præbent.

Stoicè Seneca. In reddenda officioſitate, neq; exactor, neq; negligens appareas: Cunctis eſto benignus, nemini blandus; paucis familiaris, omnibus æquus. Severior eſto judicio quàm ſermone; & vitâ, quàm vultu: clementiæ cultor, clemens ultor, ſævitiæ deteſtator: Va-

næ gloriæ contemptor, & bonorum, quibus præditus es, non acerbus exactor. Nullius imprudentiam despicias. Rari sermonis ipse, sed loquentium patiens. Severus, non sævus: sed hilarem non aspernans. Si ergo jocos exigis, hos quoq; cum dignitate sapientiæ gere: ut nec te gravent, tanquam asperum; neq; contemnere te præsumant, tanquam vilem. Non erit tibi scurrilitas, sed grata urbanitas. Sales tui sine dente sint, joci sine vilitate, risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu; quies tibi, non desidia erit: & cùm ab aliis luditur, tu sancti honestiq; aliquid tractabis. *Lib. de 4. Virtut. tit: de Cont.*

Monet autem opportunè S. Ambrosius lib. cit: ut omnis apparatus comitatis sincerus sit, & sine fuco, seu assentatione. Hanc affabilitatem, inquit, volumus esse sinceram ac sobriam sine ulla adulatione: ne simplicitatem ac puritatem alloquij dedeceat sermonis adulatio. Quales haberi volumus, tales simus: & qualem affectum habemus, talem aperiamus.

Exempla fucatæ comitatis notissima dederunt, Ioab princeps militiæ David 2. Reg. 3. erga Abner ducem domûs Saul: & Absolon, filius David 2. Reg. 15. erga populum, præveniens salutantes, & occurrens accedentibus. *Sed & cum accederet ad eum homo, ut salutaret illum: extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum. Faciebatq; hoc omni Israel, veni-*
enti

enti *ad judicium, ut audiretur á rege, & solicitabat corda virorum Israel,* ad defectionem à rege patre suo.

Qui Sophisticè loquitur, odibilis est. *Eccli.* 7.

Sincera, atq; eximia humanitas comitasq; maximorum Imperatorum, celebratur; à Svetonio Augusti, promiscuis salutationibus admittentis & plebem, magnaq; comitate adeuntium desideria excipientis; à Spartiano Hadriani, in colloquijs etiam humillimorum civilissimi, nec aliter agentis cum populo, quàm actum est sub civitate libera; à Lampridio Alexandri Severi, omnibus se blandum, affabilemq; præbentis, nec patientis unquam, ut aliquis ab ejus latere submoveretur; à Plinio Trajani; ut qui civium amplexus ad pedes suos non depressit, nec osculum manu (verùm ore) reddidit: apud quem nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora: accedentes audiebantur statim, dimittebantur statim; à Scribanio Rudolphi I. Imp. cujus præclara illa vox ad stipatores suos, arcentes populum ab accessu: *Sitne homines venire ad me: neq; enim ideo Imperator sum, ut arcula includar.*

Potentissimos duos Africæ reges, Syphacē & Massanissam, quos Romana potentia armis subigere non poterat; Scipionis Africani admiranda comitas, juncta majestati, unico colloquio abstraxit à Cartaginensibus, ad-

junxit Romanis. Syphax certè disertè fassus est: Mirabiliorem sibi visum Scipionem in familiari congressu, quàm rebus bello gestis. *Livius lib.* 28.

Cavendam verò, præsertim adolescentibus, garrulitatem in colloquio, maximè coram senioribus, seu gravioribus personis; monent etiam Sacræ Literæ. *Adolescens loquere in tua causa vix. Si bis interrogatus fueris: habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius; & audi tacens simul & quærens. In medio magnatorum non præsumas; & ubi sunt senes, non multum loquaris.* Eccli. 32. 10. *&c.*

Zeno Philosophus adolescentem, urgentius quàm per ætatem conveniret, quiddam inquirentem, jussit inspicere speculum, rogavitq; Num sibi videretur; ei faciei congruere tales quæstiones? *Laërt lib.* 7. Alteri loquaciori dixit: *Aures tua, Iuvenis videntur in lingvam confluxisse.* Magis enim juvenē decet attentum, quàm disertum esse.

Quodsi aliquid occurrerit in colloquio, quod secretum requirat; quàm religiosè hoc sit servandum, insigni exemplo, & ingenioso commento docuit puer Romanus.

Is à patre, viro ordinis senatorij, ductus in curiam, cùm res, de qua die illo consultus fuerat senatus, credita silentio esset; reversus domum, atq; à curiosa matre rogatus, quid in curia actum esset: nullis minis vel precib9 adigi potuit, ut proderet secretum. Exarsit

tantò

tantò magis cupidine sciendi mater, solicitabatq; omnibus, quibus fœminæ solent, artibꝰ filium: ut uni sibi crederet secretum. Ubi puer advertit, undiq; sibi exitum esse occlusum: ingenio utendum censuit. Fide igitur accepta à matre, de non prodendo secreto, Decretum, inquit est à senatu: ut ad propagandã celerius sobolem, liceat viris plures ducere uxores. Consternata mulier, imperare sibi non potuit: quin viciniam primùm, mox urbem famâ conditi decreti impleret. Quin author fuit: ut postridie ingens matronarum numerus convolaret in vestibulum curiæ. Mirati primores Patrum insvetos matronarum cœtꝰ: ubi quid querelarum attulissent, cognitum est; & quid puer ad tegendum curiæ secretum, commentus esset: irrisit universus ordo muliebrem curiositatem, stultamq; credulitatem. Puer publicè laudatus, eoq; honoratus privilegio: ut uni omnium posthac curiam ingredi liceret. *Sabell. l. 1. c. 3.*

INSTITUTIO VIII.

Decorum in mensa.

PRimùm manus tibi lava munditer; tum cum eo, qui mensæ benedicit, sacras preces responsando reciproca. Si qui mensæ benè precetur, alius non adest, tu ipse benedic: sed quod suprà dictum est, arrecto in pedes corpore, & capite aperto.

2. Men-

2. Mensæ accumbens, corpus ne scalpas: pari cura à sputando, tussiendo, mungendo, tibi quoad potes tèmpera; si qua te horum necessitas urgebit, aptè & decorè ei servias, tum quàm minimo strepitu, tum vultu non-nihil subducto atque averso.

3. Nè ut lurco, aut heluo, sic edas.

4. Panem partire non manu, sed cultro, nisi permodicus panis recensque sit, quem manu partiri convivæ omnes, ut plerique, instituant.

5. Non te immmittas in mensam ad cubitos usque: neque, qua in sede resides, ei aut humeris aut brachiis ineptè incumbas.

6. Fartim ne edas, expletis ambabus malis.

7. Panem vino ne insucces: nisi aut summâ domi autoritate sis, aut valetudo tua rem excuset.

8. Neutiquam ostendas, aut dapes, aut vinum egregie palato tuo arrisisse. Sed si domûs ac mensæ moderator, de his aliquid te poscit, responde modestè & prudenter. Discave etiam attentiùs, ne cibos eleves, seu alios pluresve in mensam inferri cures.

9. Salem è salino capturus, culter ne unctus sit, vide. Aut cultrum aut fuscinulam cum detergere opus erit, aut panis frustulo, ut alicubi usus est, aut ut alibi, mantili aptè id fiet; certè non ad totum panem pingvi affrictu.

10. Si quem convivio excipis, ei te decet cibos honoris causâ dispartiri ac porrigere, etiam illum liberaliter iis impertiendo, qui coram

eorã eo sint. Sin alius convivio excipit, præstat exspectare te, dum epuli Dominus, aut ejus nomine alius quispiam, cibis te participet, quã tu tibi manu sumere præsumas; nisi aut familiaris inter candidè amicos epulatio sit, aut qui epulũ dat, ultro à convivis sibi id gratiæ apponi petat: omnes ut liberè, non exspectata alienã manu, de mensa sumant domi suæ suo arbitratu. Est & prudenter ac modestè officiosi, domi alienæ, ubi authoritate non valeas, chironomi munus haud usurpare: quod tamen non usurpes audacter, sed factites cum laude, ubi in frequenti convivis mensa oculus manusve Domini impinguare omnes non potest; ideoque partem curæ suæ, tacitè aut disertè, longo in convivarum ordine, ille libens volensque aliis transcribit.

11. Cibos ne perfla; sed si calidiores erunt exspecta dum refrigescant. Jusculum quidem temperari illud commovendo: at de scutella sorbere illud ad mensam, vel combibere; non cochleari sibi in os indere, invenustum est.

12. Cibos ad mensam ne olfacito: & si quos fortè olfeceris, dehinc convivis cæteris ne apponito.

13. Panem unctis digitis adipato contactu ne perunge; eum secturus antè tibi manus deterge, si unctæ erunt. Proinde cave, ne manus conspurces, aut digitos perungas; ut decet, atque ut bene educatorum mos est, utere.

14. Si panem carnesve in embamma intingis,

tingis; quod præmordes ne iterum intingei moderatum frustum sit, quod in singulos intinctus condimento imbuis, quodque unâ buccea confici totum queat.

15. Non sunt dejicienda sub mensam, non jactanda in terram ossa, putamina, vinum, alia generis ejusdem. Excipiuntur, quæ mansu dura ac nauseosa despuere necessitas cogit; neque hæc talia tamen sine aliquo decoro ore ejectantur, Sunt eorum exceptores digiti duo, manusve sinistra compressa bellè ad excipiendum simul occludendumque, Quod si res liquida ac fluens erit, tum despuitur in terram liberiùs, sed quid ante e t annotatum, vultu, si integrum erit, subducto interim atque averso in latus.

16. Est à decore & munditiis alienum prunorum, cerasorum ossa durata, & talem reliquam aliunde materiem in patellam inspuere; Sinistrâ, quod proximè dictum est, ori admotâ venustè primum excipiantur, tum super quadra seorsum deponantur.

17. Ne rusticè cum cultro in manu, simul eadem cibum tibi in os ingere.

18. Quæ aliis apposita sunt fercula, ea circum oculis ne perlustra. Dum bibis, dum te obescas, oculos ne sustolle.

19. Panem multum sectione tua ne conscinde; ne conseca in crusta quadrasve grandes, sed in exiguas vel mediocres. Eundem æquabiliter subseca, ob eamque rem neque

ut

ut foſſis in eo lacunis, excava, neque ut exenterans, ſolam micam exime, aut ſolam cruſtam defringe, ſed ambas unà ſuccide. Neque autem panis bucceas ſemper appoſito orbe aut patella concide.

20. Si, quòd dentibus es imbecillis; panis cruſtam mandere non potes, vel ſi ambuſta illa aut prædura ſit, tamen conſultiùs videtur cruſta ſingula prout ea conſecas, quàm totum ſolidè panem cruſtâ defectâ diſtringere

21. Inſulſa res eſt, in offam, in pulpamenta quaſi arcuato in ea corpore, inclinatum propendere; ſat eſt conquiniſcere, atque incumbere nonnihil, dum jure aut aceto inſuccata buccea è menſa in os carpitur, ne linquente ſucco veſtium ſinus conſpurcetur. Hac te proviſâ caput illico ſurrigendum eſt.

22. Sunt & ſuis temporum intervallis referendi inter menſam à cibis, à patinis oculi: non tamen idcirco aut circumferendi vage, aut in convivas, in menſæ miniſtros, in aliena fercula defigendi.

23. Fœdum apprime eſt, mappas dapali unguine inquinare; horridius etiam madentem ſudore vultum, naſi proluviem, orbes, patinas mantelio detergere.

24. Quod delibaris, idem è manu ſeu vinum, ſeu quid aliud, alteri ne porrige.

25. Manus dapum ſucco & liquamine perfuſas pani ne affrices, toti præſertim & mole aliqua ſolidè integro: quòdſi lautiùs per-

unctæ

unctæ erunt, poſſis ut quidem videtur, primùm ad panis turundam quam mox ori ingeſturus ſis, eas defricare, tum mantili permundare, quod iis jam deterſis minus fœdetur. At ſi neceſſe fuerit ut hoc eveniat, eleganti politorum more cochleari ac furcillâ rite uteris. Diligentiùs etiam à lābendis digitis abſtine, ac maximè ſonoro cum ſtlopiſ eorum linctu.

26. Cùm veſceris, cùm bibis, dentibus ne concrepa, ſorbendo abſurdé, mandendo clariùs aut alio quovis modo.

27. Oſſa ſuctu avido, ſonoro præſertim ne ſuge, ne exſucca, ne carpe utraque manu: ſed ſolâ unâ ac venuſte, nec canum more arrode, ſed manu una prehenſis ac fere digitis duobus, carnes cultello exime; medullam ne ad panem, ad lances, incuſſis iis oſſibus excute; ſed ea placide cultro, ſi potes, emedulla. Omnino ſapientibus non placet oſſa manibus tractari, ac multò minùs in os immitti.

28. Duriora quæ ſunt, ut oſſa carnium fructuũve, cultro ne frange, ne diſſeca, ne dentib9, ne alia ope comminue, ſed intacta relinque.

29. Communi é ferculo, quid ſocio obverſum ac ſub manum eſt, id ne uſurpa: id ſume quod tibi adjacet, nec quàm alii luculentiùs. Ac ſi fructus erunt, ſi res conſimiles, eas ad delectum curioſe ne attrecta. At enim quibus commune tecum ferculum eſt, ii quid ſumant ne atttende.

30. Buc-

30. Buccella buccellæ ſuccedat, in ſtomuchum jam trajectæ. Tales buccæ ſunto, quæ malas immodicè non inflent. Manu una cibum ori admove, ac fere dextrâ.

31. Scyphum pateramve ne ſic vino corona, ut in menſam exuberet.

32. Dum in ore adhuc buccea eſt, ne bibe. Potum autem ne poſce, ne loquere, ne vinum tibi infunde, ne bibe interea, dum bibit qui tibi aſſidet, aut cui in menſa ſum̃o omniũ eſt.

33. Dum bibis, aliò ne tranſpice.

34. Nè perlentè bibito, ne præfeſtinè, ne ut vinum commanducans, ne frequentiùs, ne vinum meracum. Nam hæc talia madulſarũ ſunt atque ebrioſorum. Sub potum, atque à potu, labra tibi extergito; at neque à potu neque unquam aliàs, quaſi anima oppreſſa, denſum & cum ſtrepitu exſpira. Eſt enim res factu perquàm indecora.

35. Si quis pocula tibi miſcet, ſcyphum ſola manu una ſuſtine. Hauſtum eundem interruptè ne ebibe; naſum cyatho inamœna bibeſia penitus ne immerge; totum quod infuſum erit, ſi combibere unà non potes, depone in hauſtum alterum: aut ſi quis miniſtrator à tergo adeſt, ei in manum trade. Quare intereſt, ne plus tibi unà infundi ſinas, quàm quod ſemel poſſis perbibere, maxime ſi per menſæ morem tibi integrum non eſt, ſcyphum cum eo, quod ſuperaverit, coram ad manum tibi aſſervare.

36. Dentes ne mappâ aut mantili, ne digito, cultro, furcillâ, ne quod putidissimũ est unguibus perpurga, sed dentiscalpio, At mensa in ipsa dentes tibi scalpere, si alii id non factitant: aut eleganter instituti in more non habent, haudquaquam convenit.

37. Vino os nè collue, quod mox pro palàm despuendo ejectes, verùm mensâ solutis manus cum cæteris lavare unà assvesce, Certè palam os colluere, elegantiæ alienum videtur. Quare & cùm ad mensam polubro subjecto aqua manibꝰ datur, solas lavare manꝰ addecet.

38. Non est præstabile admodum, atque hodie obsoletum videtur, mensæ socios, crebrò præsertim atque importunè invitare: ut appositis epulis sese exhilarent. Nescio quo pacto enim epulandi libertas dum fieri eis videtur magis tollitur. Minus te condecet, quoties bibas aliis propinare, quod si te alii poculis invitant, potes modestè rem deprecari gratiam habendo, teque victum atque imparem confitendo, aut verò referendæ gratiæ vinum libare tantùm; præcipuè ubi præbibendi gratiosus mos est, & nisi par gratia redhibetur offensio nascitur.

39. Digressus è mensâ, dentiscalpium neq; ore contine, neque auri crede, utroque incontinniùs facit, qui collo appensum gerit.

40. Statim à mensa nè obdormiscas: magis potu ac cibo ita te refice, necesse ut non sit curam inde omnem, seriam etiam & grave

inter-

intermittere.

41. Juvat quicunquè cibus appositus sit, de eo reliqui semper aliquid in patella relinquere, obsoniorum imprimis, quæ majore copia illata fuerint. Nè alia quidem tam pereden-da sunt, ut pane patina, aut cochleari scutel-la, immundâ perediâ detergatur convertaturque: quippe gulæ & vocatitatis signa sunt ista. Contrà convenit, inquam, residui superesse aliquid: estquè res commendabilis, magna in ciborum varietate non qui delicatissimus sit, eum invadere, sed vulgatioribus contentum esse.

42. Simul alij edendi finem fecerint, fac & tu tibi modum; neque tum verò laxis brachiis mensæ incumbe. sed solis manibus extremam contingito.

43. Haud convenit cibum cum cibo commiscere, multoquè minùs incoctas herbas, vescumve aliud, de scutella eximere, quo super quadram aut in catino frigescant, vel tu tibi seorsum iis vescaris. Nimirum isthæc nauseam cernentibus inducunt.

44. Tum inter epulas, tum iis remotis, mantile, quadram, panem, cultellum, sic dispo-sitè in rem aptabis; ut convivæ aut plures, aut principes, exemplo erunt: nec quod domi so les, alieno in convictu nimiopere retinebis. Apparet inolevisse jam morem, cùm mensa removenda est, panem, cultellum, fuscinulam, super orbem quadramve statuendi, mantelo de

super-

super injecto.

45. Est principis in mensa, atque in summo accumbentis, mantile primò explicare, primò in mensam manum porrigere; cæterum expectare quietè dum inceptet, nec manum antè quòquam admovere.

46. Vicissim esto jus, qui præsidet, tempestive accipere, providere attentè omnibus, convivas sermonibus mulcere, mensam claudere, sed tamen intra modum, ut lentissimo cuique suum sit vescendi omne tempus. Teneat se interim, si opus erit, escis leviter degustandis, aut ubi, colloquendi est usus, conferendis amœnis sermonibus, usque dum omnibus sit exempta fames atque edendi cupido.

47. Quidquid epulis intervenerit, nihil irascere; irâ incitatus, tamen eam comprime, ut nè se efferat, nominatim si extranei tecum accumbunt.

48. Nè accumbas in loco principe; sed si is te decet, aut qui domi princeps est, ita omnino vult, nè tantopere obsiste ut cætui molestus sis.

49. Inter mensam, si lectio, si sermocinatio erit, fac attentus, sis; ac si tibi loquendum fuerit; vide, ore vacuo ut id facias.

SENTENTIÆ ET EXEMPLA

NOli avidus esse in omni epulatione: & non effundas te super omnem escam. In multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usq; ad choleram. Eccl.

Eccl. 37.

Utere, quasi homo frugi, his, quæ tibi apponuntur; & non, cùm manducas multum, odio habearis. Cessa prior, causâ disciplinæ: & noli esse nimius, ne fortè offendas. Et si in medio multorum sedisti; prior illis ne extendas manum tuam: nec prior poscas bibere. *Eccli.* 31.

Quando sederis, ut comedas cum principe; diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam: & statue cultrum in gutture tuo. *Proverb.* 23.

Neq; inter edendum oportet mentem & cogitationem ita se habere: ut nihil de DEo cogitet. *Basil. mag. ep. ad Greg:* Breviùs Prudentius: Fercula nostra DEũ sapiant. *Hym.* 3 *cathem:*

Non priùs discumbitur, quàm Oratio ad DEum prægustetur. *Tertull. in Apol.*

Ita convenit edere: ut rabida edacitas non ostendatur: sed ubiq; moderatio & stabilitas, atq; circa voluptates continentia conservetur *Basil. cit.*

Insipientis est, visu servire ferculis, adeo ;ut eorum (ut ita dicam) intemperantia unà cum eis circumferatur à ministris. Quomodo autem non est inutile, è sedibus surgere, propemodum faciem in ollas injicientes, è sedibus, tanquam è nido, prospicientes, ut vaporem errantem excipiant per respirationem? Quomodo autem non est à ratione alienum, manus condimentis immiscere, vel perpetuò ad obso-

nium extendere, non gustantium ritu, sed rapientium: ut immoderatè & indecore se impleant? Anhelant intruso in ventrem nutrimento; tanquam ad viaticum, non ad digestionem, edulia reponant. *Clemens Alex. lib. 2. pædag. c. 1*

Cùm vescendum aliquid offertur rarum atq; nobile: abstinendo potiùs, quàm fruendo quærenda est gloria. *Plutarch. de sanit: tuenda.*

Corporis exigua sunt desideria: frigus submoveri vult, alimentis famem extinguere. Quidquid extra concupiscitur, vitijs non usibus laboratur. *Seneca consol. ad Helviam.*

Ventrem accepisti, ut nutrias, non ut distendas: ut illi domineris, non ut dominum habeas; ut tibi conserviat ad cæteras partes alendas, non ut tu illi inservias. *Chrysostom.* Fœda omnino servitus servire ventri.

Turpe est, modum excedere in sumendo cibo: turpissimùm in potu. Unde Plato ebriis consulere solitus erat: ut in speculo se studiosè intuerentur. *Laërt: lib. 3.*

Anacharsis rogatus, quo pacto quis abstemius fieret? Si turpes, respondit, ebriosorum motus sibi ante oculos ponat. *Idem lib. 3.*

Si inter mensas, vel somno saltem, finiretur ebriosorum turpitudo, minùs monstrosa esset. At passim sequentem etiam inquinat diem. Unde Cicero *Philipp. 2.* acerbissimè exagitat M. Antonium. Tu, inquit, istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius cor-

corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptijs hauſeras: ut tibi neceſſe eſſet, in populi Rom: conſpectu vomere poſtridie. O rem non modo viſu fœdam, ſed etiam auditu! Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe diceret? In cœtu verò populi Romani, negotium publicum gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet; is vomens, fruſtis eſculentis vinum redolentibus, gremium ſuum, & totum tribunal implevit! *Quid fœdius?*

Inquinari menſas etiam ſermonibus, non ſolùm hircum porcumq́, olentibus; ſed etiam bonum proximi odorem, ſeu famam, extinguentibus, docuit Hipponenſis Præſul, inſcripto ſupra menſam ſuam hoc diſticho:

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam:
Hanc menſam vetitam noverit eſſe ſibi.

INSTITUTIO IX.

Miniſterium menſæ.

POſteaquam lavandis manibus aquam affuderis, ſcito tibi dictam eſſe legem; deinceps dum menſæ miniſtras caput non ſcalpendi, non excreandi, quoad tu quidem abſtinere potes; non tuſſiendi, manuſquè & mundas & exertas præferendi.

2. Ubicunquè aut ſternutas, aut deſpuis, averte te in latus: ne aut glutias, aut in ore aſſerves, quod exſpui opus eſt.

3. Dapes inferens aut efferens è mensa, cave cuipiam, potanti imprimis, aut brachium contingas, aut humeros impellas. Cautiùs etiam id vide, ne cui vestes commacules. Quanquam autem diligenter circumspicere te oportet, ne quid convivis desit, aut num quis eorum signo te aliquid moneat, non debes tamen oculis in eorum vultu habitare, perinde ut, si quid edant, numero adnotes.

4. Cùm poscentibus, aut pocula in manum offeres, aut aquam miscebis, præsertim præstabili dignitate cuipiã: testare honorem, quoties id feceris; mox, ut biberit cyathum aquâ collue.

5. Dum panem mensæ supplebis, ne manu eum comportes, sed mensario orbi impositum & terso, & ne panis subsultet, etiam æquabili, tum astitue convivis loco idoneo.

6. Lances scutulasve plures duabus suam quaque manu, unà ne importes: ac si calebunt plus æquo, lancem alteram orbemve eis supponito. Defer autem recto libratas æquamento, ut ne invertas effundasve. Patinam dum de ea cibus adhuc sumitur, à vescentis oculis ne remove; exspecta dum à se eam removeat, aut eam ut tollas tibi innuat.

7. Salinum, primum ad mensam statui, extremum tolli, usus ferè obtinet.

8. Scyphos relaturus, plures quàm duos tresve unâ operâ ne effer; digitos intro ne immitte, sed pede ab imo eos carpe.

6. Ne

9. Ne cirneas, ne ampullas ad mensam vitreas, maximè si vino servient, ad summum imple, ne vinum effundatur.

10. In eximendis patinis ne montis instar alias alijs impone, nominatim si penitus depletæ non sunt. Multò insuavius est in convivarum oculis alias in alias deplere; Nauseosum quippe & stomachosum est: sed ut se dant in mensa, ita eas exporta.

11. Remotis epulis, capaci in lance, aut eleganti & splendido in canistro analecta colligantur munditiæ causâ: Salillo seorsum dempto, cultris, cochlearibus, fuscinulis super orbe compositis àtque in canistrum immissis, mappâ denique convolutis unâ panis fragmentis, si jam exempta non erunt, colligitur.

12. Curantur, & cùm sic usus est, nitida in lance dentiscalpia: deniqúe laxo linteo, desuperque polubro mensa sternitur, aqua manibus datur primumqúe ex ordine ei qui cæteris antestat; mantile adjicitur, unum ei qui præest omnibus, si unus erit, atque ei proprium; cæteris ab eo suum in commune alterum, polubrum ad eos adducendo, sic, ut duo tresve conjunctim unà manus applicare ad id possint.

13. A mensa aut ministerio mensæ, est ingenuè ac nobiliter instituti, honorem habere convivis, pileo sibi detracto, aut quâ optimâ ratione aliâ pro ingenio gentis, aut loci usu.

SEN-

SENTENTIÆ ET EXEMPLA.

MInistrare mensæ non hominum tantùm, sed Angelorum etiam munus est. Matt. 14. Post consummatum à Christo 40. dierum Iejunium, *accesserunt Angeli. & ministrabant ei*. 3. Reg. 19. Angelus pascit Eliam Prophetam: Danielem quoq; in lacu leonum, per translatum è Judæa in Babylonem Habacuc cum esculentis. Dan. 14. &c. Angelicum igitur hoc obsequium non vilescat Iuvenibus.

In Ecclesia Christi nascente, cùm prædicatione Evangelij impedirentur Apostoli ipsi, ministrare mensis fidelium, quorum tunc communis erat victus: munus hoc commiserunt septem Diaconis, Act; 6. Voluerunt autem non obvios quosq; ad id assumere; sed eligi *viros boni testimonij septem, plenos Spiritu S. & sapientiâ*. Non ergo leviter, obiter, aut negligenter fungendum est hoc munere; præsertim dum ministratur Servis DEi.

Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus: promittit Christus Ioan. 12. Tam felices autem sumus etiam hodie; ut Christo, Domino & DEo nostro, ministrare possimus: siquidem quidquid præstiterimus alicui, etiam ex minimis fidelium, seu despectissimis, sibi præstitum affirmat *Matt* 25: & largissimè remunerabitur etiam calicem aquæ frigidæ exhibitum sitienti. *Matt*. 10.

Hinc magnos principes, reges, Imperatores, Ponti-

Pontifices, non piguit, nec puduit, servire prandentibus mendicabulis: prout constat de Ss. Gregorio M. Pontifice, Henrico Imp. Ludovico rege Galliæ, Stephano Hungariæ &c. qui nunquàm apparuerunt tam gloriosi imperio, quam humili illo charitatis obsequio.

Nihil tam divinum habet homo, quàm de alijs bene mereri. *Gregor Naz. in Or. de paup.*

Meliùs est artem eleemosynam dandi scire: quàm esse regem & diademate coronari. *Chrysost: hom. 33. ad pop.* Est autem perfectius, proprijs eam conferre manibus, quam alienis.

Non est injustus DEus: ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministratis. *Hebr. 6.*

Titum Vespasianum celebrat Aurelius Victor: quòd lue affectis militibus non solùm necessaria suo sumptu procurârit medicamenta, & consolationis impenderit officia: sed ægrotantes proprijs manibus refecerit. Quod etiam in Alexandro duce Parmensi, Belgium vindicante Regi Hispaniæ, laudat Strada.

Magni semper æstimata sunt humilia officia, à Magnis exhibita minoribus: æstimanda autem maximi, postquam DEi Flius venit, non ministrari, sed ministrare. *Matt. 20.*

INSTITUTIO X.

Nocturnus decubitus.

FAc in tempore lectum ineas; enimvero non nisi DEum sincerâ fide ac pietate antè veneratus, transactæ diei ratione tecũ positâ, susceptaq; melioris vitæ voluntate.

2. Vestibus ante aliorum ora ne te spolies. Has sic compone unà, ut omnes postridie manè tibi ad manum sint: quin inspice eas aliquando atque inquire in eas, utque opus erit aut succussando aut scopulis depurgando, eas permunda.

3. Sic decumbe, ut compositus modestè atque undiquè opertus jaceas. Non dormias supinus pronusve, sed alterutrum in latus.

4. Dormi indusiatus semper, hoc enim & pudor exigit, & lex decori, & casus incerti, ad quos, si qui ingruent, expeditior sic eris.

5. Castitatis causâ majoris intervolve indusio femora tibiasve, ne nuda se contingant.

6. Ubi diluxerit, non desideas in lecto, neque restites: sed surge impigre vestes indue, atque è cubili ocyus exscende.

SENTENTIÆ ET EXEMPLA.

ANtequam cubitum concedamus, præmittendum esse serium Conscientiæ Examen; non ascetæ solùm Christiani, sed Philosophi docuerunt pagani, Aurea omnino sunt ea de re Pythagoræ carmina, apud Auso-

sonium Idyl. 1.
Non priùs in dulcem declinent lumina somnũ:
Omnia quàm longi revocaveris acta diei.
Quæ prætergressꝰ? quid gestũ in tẽpore, quid nõ?
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?
Quid mihi præteritũ? Cur hæc sententia sedit,
Quam meliꝰ mutare fuit? Miseratus egentem,
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonũ foret? Utile honestꝰ
Cur malꝰ antetuli? Nũ dicto, aut deniq; vultu
Perstrictꝰ quisquã? Cur me natura magis, quàm
Disciplina trahit? Sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortoq; à vespere cuncta revolvens,
Offensus pravis, des palmam & præmia rectis.
Fecit hoc, præter alios Plutarchus, fecit Sextius à Seneca laudatus, fecit Seneca ipse; ut de se testatur lib. 3. de Ira. c. 36. *Speculator*, inquit, *mei censorq; secretus, cognosco de moribus meis. Vtor hac potestate, cùm sublatum è conspectu lumen abest, & conticuit uxor.*

Quàm verecundus fuerit Maximilianus I. Austriacus, dum se ad somnum nocturnũ componeret: tradit Lipsius c. 17. Monit. Polit. Nemo, vir aut fœmina, illum aliqua parte, vestiri solitâ, nudum vidit. Ad vestes deponendas nullius unquam cubicularij operâ usus est. Testamento quoq; cavit: ne caligæ & feminalia, mortuo sibi inducerentur, more principum, dum ad funus componuntur: ne vel tunc sua læderetur verecundia.

Lecti nimia mollities animi effœminati in-
 dex

dex eſt. Spartani Juvenes toros ſibi ex congeſtis arundinibus ſtruebant. *Plutarch. in Lacon.* Sed hodiernæ Juventuti nimis dura eſt hæc lectio, nedum lectus talis. Obtrudo tamen veterem parœmiam: *Non jacet in molli veneranda ſcientia lecto.*

Somnus multus, nec corporibus, nec animis, nec reb9 gerendis conducit. *Plato. 7. de Leg.*

Septem horis dormiſſe ſat eſt juveniq; ſeniq;:

Canit ſchola Salernitana; & accinunt Muſæ omnes, quarum amica amiciſſima eſt Aurora. Excitat aſperiore plectro dromones Auſonius in Ephemer.

Manè jam clarum reſerat feneſtras,
Jam ſtrepit nidis vigilax hirundo:
Tu velut primam, mediamq; noctem
Parmeno dormis?
Dormiunt glires hyemem perennem;
Sed cibo parcunt: tibi cauſa ſomni,
Multa quòd potas, nimiâq; tendis
Mole ſaginam.
Surge nugator, lacerande virgis;
Surge, ne longus tibi ſomnus, unde
Non times, detur: rape membra molli
Parmeno lecto.

INSTITUTIONUM IUVENTUTIS

PARS III.

INSTITUTIONES
in Humaniorum Literarum Facultate

Præceptis Rethoricis & Praxibus Ethicis Civilibusq; adornatæ.

Quas hic tibi propono, Florimunde, Institutiones; ut non tam novitate, quàm brevitate, claritate, & Praxeos facilitate commendarem, laboravi. Multi multa ediderunt in hoc genere, pari elegantia & eruditione: ex præcipuis excerpsi Præcepta solidiora, meisq; Praxibus illustravi. In his formandis nec accurationem Corneliæ, Gracchorum matris disertissimæ, nec sublimitatem Panegyristarum affectavi. Malui à te, cujus bono hic labor institutus, intelligi: quàm, ut dixit Quintilianus, interpretanda scri-

 bere

bere. Ethicas esse volui hujusmodi Praxes: ut, quod primū princepsq; propositum meū semper fuit: insisterem formandis in juventute moribus probis, etiam dum aliud ago. Non enim ignoro: quantum operæ requiratur: ut hæc cera non solùm suscipiat, sed retineat, imaginem solidam probitatis. Quodsi institutiones hasce non carptim percurreris; sed ordine, quo positæ sunt, diligenter constanterq; evolveris, atq; præscripta in praxim deduxeris: olei & operæ impensæ, spondeo, pretium referes non contemnendum.

INSTITUTIO

De Modo Studendi.

ERrat sine modo, qui in studio literarum certum non tenet modum. Arripere enim nunc hoc, nunc illud exercitij genus; nunc horum, nunc illorum librorum lectionem; & ad quemvis ingenij pruritum circumagi: est multùm occupari, proficere parū, aut nihil. Ut igitur, Florimunde, non minore fructu, quàm labore, te impendas Literis Humanioribus: sequens salubrium Monitorum decas, quam tibi commendo, juvabit.

I. *Auſpicare ſemper ſtudia tua à DEO, & proſequere cum DEO.*

PRobum & prudentem Studioſum deſcribens Siracides c. 39. v. 6. *Cor ſuum*, inquit, *tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu altiſſimi deprecabitur. Aperiet in oratione os ſuum, & pro delictis ſuis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum, & ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ.* Vides utilitatem & neceſſitatem orationis ante ſtudia? *Tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ*, hujuſmodi orator, quibus corda animoſq; rapiat auditorum: nimirum *Spiritu intelligentiæ repletus*, non à Profeſſore, non ab Authoribus quos legit; ſed à Domino. *Si Dominus voluerit.* Ut ergo velit, humiliter & frequenter, rogandus eſt, præſertim horis matutinis; quæ & ſtudijs & orationi ſunt aptiores: *Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum.*

Sine DEi Numine non eſſe ſatis virium in homine, ſive ad cognoſcendum, ſive ad agendum: docuit etiam gentilis antiquitas; dum quidvis acturis inculcavit: *A Iove principium*; tradiditq; breviculam formam mentem elevandi ad DEum: *A Te principium* (actionis) *tibi deſinet.* Non dedecet hæc aſpiratio Chriſtianos, quamvis plures aliæ ſuppetunt; v g. *Veni Sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium.* Vel, *Adjutorium noſtrum in nomine Domini* vel,

ni Vel, *Ad majorem DEi gloriam.* Elegans est, & sensata S. Thomæ Aquinatis sequens oratio ante studia.

CReator ineffabilis, qui de thesauris sapientiæ tuæ, tres Angelorum Hierarchias annotasti, & eas super cælum Empyreum miro ordine collocasti, atq; elegantissimè partes universi distribuisti: Tu, inquam, qui verus fons luminis & sapientiæ diceris, atq; supereminens Principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras tuæ radium claritatis, duplices, in quibus natus sum, à me removens tenebras, peccatum scilicet & Ignorantiam. Tu, qui lingvas infantium facis esse disertas, lingvam meam erudias, atq; in labijs meis (*& calamo, si aliquid scribendum est*) gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpetrandi subtilitatem, addiscendi facilitatem, loquendi (*& scribendi*) gratiam copiosam. Ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas: Per Christum Dominum nostrum. Amen.

II. Non minus Probus, quàm disertus evadere stude.

Veteri definitione Orator dicebatur, *Vir bonus dicendi peritus.* Nisi enim honestatis amans, & moribus probus credaris: quomodo persuadebis verbo, quod refutas exemplo? Quis ducem sequetur, quem videt erronem? Quis ex cyatho

cyatho sordido amat bibere, etiam nectar? Proinde quisquis egregij Rhetoris, seu Oratoris, ambit artem & honorem; de suffragio vitæ probæ sit solicitus inprimis. Ut orationi suæ gratiam conciliet, pondus, & robur: virtute eam exornet, illustret, atq; armet. Scitè de magno Basilio, in ejus epitaphio, scribit Nazianzenus: *Tonitruum erat ejus oratio; quia vita fulgur.* Incumbit hoc vitæ probæ studium ijs potissimùm, qui se disponunt ad sacri Oratoris personam sustinendam. Non solâ enī lingvâ prædicari debet Evangelium: sed animâ sanctâ, corpore bene morato, habitu decente, vita exemplari, famâ præclarâ. Nec differenda est hæc morum integritas in ætatem provectiorem, ut interim freni laxentur adolescentiæ. Vix enim virum dabit bonum, qui malum egerit adolescentem: siquidem *Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Prov. 22. 6. Vitia enim inolita difficillimè extirpantur: cùm quotidie firmiores agant radices. Deniq; quid juvat, ore facundo mereri plausum humanum; moribus autem pravis iram Divinam?

III. Magnum & alacrem animum affer ad studia.

Plerumq; fructus laborum respondent animo laborantis. Si hic pusillus, seu contractus, fuerit: frustra magnum sperabis profectum. Habent & literariæ curæ sua tædia & fastidi-

a: occurrunt non paucæ, neč leves, aut infrequentes, difficultates; ad quas subigendas experrecto atq; alacri opus est animo. Non *carmina* solùm, verùm & soluta oratio, *proveniunt animo deducta sereno*. Alacritatem pariat, alatq; spes non dubia fructus uberrimi. Modicæ operæ erit olim grande pretium. Spem hanc facile generabunt tum exempla Majorum, quos è pulvere scholastico, imò è mapalibus paternis, labor indefessus turmatim eduxit in lucem, & inter Illustrissimos collocavit: tum quòd *Omnia conando docilis solertia vincit*; tum quòd etiam illi, qui nihil sperare potest, desperandum sit nihil. *Seneca in Medea.*

IV. Necessariam librorum supellectilem tibi compara.

Vulgò dicitur: *Studiosus sine libro, haurit aquâ cribro.* Quod, si in alijs literarijs Facultatibus veritati consonare, probat experientia: maximè in Oratoria. Cui enim omnia, quibus eget Orator (præsertim incipiens) suppeditaverit vel ingenium proprium, vel Præceptor? Sit iste præceptorum largissimus; sit illud conceptuum & rationum profusissimum: at unde habebis tum veterum, tum recentium exemplorum copiam? Unde sententias, testimonia, symbola, & alium necessariæ Eruditionis apparatum? Quis tibi recensebit præteritorum gesta sæculorum? Quis quotidie acuet animum, quis ad imitationem accendet? Potest

præce-

præceptor multa dicere: sed longè plura non dicet. Deinde auditorum pars fere maxima elabitur: quæ libris sunt clausa, securiùs possidentur; quoties libuerit, recoli possunt. Liber est lumen mentis, thesaurus memoriæ, lima judicij, speculum veritatis, columen antiquitatis, schola præsentis ætatis, virtutũ vitiorũq; theatrũ, magister juvenum, solatium senum; rudium doctor, doctorum corona; itinerantium comes jucundus, principum monitor intrepidus; ingeniorum omnis ætatis & conditionis annona, atq; subsidium. Non ergo præsumat tyro Oratoriam adire palæstram, nisi necessarijs instructus libris: alioqui ipso à limine repellendus esset.

Expediret profectò eos, qui admittendi ad Gymnasia authoritatem habent, statim in primo aditu tyronum, seriò inquirere: an sint necessariis libris instructi? Nec contenti esse deberent promissione de procurandis; sed differre admissionem, donec procurati sint. Quod etiã in promotione ad altiorem classem præstandum esset. Est enim frequens, & non toleranda, parentum incuria: qui dum non modicos profundunt sumptus in victum & amictum filiorum, annis compluribus; exiguos (à quibus tamen maximè pendet profectus) negligunt, sive ex tenacitate propria, sive quod à filijs non requirantur seriò. Quid, quod isti non raro numeratum à parentibus pretium pro libris, decoquunt, & abliguriunt?

præ-

Prudentiam patris sui laudat M. Aurelius Imperator, non minùs eruditione, quàm Imperio inclytus (in epist: ad Pollionem) quod adolescentulus ab illo expeditus sit Româ, in insulam Rhodum, studiorum causâ, *Libris magis oneratus, quàm nummis instructus*; ideoq; brevi faciles felicesq; progressus se fecisse testatur.
Existimant non pauci, tenuioris patrimonij juvenes: satis se profectui suô consulturos, si quotidianas Lectiones scholasticas è Cicerone, Livio, Virgilio &c. sibi descripserint. Sed oppidò errant. Non enim fragmentis Authorum, sed totô scriptorum contextu nutriuntur ingenia ad solidum profectum. Oportet totam libri, vel Orationis, poëmatis, historiæ &c. seriem & structuram in conspectu habere, & quantum fieri potest, comprehendere; antecedentia conferre cum consequentibus, videre dispositionem, observare stylum, notare argumentorum & partium nexum, totamq; possidere artem: ut optatus referatur fructus. Accedit, quòd hujusmodi descriptiones innumeris scatere solent erroribus. Deniq; non expedit, Tempus, cujus solius avaritia laudabilis est Lipsio, impendere operosæ librorum descriptioni: cùm vix sufficiat, auditorum in schola repetitioni, præscriptæ à magistro Exercitationi, & attentæ librorum lectioni. Adde: quod Juvenes potissimùm, quàmvis parum temporis habeant: multum tamen illius liberaliter perdere soleant.
Studi-

Studiosè obſervavit Cauſſinus, Rhetorum recentium ſagaciſſimus, & lib. 3. c. 12. teſtatꝰ eſt: *Neminem invenio inter doctos, qui libros avidè non conquiſierit; & cum multos haberet, plures non optârit.* Admodum lucroſus eſt ſumptus, qui illis comparandis impenditur. Proinde cui res nimis arcta domi eſt, & curta ſupellex: non erubeſcat, vel libros, vel pretium, precatiò conquirere. Pauperem philoſophum agebat Plato, Divinus ille: nihilominus cùm Philolai philoſophi libri tres proſtarent venales decem millibus denariorum; pretium id ab amicis corrogavit, & emit. Ariſtoteles quoq; qui capite bibliothecas vaſtas circumferebat, & ſententiâ Platonis, totus Mens erat; pauculos Speuſippi philoſophi libros emit talentis Atticis tribus, Agellio teſte: qui faciunt circiter octodecim millia florenorum Prutenicorum. Hoc tempore, quo præſtantiſſimos libros copia fecit viliſſimos, pauciſſimos credo reperiri, qui Bibliothecam, quam ſvadeo, & urgeo, ſibi comparare non poſſint. Non enim à tyronibus plures, vel alios exigo libros; quàm qui in ſcholis præleguntur. Quodſi quis nec tantillum pretij à paupertate ſua impetrare poſſit: adeat amicos, palpet patronos; mutuò accipiat, quos non poteſt facere ſuos. Mirum eſt: etiam pauperrimis tantum ineſſe ſolertiæ: ut quotidianum corrogare poſſint victum, quo impleant ventrem; deeſſe autem tantillum induſtriæ, ut jejunam, fameli-

camq;

eamq; pascant mentem! Videant Magistri, ne hac in parte aliqua ipsorum desideretur opera. Cùm ipse in loco non uno, numerosæ iuventuti Rhetorica traderem præcepta: nemo, etiam egenorum, erat, cui ad manum non esset, quem legeret, Poëta, Orator, & Historicus. At nunc diutiùs, quàm voluerim, eadem cura me distinuit.

V. Magistri præcepta, monitaq;, reverenter excipe, diligenter observa.

Utinam Scientiæ, artesq; liberales, essent de genere florum fructuumq; illorum, quos terra gignit etiam inculta. Verùm ut in agris hortisq; colendis, industrio seduloq; opus est colono: ita in excolendis ingeniorum novalibus, prudente, perito, proboq; utamur oportet Magistro; ne pro floribus & fructibus lolia ferant & urticas. Talem igitur ubi nactus fueris, Florimunde: ama ut patrem, observa & reverere ut æternæ Sapientiæ ministrū. *Discipuli veros Magistros, & ut patres amare & ut principes timere debent.* Sententia est Isidori Pelusiotæ l. 2. epist. 26. & totius Antiquitatis, imò recentium etiam sæculorum. Memineris Magni Imperatoris, Theodosij: qui passus non est, filium suum Arcadium sedendo excipere doctrinam Arsenij, Professoris sui; sed hunc sedere, Arcadium aperto capite coram illo stare jussit, quàmvis jam Imperator & Augustus renunciatus esset. Verba magistri, ut oracula

Delphi-

Delphica, accipe; sive literaria tradat præcepta, sive salubribus monitis formet mores. Si in libris quidpiam deprehenderis non consonum illius præceptis: ne præceps sis in contemptum, seu condemnationem, sed cogita; non deesse illi rationem sic docendi. Proinde vel reverenter pete rationem, seu declarationem, doctrinæ; vel dic cum probis Pythagoræ discipulis: *Ipse dixit*. Authoritas magistri sit tibi Achilles rationum. Cave, nutu vel gestu insolente prodas, te contentum non esse. Temerarium id est, & inurbanum. *Oportet discentem credere:* dixit sapienter Aristides.

Cæterùm non observantem solùm reverentemq;, sed gratum te præstes, oportet. Gratitudinis autem gradus primus sit: palam fateri, per quem profeceris. Commendat Plinius in Præfatione ad Divu. Laudare Magistrorum eruditionem aliasq; dotes & doctrinam: si quid autem nævi, sive in hac, sive in illo, intercurrit; pio involvere silentio, excusare, vel attenuare, si excusari non possit. Egregiè Plato de se, in Hipp. *Neq; apud Auditores unquam vendico mihi aliorum inventa: sed docentem semper laudibus extollo, illiq; apud omnes, quæ sua sunt tribuo.* Isocrates Theramenem Rhetorem, quo usus erat magistro, solus defendere non dubitavit coram triginta tyrannis, non sine proprio discrimine. *Plutarch. in x Orat.* Tertius gradus est, Beneficijs colere. Profusi horum fuerunt maximi principes; Alexander in

Aristo

Ariſtotelem, cujus deſolatam patriam, flagi-ram, egregiè reſtauravit; M. Aurelius Imp. in Frontonem, cui ſtatuam in ſenatu impetravit; M. Antonius Imp. in Iunium Ruſticum, cui etiam ante Præfectos prætorio ſemper oſculum dedit, & conſulem iterum deſignavit; omnium verò Magiſtrorum ſuorum imagines aureas in larario ſuo habebat, eorumq; ſepulchra hoſtijs, floribuſq; honorabat. *Capitolin. in vita.* Fuit, qui cùm non haberet, quod magiſtro ſolveret minerval; ſe ipſum illi obtulit in ſervum; ratus ſatiùs eſſe ſervilem, quàm ingratam, ducere vitam.

Hæc & ſimilia, amoris gratitudiniſq; argumenta fundantur, tum in ſolicita cura, & labore indefeſſo ſeduli magiſtri (nam ut bene quidam: facilius eſt, liberos gignere, quàm inſtruere) tum in præſtantia doctrinæ liberaliter communicatæ; cùm majus ſit pretium, ſcientiarum & morum proborum, quàm opum cæterarum & amplæ hæreditatis, quam parentes parant liberis. Unde ſuprà laudatus Imp. Theodoſius, Arſenij inſtitutioni commendans filium Arcadium: *Poſthac*, inquiebat, *tu magis illi pater eris, quàm ego*. Hac ætate inſignis diſcipulorum gratitudo eſt: ſi non noceant.

VI. Lectioni ſelectorum Librorum ſedulò incumbendum.

Quemadmodum nemo tam perfecto expeditoq; naſcitur corpore; ut nutricis lacte, & ſucco-

succollante gerula opus non habeat: ita nullius ingenium genuit natura tam validum & instructum; ut Magistrorum ductu, & eruditorum librorum annona opus non habeat, ad insignem eruditionem. *Alit lectio ingenium, & studio fatigatum, non tamen sine studio reficit:* ait Sen: ep. 84. Nec solùm pascimur, recreamur & erudimur Lectione: sed etiam ad imitandum æmulandumq; excitamur & urgemur. Imò quæ alij sudore multo elaborarunt, nullo negotio facere possumus nostra. Unde summa quæq; & occupatissima ingenia, contentione maxima in eam incubuerunt.

Aristoteles quàm divino natus ingenio? Et tamen tam avidè, perdius & pernox, sese immergebat libris: ut magister ejus Plato *Anagnosten* eum appellârit; hoc est perpetuum studiosissimumq; lectorem. Catonem, non minorem eruditione & eloquentiâ, quàm politica militariq; disciplinâ, Cicero vocitabat librorum heluonem. Alexander M. Homeri opera, pretiosissimo inclusa scrinio, ubiq; circumferebat, inveniebatq; inter militares curas tempus, quod identidem lectioni impenderet. Julius Cæsar statuam suã fingi voluit, altera manu ensem strictum gestantem, alterâ Librum apertum, cum epigraphe; *Ex utroq; Cæsar.* Alphonsus Aragonum rex non solùm mensam, sed spondam quoq; libris instructam habebat: ut abrupto, vel fugiente somno, illico vacaret lectioni; dicebatq; : Malle se uniones

& mar

& margaritas, quàm librum amittere. *Panorm. lib* 4. c. 34. Proinde si tanti principes, tanta inter negotia, tam avidi fuerunt lectionis: quomodo illi non inhiabit adolescens, cujo unicum negotium est, discere? Quomodo illi oculos animosq; non devovebunt Suadæ clientes, Eloquentiæ studiosi? Utiq; Rhetoris est, in quacunq; materia apte, ornatè, & erudite dicere? Ad hoc autem quantus requiratur omnigenæ eruditionis apparatus, quis non videt? *Res ardua*, inquit Plinius Præfat. hist nat: *vetustis novitatem dare, novis authoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem.* Hanc autem difficultatem facile superat, qui è selectis Authoribus luculenta sibi comparavit subsidia; & non solùm novit è locis Rhetoricis, seu dialecticis, eruere argumenta; sed exploratum habet, quis author, quo libro, quo ingenio, quave laude materiam hanc illamve tractavit. *Multum igitur lege, scribe, meditare: ut possis, cùm voles, dicere* (monet Plinius lib, 6. ep. 29.) & magis rerum, quàm verborum copia saginetur oratio. Non te assiduum legendi terreat studium. Non enim labor sed laboris solatium, & animi refectiò est. Ubi semel seriò te illi addixeris: vereor, ne ægrius avellaris, quàm te applicueris. Dies non sufficiet, cibus desipiet, somnus fugiet, vel proscribetur, horæ videbuntur momenta.

Qui, & quomodo fructuosè legendi sint Libri

bij: distinctè & copiosè docebit Institutio 3.

VII. Exercitationi assiduæ te impende.

Omnes artes, omniaq; opera, quotidiano usu & exercitatione proficere: non solùm Vegetius, 3. 10. sed quotidiana docet experientia. Manifestum id est in mechanicis, nec obscurum in Scientiis, alijsq; studijs liberalibus. Ubiq; valet illud: *Fabrica do fabri si us.* Et, *Omnia conando docilis solertia vincit.* Exempla, necesse non est, è peregrino petere cælo: cùm in Suadæ nostræ regno suppetant illustrissima. Non alia enim machinâ, vel arte, principes Romanæ ac Græcæ eloquentiæ evaserunt Cicero & Demosthenes: quàm multâ & indefessa Exercitatione. Utrumq; natura ad id honoris & felicitatis fastigium non satis instruxerat: deerat utriq; decor & vigor in agendo; Ciceroni insuper laterum firmitas; ideoq; vox gracilior foro non sufficiebat Romano. Demosthenem, inter malleos & incudem educatum, nec vultu liberalem, nec gestu satis civilem, quàmvis præceptis Rhetoricis abunde instructum, ubi primùm audiit populus Atheniensis, cachinnis explosit. At postquam hunc in antro quodam Satyrus & Neoptolemus, mimi celebres; illum Roscius Comœdus, & Æsopus tragœdus, diu multumq; exercuerunt: velut cælo delapsi Mercurij, adorati sunt.

Eadem vis Exercitationis est in sententia-

rum Amplificatione, argumentorum Inventione, ſtyli elaboratione, & totius facultatis Pöëticæ ac Rhetoricæ artificio. Is proficit plurimùm, qui ſe exercet maximè. Non ſufficit, audire, & legere multa. Magis conducit ad profectum, decem verſus proprio Marte condere: quàm centum (addo trecentos) in Virgilio legere: inquit Rhetor egregius P. Bohuſlaus Balbinus in Veriſimilibus. c. 12. §. 4. Nulla igitur prætereat dies, ne dicam hora, Florimunde: quin te exerceas, nunc recolendo audita in ſchola, nunc proprio ingenio quidpiam elaborando, nunc præcepta ad praxim reducendo, nunc Authorem, quem legiſti, imitando, nunc aſſignatum à Magiſtro exercitium quàm accuratiſſimè adornando ; vel certè conferendo cum condiſcipulis, privatim quidpiam perorando &c. Scribe autem quàm plurima: etiamſi legas pauciora, & ſcripta minùs ſcrupuloſè expolias, dum in primo verſaris tyrocinio. Ubi plus judicij & doctrinæ tibi acceſſerit: ſeveriore trutina examinabis tua, & comparata ſenſim eruditione, exornabis. Legimus quidem: quendam dormiendo in egregium evaſiſſe Pöëtam: at qui ſimili inertia evaſerit Orator, apparuit nemo. Exercitatione aſſidua opus eſt. Ut vomer, ita ingenium *multo ſplendeſcit ab uſu: pigrum rubigine tabeſcit.*

VIII

VIII. *Imitationi diligenti proborum Authorum applica animum.*

Lectio ſedula librorum ſuadetur, non ſolùm propter ſcire, & erudiri: verùm etiam propter Imitationem. *Neq; enim dubitari poteſt, quin artis pars magna contineatur Imitatione:* inquit Præclarus dicendi Magiſter Quintilianus l. 10. c. 2. Tota ſcena vitæ, & artium humanarum, plena eſt imitatione. Ubiq; tyrones obſervant magiſtros; quin inter jumenta, *à bove majori diſcit arare minor*. Qui magis ſedulus & induſtrius eſt in imitando: celerius artem poſſidet, & ipſe tranſit in exemplum. Unde opportunè monet Dionyſius Halicarn: *In ſcriptis & monumentis veterum verſari debemus: ut inde non modò ejus rei, quam tractandam ſuſcipimus, materiam; ſed etiam rationem imitandi ejus, quod cujuſq; proprium eſt, nobis comparemus. Animus enim legentis, perpetua obſervatione, ſimilitudinem quandam generis dicendi* (ſeu ſtyli) *elicit*. Etiam ignorantibus nobis, genius, & mores eorũ, quibuſcum familiariter verſamur, adhærere ſolent: quid ſi accedat diligens & prudens imitandi ſtudium?

Fuerint ſanè nonnulli, qui neminem imitantes, inſignem dicendi, agendi, & ſcribendi methodum ſunt aſſecuti: at non omnibꝰ datum eſt, ſine duce adire Corinthum. Ubi maturuerit ingenium & judicium, licebit dicere & ſcribere arbitratu proprio; & naturæ impe-

impetum, circumſpectè tamen, ſequi. Interim autem, dum tyronum prætextam non deponimus; juvat præeuntium legere veſtigia, & quod in illis notamus præclarum, imitando æmulari. Hac induſtria uſi ſunt, quos ſuſpicimus, ut Pöëtarum, Hiſtoricorum, & Oratorum ſummos. Homerum Virgilius, Platonem Demoſthenes, Demoſthenem imitatus eſt Cicero: & ea quidem felicitate proceſſit imitandi ſtudium; ut ſinguli ſuam ſuperaſſe videantur ideam. Jucundum eſt, quod de Paraquarienſibus, Americæ populis, refert Antonius Sepp in ſuo itinerario: ſcilicet eos tā obtuſo eſſe ingenio, tam rudi manu; ut nihil artificiale proprio Marte invenire, concinnare, vel elaborare poſſint. At Imitationis beneficio in artifices evadunt dexterrimos & ſtupendos. Quidquid enim ipſis offertur, ſive penicillo, ſive acu pictum; ſive aſciâ, ſive malleo, aut torno ab Europæis elaboratum: poſt diligentem totius, & partium ſingularū conſideratione, atq; anatomiā, tam dextrè ac feliciter imitantur: ut Europæos artifices omnino aſſequantur, ſubinde ſuperent. Sic deficientes, vel torpentes naturæ dotes, etiam in Humanioris literaturæ ſtudioſis ſuppleri Imitatione diligenti: exploratum eſt.

Qui, & Quomodo, ſint imitandi Eloquentiæ tyroni: indicabit, Inſtitutio Quarta.

IX

IX. Moderatè ſtude.

Non nimis avidè, nec nimis ſolicitè. Ut cibus nimia aviditate ſumptus, non nutrit, ſed ſtomachum gravat: ita ſtudiorum ingluvies non paſcit, ſed onerat ingenium. Sunt, qui unius alteriuſve anni ſpatio fieri volunt Omnia, & Poëtæ, & Rhetores, & Philoſophi, & Mathematici, & Citharœdi, & Choragi, & quid non? Sed fiunt ex omnibus aliquid, ex toto nihil. Audiant Senecā ep. 108. Illud tamen priùs ſcribam; quemadmodum tibi iſta cupiditas diſcendi, qua flagrare te video, dirigenda ſit; ne ipſa ſe impediat. Nec paſſim carpenda ſunt, nec avidè invadenda univerſa: per partes pervenitur ad totum. Aptari onus viribus debet; nec plus occupari, quàm cui ſufficere poſſumus. Non quantum vis, ſed quantum capis hauriendum eſt. *Ita ille.*

Deinde quodcunq; ſtudij genus apprehenderis; non nimia contentione illi incumbendum. Rectè monuerunt veteres: NE QUID NIMIS. MODERATA DURANT. Nam ut bene Poëta (Marcell. Palingen, in Virg. v. 566.) notavit: *Multos.*

Dum nimium nimiumq; legunt, ophtalmia vexat,
Præ ſtudio ſtomachus crudeſcit, viſus hebeſcit,
Et pallor venit, & macies, & acerba ſenectus:
Vel certè, ut plurimis, mors immatura.

Deniq; non ſtudendum anxiè, ſeu ſolicitudine nimia. Liberales artes liberalem ſerenūq;

requirunt animum. Quod hac horâ, vel die, non capis, aut promere non potes: poteris posterâ. Horarum aliæ steriles sunt, aliæ fœcundæ & facundæ. Unde illud: NEMO OMNIBUS HORIS SAPIT. Adhæc notavit Quintilianus lib. 10. Instit: c. 3. Esse quosdam, quibus nihil satis. Omnia mutare (etiam sua) omnia aliter dicere, vel scribere, quàm occurrit, volunt: increduli, & de ingenio suo pessimè meriti, qui diligentiam putant, facere sibi difficultatem. *Nec promptum est dicere*, addit; *utros peccare validiùs putem; quibus omnia sua placent, an quibus nihil?* Et est hic error, vanusq; labor, non tyronum duntaxat: sed non rarò provectiorum in arte dicendi.

Incidit aliquando Julius Florus, Oratorum in Gallia eo tempore princeps (referente Quint: cit:) in adolescentem lucubrationi suæ impallescentem, quæsivitq;: quæ causa frontis tam obductæ, animiq; mœrentis? Tertium jam adesse diem, reposuit adolescens, ex quo improbo labore incumberet in materiam sibi ad scribendum destinatam, non tamen idoneum reperire exordium: ideoq; malle se jam nuntium remittere sterilissimo studio. Tũ Florus arridens: *Numquid tu meliùs dicere vis, quàm potes?* Adnitendum equidem, ut dicam9, seu scribamus, quàm optimè: dum tamen ingenium vel nondum satis instructum est, vel durescit in pumicem, frustrà laboramus in exprimenda ex eo aquarum, nescio quarum, copia.

pia. Exſpectandum paulisper, donec molleſcat, & illapſo cælitus rore turgeſcat in ſpongiam. Interim non contemnamus, quæ DEus & natura ultro dederunt. Experientiâ multâ didici; priores conceptus, qui ſponte fluxerunt, meliores fuiſſe poſterioribus, ab invita extortis Minerva.

Cavendum autem & alterum extremum: ne animo nimis remiſſo & languente ſtudia tractes. Scitè peritiſſimus dicendi Magiſter, Fabius Quintilianus, vetuit: à diſcipulis, aliquid ſcripturis, aſpici laquearia cubiculi; ut ſolent, quibus cerebrum infecit bilioſus vapor. Videntur multa meditari; ſed vix aliud agunt, quàm ut numerent trabes conclavis, & in longum ac latum pererrent tabulatum. Etiam inter ſtudendum habet locum illud: HOC AGE, QUOD AGIS. Ut fortes fortuna, ſic impigros Minerva juvat.

X. *Ordinatè ſtude.*

Quod multus labor non poteſt, ſæpe præſtat Ordo bonus. Et rerum, & ſtudiorum, aliorumq; laborum, Anima meritò dicitur. *Ex ordine cuncta bona procedunt: inordinata diſſipant etiam ordinata:* ait Plato 6. de leg. Proinde ſi non unius generis tractanda tibi ſint ſtudia, ſeu negotia, Florimunde; vide ut ea bono ordine diſtribuas, & certis aptiſq; aſſignes temporibus.

1. Ante omnia, & ſemper, præmittenda Im-

ploratio opis divinæ (ut sup. Monito 1. commendavi, & iterum iterumq; commendo) cũ proba Intentione studendi: dirigendo scilicet studia & alia negotia, ad DEi gloriam majorem, ad majus bonum commune, ad tuam & proximi salutem; seu ut aptius evadas instrumentum propagandæ divinæ gloriæ, & boni communis.

2. Sepositis curis alijs, colligenda & serenanda mens quàm maximè: ut non distrahatur, cogitationibus alienis, nec abripiatur æstuantis alicujus affectus turbis. Conturbatum enim animum non esse aptum ad exequendum munus suum: cum Cicerone in quæst. Tusc. quotidiana docet experientia.

3. Si aliquid scribendum est Exercitij gratiâ: vide inprimis, ut scriptionis argumentum plenè intelligas. Deinde indue personam, quam & qualem illud requirit; excita quoq; in te ipso competentem affectum, v. g. salutantis principem, vel magnatum aliquem, gratulantis, vel dolentis, compatientis, concionantis, deliberantis &c. prout materia, circa quam versaris, exigit. Quod ut facile, & cum decoro præstes: siste tibi ante oculos, si quem vidisti, hujusmodi personam cum laude repræsentasse; & ad imitandi studium applica animum. Industria hæc mirificè excitat ingenium, & acuit stylum.

4. A facilioribus incipe, & pedetentim constanter progredere. Quælibet dies sensim sine sen-

ne ſenſu aptabit te altioribus & difficiliori-bus. Non exerrabis: ſi ſecutus fueris ordi-nem, quẽ in ſequentibus Inſtitutionibus tenebo.

5. Poſtquam aliquid Marte proprio elabora-veris: non solùm ſine mora diſcute, & exa-mina; an Regulis Grammaticæ, & Præceptis Rhetoricis congruat: ſed idem examen alte-ra die repete, & ſi res moram patitur, poſt dies aliquot, vel hebdomadas, iterum revide, & diſcute. Niſi enim errores ſuos, à quibus etiam veterani ſubinde immunes non ſunt, ad-verterint tyrones; vitabnnt nunquam, cumu-labunt quotidie. Conſtat autem: non tam be-ne deprehendi à nobis errores noſtros, ſi poſt ſcriptionem abſolutam, ſtatim relegamus ſcri-pta; quàm ſi tempus aliquod interceſſerit; & quò longius temporis ſpatium intervenerit, advertimus plura. Amor enim recentis fœtus, caliginem quandam offundit oculis noſtris; qua cum tempore diſcuſſâ, nævi & diſtorta il-lius membra manifeſta fiunt.

6. Inter tempora ſtudijs impendenda, matu-tinarum horarum præcipuus tibi ſit uſus. Au-roram Muſis amicam dixerunt Veteres, expe-ritur etiam noſtra ætas. Cave, ne auream hanc horam iners dilapides; qua etiam Mentes hu-manæ uberiùs irrorantur, & aptiores ſunt con-ceptibus ſubtilioribus. Unde natum Socraticũ illud: *Oriente ſole conſilium, occidente convivium.* Cæterum vereor, Florimunde, ne ſtudendi avi-ditas, qua ardes, in ſeram noctem te abripi-

at, diurnis horis non contentum. Id tamen ut patiaris, non ſvadeo; præſertim dum vernantem vivis ætatem, quæ crudis abundat humoribꝰ, ſomno digerendis. *Sufficit diei malitia ſua* Matt. 6. 34. Non parum habebis temporis, ſi nihil dilapidaveris.

Deniq; prima ſemper, & potior tibi ſit cura Studij virtutum Chriſtianarum, quàm quarumvis literarum. Quidquid cenſeat, dicatq; mundus: apud DEum, imò & homines ſenſatos, malè audit homo literatus, ſed moribꝰ depravatus. Credo, innotuiſſe tibi quod evenit Magno Eccleſiæ Doctori, S. Hieronymo, in ætate adhuc immatura. Liberaliùs helluabatur inter libros, præſertim à Cicerone orbis admirationi, & imitationi relictos. His dies noctesq; conſecraverat, & fere immoriebatur. Scribit ipſe: per quietem raptum ſe aliquando ad tribunal Divinum, acriterq; accuſatum: QUOD MAGIS CICERONIANUS, QUAM CHRISTIANUS ESSET; quamvis aliàs moribus ſatis probis viveret. Quominus ſeveriore Iudicis ſententia feriretur: fecit Patronorū quorundam, qui intervenerunt, interceſſio, ſpondentium, unà cum Hieronymo, meliora. Iuſſus tamen eſt, egregiè caſtigari. Non fuiſſe id vanum ſomnium; probavit lividum & invalidum corpus, vibiceſq; denſæ, à plagis relictæ. Hoc eſt, non tenuiſſe legitimum ſtudiorum ordinem. Sapuit deinceps Hieronymus: utinam & nunc malo illius ſapiat Chriſtiana Iuventus, & non repo-

reponat inter postremas curas Studium virtutum Christianarum, cujus severissima olim reddenda erit ratio.

INSTITUTIO II.

De Studio probæ Latinitatis.

QUemadmodum aliarum nationum lingvis fatale est; tractu temporis fœdam pati depravationem: ita Latinam eidẽ fuisse, & esse, obnoxiam, manifestum est. Tam cumulatè passim infarcitur peregrinis, novatis, obsoletis vocibus; tam fidenter scriptorũ quivis venditat Latinitatis suæ puritatem: ut ancipites hæreant tyrones, quid deligendum sit, aut reprobandum. Inquirendum proinde studiosè: quænam sit proba Latinitas, & ubi invenienda? Nam ut Cicero, in Orat: docet: *Verborum delectus origo est Eloquentiæ.*

§ I.

Quænam sit, & ubi invenienda, probæ Latinitas?

REspondeo paucis: Eam esse, quam exibent Authores Latini, qui Classici dicuntur. Id est, qui ubivis gentium in publicarum scholarum Classibus prælegantur, vel recepti sunt. Tales sunt inter Oratores, Rhetores & Historicos, M. Tullius Cicero, Varro, Iulius Cæsar, Sallustius,, Livius, Tacitus, Curtius, Plinius uterq;, M. Fabius Quintilianus

uterq;, ſcilicet Rhetor & declamator; Seneca uterq;, Philoſophus & Rhetor, Florus, Valerius Maximus; quamvis nimiæ affectationis arguatur, Latinus tamen eſt. Inter Pòëtas Claſſici ſunt Virgilius, Ovidius, Horatius, Martialis, Seneca Tragœdus, Plautus & Terentius Comici, Iuvenalis & Perſius Satyrici.

In his ergo, qui ſæculorum & gentium omnium judicio, principes ſunt Latini nominis, vel nullibi, probam genuinamq; Latinitatem reperiri, eſt neceſſe. Ab his quò longiùs receſſerunt Scriptores Recentiores; eò minus habent puræ Latinitatis; quemadmodum flumina, quò magis recedunt à fontibus ſuis, minus habent nativi ſaporis & puritatis. Non tamen deſunt etiam inter Recentiores, qui probam puramq; propinant Latinitatem. Tales ſunt Iuſtus Lipſius, Antonius Muretus, Paulus & Aldus, Manutii, Famianus Strada, Horatius Turſellinus, Iacobus Pontanus, Nicolaus Cauſinus, & plures alij collapſæ Eloquentiæ Latinæ reſtauratores.

Quodſi velis eos, qui dictiones & phraſes purè Latinas è Claſſicis authoribus collgerunt, & Alphabetico, vel alio opportuno ordine digeſſerunt: in promptu eſt Iunij Onomaſticum, Taubmani Lexicon, Ioannis Friſij Dictionarium, Rudolphi Gocleny Obſervationes Lingvæ Latinæ. Ampliſſimum Roberti Stephani Dictionarium omnes habet Claſſicorum Authorum conſtructiones, cujuslibet verbi uſum, & Epi-

& Epitheta omnia. Præterea plurimùm juvabit, legiſſe Iulium Scaligerum de cauſis Lingvæ Lat. Buchleri Elegantias, Schotti Quæſtiones Tullianas, Silvij Progymnaſmata, & Pontani Annotationes, quas Progymnaſmatis ſuis ſubjecit. Alij perutilem poſuerunt operam in conficiendo unius certi Authoris Dictionario; ut Salluſtij Ciaconius, Curtij Eraſmus Roterodamus, Erithræus Virgilij, Godofredus Senecæ, Pareus Plauti, Terentius Suetonij, Lambinus, Lucretij &c. Quos omnes laboris mole & utilitate facile ſuperavit Marius Nizolius qui ex omnibus Ciceronis Operibus vaſtum conflavit Lexicon, quod Theſaurum Ciceronianum appellavit. Sed partam laudem corrupit aliquantùm judicio nimis rigido, quo vocabula quævis, in Ciceronis Operibus non inventa, proſcripſit è Latio, & inter Barbara recenſuit, contra communem doctorum ſenſum & uſum, nec ſine injuria aliorum præſtantium Scriptorum.

Advertiſſe debuerat Nizolius: Ciceronem non in omni materia ſcripſiſſe, vel peroraſſe imò etiam in materiis quas tractavit, non potuiſſe illum (nec neceſſe, aut opportunũ fuiſſe) uti omnibus omnino vocabulis, quæ Latina lingva complectitur vel requirit. Certè ſi Militaria ſcripſiſſet, vel Ruſtica, aut Architectonica &c. ijſdem, vel ſimilibus verbis uſu-fuiſſet, quibus Cæſar, Vegetius, Columella, Vitruvius &c. Et durum, ne dicam inurbanũ,

 eſt

eſt: doctiſſimos celeberrimoſq; Scriptores, qui Tullio ætate ſuppares, vel non multò inferiores fuerunt, damnare vel inſcitiæ, vel incuriæ, in uſu Lingvæ Latinæ, & quod puritatem ac nitorē ejus barbaris vocib9 inquinârint.

PETES: *An hoc ipſo, quod vocabulum aliquod invenıatur in Authore Claſſico, poſſimus illo liberrimè uti, etſi Scriptores alij eo uſi non ſint ?*

Reſp: Poſſe nos quidem illo uti ſine piaculo: ſæpe tamen non expedit, ut utamur. Si enim Author vix ſemel, aut non niſi rariſſimè, vocabulo aliquo uſus eſt; nec alij, poſteriores præſertim , Scriptores illud adhibuerunt, ideoq; obſoletum jam eſt, & antiquatum: expedit illo non uti in ſeria, & gravi materia; ne temeritatis, vel inſolentiæ arguamur, atq; inter veteramentarios, ut ita dicam, cenſeamur. Sed de hac re Paragrapho ſequente opportuniùs redibit ſermo. Illud hic obſervare juvat, quod rectè notavit Fabius Quintil. 9. lib. Inſtit: Or. c. 4. & l. 10. c. 1. *Neq; id ſtatim legentibus perſuaſum eſſe debet: omnia quæ magni Authores dixerint, eſſe perfecta.* Nam & ipſe quandoq; dormitâſſe viſus eſt Homerus. Quis tam circumſpectus fuit, præſertim in copioſiore lucubratione: ut credi poſſit; nullum omnino verbulum minùs probùm, calamo ipſius excidiſſe ? Deinde qui feſtivo ſunt ingenio, ut fuit Cicero; tam in epiſtolis, quā familiari ſermone, cùm adverſarium exagitant, aliquando joci gratiâ projiciunt verbum,

quo aliàs in Orationibus, vel Dissertationibus serijs, usi sunt nunquam. Sic Cicero in epist. ad Atticum per jocum usus est verbo obsoleto *Muginari*; & alibi scripsit: *Noctuabundus* venit; & *Senaturire* &c. Quemadmodum igitur imprudentis est, vitri fragmenta mirari, & asservare pro margaritis, seu adamantibus: ita pingvioris ingenij est; in obscuris & obsoletis ponere nitorem Latinitatis.

§ 2.

De Latinitate Ecclesiastica, Plautina, Obsoleta, Bàrbara, & Familiari.

Quæres 1. Quæ est Latinitas Ecclesiastica, & Quis ejus Usus?

RESP. Ecclesiastica Latinitas est, qua utuntur Ecclesiastici Scriptores, & sacri Oratores, seu Concionatores. Est quidem ea Latinitas desumpta ex Fontibus Latinis, regiturq; communibus Grammaticæ præceptis: habet tamen subinde intertexta vocabula, Scriptoribus purè nitideq; Latinis inusitata: qualia non pauca occurrunt in scripturis Divinis. Sic psal. 76. dicit David: Exercitabar, & SCOPABAM spiritum meum. Et Isaiæ 14. 23. SCOPABO eam in scopa: id est, purgabo. Et Eccli. 27. 5. APORIA hominis in cogitatu illius. Et 2. Cor. 4. 8. APORIAMUR, sed non destituimur. Id est, incomparabilem animi afflictionem patimur. Zachar. 11. 13. APPRETIATUS sum: pro pretio æstimatus ac venditꝰ sum.

ſum. Judith. 10. 5. ABRA ponitur pro Famu-la; ASCOPA, pro pera pellicea &c.

Uſi ſunt autem Interpretes Latini ſacræ Scripturæ, vocabulis hujuſmodi: vel quia tunc in uſu vulgi erant; vel ut magis genuinè exprimerent ſignificationem vocum Hebræarum, aut Græcarum. Similiter poſteriores Eccleſiaſtici Scriptores, non tam ſoliciti fuerunt de proprietate & elegantia Latini ſermonis: quâ ut genuinè proponerent, atq; exponerent, ſenſum proprium Scripturarum Divinarum. Patet id in Hieronymo, Ambroſio, Cypriano, & Auguſtino: qui licèt cùm quovis Rhetorum & Oratorum veterum de palma jure contendere potuerint: ſponte neglexerunt exquiſitum ſtyli Latini cultum, verbiſq; ſubinde uſi ſunt duriuſculis. Sic Auguſtinus exponens Pſalmos, pro Os oſſis, ultro dixit oſſum oſſi, diſertâ conteſtatione adjectâ: Malo, ut me reprehendant Grammatici, quàm non intelligant populi. Eadem mens, & conſuetudo eſt eorum, qui Aſcetica, ſeu Spiritualia, etiamnum ſcribunt. Non ſolùm fucos & pompam ſtyli fugiunt: ſed verba etiam adhibent, ex Scripturis ſacris, SS. Patribus, vel Theologia, Philoſophiaq; Chriſtianâ, petita: quæ fruſtra quærat Nizolius in Cicerone, Eraſmus in Curtio, Pareus in Plauto, Ciaconius in Salluſtio &c. Sciunt enim; doctrinam Salutis non conſiſtere *in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; ſed in oſtenſione Spiritûs, & virtutis.*

tutis. 1. Cor. 2. 4. Deinde cùm profani Scriptores non laborarint in materia hujusmodi: mirũ non est extra illos idonea quæri & adhiberi verba; ut sensus spiritualis comode exprimatur.

Proinde si quid in Scriptoribus Ecclesiasticis occurrerit, Florimunde, non omnino tersum, vel ad limam Classicorum elaboratum: non illico despicies, vel deridebis; sed honorem habebis sacræ, adeoq; duplici titulo venerandæ, Antiquitati. Sed neq; putaveris; hoc ipso licitum tibi, hujusmodi vocabulis uti in quacunq; materia, & quolibet foro. Quod enim in uno impunè permittitur transire: tenetur sæpe in altero, & castigatur.

Quæres 2. Quid tenendum de Latinitate Plautina?

R/. Cùm Plautum præcedente Paragrapho, ex communi Eruditorum sensu, retulerim in album Scriptorum Latinorum, qui Classici dicuntur: ineptirem egregiè, si Latinitatem ipsius hic improbarem. Is & mihi est M. Accius Plautus, qui fuit scriptoribus doctissimis, Veteribus & Recentioribus, quorum ambitiosis encomijs semper est celebratus. M. Varronis celebratur sententia: quòd si Musæ Latinè loqui voluissent, Plautino sermone fuerint locuturæ. Iustus Lipsius *Cent*: 2. *ep*. 31. *Miscell.* Plautum Decimam Musam appellat. *Et* 5. *Antiq. lect.* Musarum & Gratiarum hortum. Scaligero est Romanæ lingvæ Lex; Pareo Latina Siren.

Adver-

Adverto tamen: ſpecioſa hæc & rara elogia, data eſſe Plauto, ludenti in theatro, non peroranti pro Roſtris, nec Arma virūq; canenti. In theatro, & quidē Comico, non Tragico, Plautus omnino eſt Latina Siren, & Decima Muſa: & ſi Muſæ vellent ludere inter mimos *Eligerent*, credo, *numeros, Plaute, ſalesq; tuos.* Cæterùm ſi ſeria tractanda ſint, & Oratoris, vel Hiſtorici, aſſumenda perſona: lingva Plauti non ad unam revocanda erit limam, vel ſale non modico, perfricanda. Claret ille fateor genuina & eleganti Latinitate: ſed quæ Comœdum decet, & ad ventilandos Auditorum pulmones valet. Ut ſales ſuos fundat ſvavius: totus incumbit in cudendas Catachreſes, Metalepſes, Onomatopœias; de induſtria interſerit, vocabula nunc ab antiquitate mucida, nunc inſolenter novata, nunc jocularitet confićta: quæ extra theatrum non pulmones, ſed ſtomachum moveant. Paucula do in ſpecimen.

Servos paſſim vocat flagritribas. ulmitribas, bucædas, tribunos vapulares &c. Mordices ponit pro dentibus, Oculiſſimus pro Chariſſimo, Rapicida pro fure, Pœnior pro callidior, Patruiſſimus patruus pro ſeveriſſimo, Corvitare pro ingurgitare ſe, Hamiota pro piſcante hamis &c. In Toxilum quendam pleno talium vocabulorum plauſtro invehitur, debetq; is audire, Vaniloquidorus, virginis vendonides, nugipolyloquides, argenti extenebronides,

nides, nummorum expalponides, quod ſemel arripides, nunquam eripedes, &c. Quæ & ſimilia, quis non advertit eſſe ad ludendum, & ad delectandum, lepidè conficta; nec decere Oratoriam aut hiſtoricam gravitatem, & modeſtiam?

Unde mirum eſt: etiam hodie, dum in universo rerrarum orbe regnat, triumphatq; Latinitas Tulliana, ab octodecim circiter ſæculis; apud quoſdam in tanto pretio & guſtu eſſe Plautinitates illas: ut nihil ipſis videatur ſatis eleganter, & ſapidè conditum; niſi Plautum ſapiat. Non ſolùm Epiſtolas familiares, ſed graviſſimas Orationes, Panegyres Heroicas, ſalutationes & Gratulationes principum, Elogia funebria, & Epitaphia Virorum Clariſſimorum, opportunè importuné infarciunt phraſibus Plautinis. At, ô boni, aliud eſt Oratorē, aliud mimum agere. Si cum decoro extra theatrum, & geniales dies, adhiberi indiſcriminatim poteſt Latinitas Plautina: cur illâ uti, dignati non ſunt Cicero, Salluſtius, Livius, Virgilius, Plinij, cæteriq; Plauto poſteriores, quos ut Numina in regno Eloquentiæ conſtanter venerantur ſæcula, & gentes omnes?

Non diffiteor: eſſe in præclaro illo comœdo plurima, & eleganter & ſententiosè dicta; quæ etiam Oratori & Hiſtorico ſerviant; ſed ajo, cribro opus eſſe, ad ſecernenda ea, quæ ex mola Plauti prodierunt. Recipio omnia(nam & furfures uſum ſuum habent) ſed

non omnia promiscuè, aut ubiq;, adhibenda puto. In Epistolis familiaribus, & narrationibus facetis, imò etiam cùm in oratione exagitandus & pulsandus est adversariorum, seu improborum aliquis, aliquantò liberiùs, non tamen sine sale, adhiberi possunt Plautini sales, catachreses, onomatopœiæ, & ludicra dicteria. Præstat autem, indicare statim fontē, seu authorem, ex quo talia sunt hausta: ne ipsi insolentiæ arguamur.

Terentius inter Comicos planior est, nitidior & modestior. Cæterùm Tyrones Eloquentiæ, donec judicio maturescant, ad faciendum competentem delectum in scriptis Comicorū: imbuendi primum sunt Latinitate Rhetorum & Oratorum propria. Ubi deinde transierint ad Plautum &c: videant; ne dum piscantur Latinitatis margaritas, perdant animam, capti à Sirenibus lascivientium Comœdorū. Plauti quatuor Comœdiæ castæ sunt: Mostellaria, Trinummus, Menæchmi, & Captivi.

Quæres 3. Quid tenendum de Latinitate Obsoleta?

℟. Eam non majoris esse pretij, quàm vestem obsoletam, seu multo usu detritam. Amatur tamen perditè à quibusdam, quibus nihil splendidius titulo Antiquariorum, quem ambiunt. Est autem Obsoleta Latinitas, quæ aliquando in usu aliquo fuit: sed à Classicis scriptoribus & à postremorum etiam sæculorū eruditis passim neglecta est. Hanc studiosè erude-

ruderant quidam Moderni; & dum epistolium aliquod, vel oratiunculam concinnant: tam ignotis & mucidis eam infarciunt vocabulis: ut cum Evandri matre loqui, & intelligi nolle, videantur. Affectant nimirum reconditæ eruditionis gloriam, & putridam quandam, seu putidam elegantiam. *Persuasit jam multis ista persuasio: ut id demum eleganter, atq; exquisitè dictum putent; quod interpretandum sit*: inquit Quintilianus lib. 8. Instit: c. 8. Ut si aliquis admoniturus alterum de meliore temporis usu, dicat [Tu muginaris; nugipolyloquides cluis, & corvitare non desinis: dum interim quælibet hora tibi philacteria vitæ clepit] Vah! Quid elegantius vel è tripode Apollinis!

Optimè monet Quintilianus lib. 1. Instit: c. 10. Latina vocabula, quibus utimur, debere esse ut nummos; quibus publica inest auctoritas, & usus communis. Deinde sicut contingit, monetæ valorem suum primum, tractu longi temporis abrogari, vel imminui; ita & vocibus non paucis idiomatum. Nihil magis comendamus, quàm Latinitatem antiquam: at non Antiquatam. Cum igitur tale quodpiam vocabulum producere visum fuerit; addendum: ut N. dixit: vel, ut veterum quidam scripsit &c.

Quæres 4. Quæ est Latinitas Barbara?

℟. Quæ non traditur à scriptoribus Classicis, nec communi Recentiorum usu recepta est. Tales sunt potissimùm illæ voces peregrina-

rum

rum lingvarum, quæ terminatione Latina ef-
feruntur. Ut Perla pro Unione, seu marga-
rita, Avisare pro significare, Coretus pro mo-
dio, Granities pro finibus seu limitibus fun-
dorum, Borri & Lassi pro sylvis &c. Voca-
ri solent hujusmodi dictiones Germanismi, Po-
lonismi & (prout ex aliqua nationali lingva
formantur) & re vera sunt Barbarismi.

Fiunt insuper Barbarismi modis varijs. 1.
Inusitata probis Scriptoribus dictionum com-
positione. Ut disgustus, dishonor, disgratia, 2. Numerorum permutatione. Ut Scopa
pro scopæ, Tritica pro tritico, Siligines pro
siligine. 3. Inepta declinatione vel conjugati-
one. Ut Vasibus pro vasis, Præstavi, vel Se-
cavi, pro Præstiti, Secui. 4. Adjectione, vel
Detractione literæ aut syllabæ. Ut Follium
pro folium, Patternus pro paternus, Odie pro
hodie, Halybs pro chalybs &c. Proscripti sunt
barbarismi omnes ex universo Literaturæ Hu-
manioris regno. Fuge illos, si non vis audi-
re barbarus.

Quæres 5. Quæ est Latinitas Familiaris?

℟. Ea est, qua in familiaribus colloquijs &
epistolis utuntur homines docti. Non com-
ponitur hæc ex verbis studiosè delectis,
non affectat elegantulas phrases, non re-
quirit Troporum & Figurarum ornatum, vel
tinnientes eruditionis phaleras: sed obvio cultu
gaudet, amat verborum proprietatem, & ma-
vult, esse purior, quàm comptior. Ut barba-

rismis, solæcismis, & peregrinis idiotismis horret inquinari: ita refugit, quidquid ostentationem sonat, & àffectationem sapit. Insignem reportant fructum, qui tali Latinitati assuescunt in communibus colloquijs. Faciliores enim se sentiunt, si quid scribendum sit; cùm hac praxi acquirant uberem verborum copiam, quam facile est in stylum sublimiorem, ubi oportet, attollere.

Quemadmodum igitur vani sunt, qui phrases loquuntur, in familiari sermone: ita incultos se probant & agrestes, qui effundunt, quidquid in salivam venit, nullo verborum aut sensuum habito discrimine; quorum Latinitas Culinaria dici solet. Qui verò magis limatâ utuntur lingvâ, vel pennâ; si quid minùs Latinum sit exprimendum: honorificam præmittunt præfationem, vel subnectunt excusationem v. g. *Sit venia verbo*; vel, *Vt vulgò dicitur*; vel, *Vt ajunt &c.*

Deniq; illud observandum: majore considera-tione, & cultu, indigere, quod scribitur, quàm quod dicitur. Volat enim irrevocabile verbum, atq; ut faciliùs concipitur & elabitur; ita faciliorem meretur veniam. At quod scribitur, magis meditatum censetur; adeòq; magis cultum sit oportet: ut impune transeat.

INSTITUTIO III.

De fructuosa Librorum Lectione.

MOnui jam Instit. 1. num 4. Sudioso Humanioris literaturæ necessariam inprimis esse idoneorum Librorum supellectilem: eorumq; diligentem Lectionem commendavi num 6, Restat hic declarandū: Quinam Libri, & Quomodo tyronibus sunt legendi; ut optatum referant fructum?

§ I.

An Veterum Scriptorum potiùs quàm Recentiorum, Libri sint legendi?

INgens utrorumq; est copia; & ipsa copia inopes consilij tyrones facit: quibusnam inhæreant? Sunt enim inter utrosq; boni, sunt mali, sunt mediocres plurimi. Sunt qui pascant curiositatem, sunt qui generent fructum, sunt qui aliquid vitij inhalent. Existimo, non ingratum nec inutile futurum studiosæ Iuventuti: si præmisero concertatiunculam problematicam, qua olim in utramq; partem luserunt Tyrones mei, faventibus alijs Veterum, alijs Recentiorum Authorum lectioni. Subjungetur controversiæ decisio, qua videri possit omnibus satisfactum, & omnium honori consultum.

DISSERTATIO.

Pro Recentiorum lectione.

SI quid ingenij, quod diuturno excoluimus studio; si quid judicij, quod non rarò ætatem

tem prævertit, in nobis eſt, Sodales lectiſſimi: conſtare omnibus arbitror, fas nobis non eſſe, Naturæ infringere jura, detrectare imperia. Quidquid enim illa jubet, ſuadetq;, ſanctum eſt; *vel quia neceſſarium, vel quia melius ita eſt*, Philoſopho teſte. Liber 2. de cælo c. 5. Quis verò ita obriguit, vel tam obtuſo eſt ſenſu: ut intra ſe non ſentiat arcanos Naturæ ſtimulos, quibus urgemur in Recentiorum potiùs quàm Veterum Authorum lectionem? Quis vel mediocri literatura tinctus, innata aviditate non magis recentia præſentis ſæculi expetat bellaria, quàm exoletam, totiesq; recoctam Antiquitatis cramben? Geſtit jejunum Juventutis ingenium, quoties audit novum aliquod ingenioſa lucubratione apparatum obſonium; nidorem vetuſtarum paginarum averſatur, & tineis relinquit in epulum. Nonne recenti Maſſico magis inhiat ætas noſtra, quàm Cæcubo, conſule Manlio, nato? Non aliter quod recenter è prælo Typographico prodit, ſuavius afficit palatum noſtrum, totoſq; in admirationem & amorem ſui rapit. Non parcimus ſumptibus, verborum ſuſpicimus decorem, ſententiarum miramur ſplendorem, eruditionis copiam, argumentorum robur, totos deniq; ſumma aviditate abligurimus libros, etiam prandii cœnæq; immemores; dierum accuſantes brevitatem, noctibus cum recèns nata Pallade hęluari libet. Is quippe hominum eſt genius, ut teneriùs, affi-

ciantur ijs, quæ ſibi temporis affinitate conjuncta cernunt. Quæ verò pluribus ſubmota ſæculis oſtentat Antiquitas, quantumvis præclara ſint, admirationem magis obtinent, quàm amorem. Suſpicimus annoſas quercus, annuas amamus roſas: ſenum veneramur canitiem, coætaneorum ambimus familiaritatem; quin & ipſi jucundius libentiusq; ſibi colludunt catelli, quàm vetulo alicui moloſſo. Proinde quò nos Natura ducit, incitat ætas, urget amor; ſequamur alacres: oculos, pectus, ingeniumq; totum Recentibus, qui tamen è trivio non ſint, devoveamus Authoribus: Veteres faſtidij vitandi, & obſervantiæ gratiâ, inviſuri ſubinde. Imitabimur proniùs, quos Natura ſuadente amamus teneriùs.

PRO LECTIONE VETERUM.

UTinam rariùs cœci eſſent, quos natura parit Amores! Ex innocentiæ ſapientiæq; viridario proſcriptæ, non eſt ea vel ſcientia vel probitas: ut, quod tanquā ſecurū ac utile commendat, continuò utile ſit, atq; ſecurum. Naturæ impulſu odimus ſæpe amanda, & contrà odio habenda amamus, jam defectu ſcientiæ, jam exceſſu malitiæ. Quare propendeat licèt immatura ætas noſtra toto affectuum pondere in erudita poſtremorum ſæculorum monumenta: non eâ unquam ero levitate animi; ut relicto Veterum Anthorum Senatu, canitie, uſu, & ſæculorum judicio,

cio, venerabili, adhæream adoleſcentulis, vix prima lanugine formoſis, & ſub virga cenſoria adhuc palpitantibus. Imprudentis enim eſt, illi ſe totum addicere, à quo plus lucri, an damni ſis relaturus, nondum conſtat. Recentiorum plerorumq; princeps ſtudium & labor eſt: ut in lucem prodeant habitu & ſtylo peregrino, mercibuſq; novis ſeſe commendent. Unde paſſim apparent metaphoris inflati, hyperbatis diſtenti, abſtruſis allegorijs obſcuri, ſententiis leves, rationibus enerves, catachreſibus audaces, denſis Helleniſmis inſolentes, ex eruderatis vocabulis obſoletis novitatem affectantes, & neſcio, quo ſpiritu entheati. At contrà, quantam Latini ſermonis proprietatem, puritatem, ſplendorem & majeſtatem veneranda præfert Antiquitas? Quantus in verbis delectus, in tropis moderatio, in ſententiis dignitas, in argumentis ſoliditas, quantum in tota orationis ſtructura artificium? Quàm copioſo & illimi fluunt alveo Oratores, quàm limpido Hiſtorici, quàm dulci Pòëtæ! Quanta renitet hic venuſtate, quanta graditur ille majeſtate? Verbo: Principes ſunt in literaria rep. quibus ſceptrum aſſeruit magnum ingenium, & labor multus; quibus obſervantiam omnem, amorem, & cultum vindicant ſæculornm judicia. Horum igitur malim legere veſtigia pediſſequus, quàm Recentiorum latera ſtipare comes. Placeat alijs recentiore muſto diſtendere ven-

ventrem: mihi Cæcubum ſapit Manlio Conſule natum, & quia defæcatius, & quia generoſius; adeoq; aptius ad concipiendum ſpiritum Oratoris conſummati.

PRO LECTIONE RECENTIORUM.

SI ſenecio quiſpiam in Authores Recentiores lividum ſtrinxiſſet dentem: nec vulnus tam altum foret, nec vulnerans tam difficilem mereretur veniam, Sodalis Optime. Vetulis enim nihil eſt antiquius, quam eam carpere ætatem, ad quam relabi non poſſunt, etſi maxime velint; nihil familiarius, quàm in Juniorum nimiam, ut ſibi perſuadent, licentiam, interdicta clamare & caſtigationes. At quòd is, quem vix gerulæ elapſum manibus, necdum prima honeſtat lanugo, ita ſuperſtitiosè vetera colat deaſtra; ut recentia literariæ reip. Numina adorare recuſet, ne dicam, convitiis proſcindere non erubeſcat; id enimverò arbitror inexpiabile. Adeòne tibi vetuſtatis amor omnem ſopivit ſenſum, omnem eripuit mentem; ut innumera pariter ac ingentia præſentis ævi decora nec videas, nec audias, habeasq; perſuaſum: triſti nunc egeſtate laborare orbem, nimia priorũ ſæculorum ubertate fatigatum? Num tibi videtur cõmunis omnium parens Natura ita jã conſenuiſſe, ut probroſiſſima ſterilitate, velut effœta, laboret? Numquid credere fas eſt, ipſius naturæ Authorem, & animorum parentem

tem DEum, ætate, & velut nimiâ in priorum sæculorum ingenia profusione, ita factum esse invalidum: ut nunc paria prioribus gignere nequeat? Apage cum anilibus hisce deliramentis. Sicut etiam hodie maria præbent gemmas, montes aurum, sylvæ leones & elephantes, prærupta aquilas: ita in regno Minervæ non desunt ingenia, quæ vetera non solùm insequi & assequi, verùm etiam prævertere possint. Viget etiamnum virtus illa, quâ caluére Vates, æstuavêre Oratores, & supra homines humana sese sustulerunt ingenia: viget, inquam, non iners & otiosa; sed vivida & operosa, conditq; animos se dignos, atq; posteriorum sæculorum admirationem, amorem, & elogia merituros. Proinde quisquis Recentiorum lucubrationes dente infesto invadere non veretur; vel omnino imperitum, vel turpiter obtusum, vel efflictim invidum se probat; ut pridem cecinit Pòëta:

Hi sunt invidiæ nimirum Regule mores:
Præferat antiquos semper ut illa novis.

Cùm enim, qui velit ingenio cedere sit rarus; imò cùm nemo non sit, qui eminere nolit: quisq; vel modica tinctus literaturâ parem se coætaneis, si non superiorem, arbitratur. Quo vitio & infortunio, quis ignorat, etiam veteres laborare? Tullius ipse, in Bruto suo, quàm rigidum se exhibet in coætaneos vel non multò seniores? At nec defuerunt, qui in ipsummet, si non cæstibus,

ſaltem pugnis, adverterunt. Quare iniquiſſimum, ac omnino temerarium cenſeo: Juniores ſpernere Authores, quia canitiem non præferunt; vel in omnes cenſoriam ſtringere virgam, quia nonnulli luce digni non ſunt. Quin potiùs, probo habito delectu, digniſſimos exiſtimo; quibus oleum, quantumvis pretioſum, & perdiligentem impendamus operam. Laudemus Veteres: ſed noſtris utamur annis.

PRO LECTIONE VETERUM.

QUàmvis eandem, quam majores noſtri, ſpectemus cæli aſtrorumq; faciem; eandemq; tellurem colamus ut matrem: non eoſdem tamen experimur ſiderum favores, nec pares ſuſpicimus telluris partus. Ubi nunc liberalia inculti ſoli munera? Ubi illæ, cælo aſſurgentes, carneæ turres, Typhœus, aut validus Mimas? Ubi minaci Porphyrion ſtatu, aut Rhœtus, evulſiſq; truncis Enceladus jaculator audax? Ubi ſæculorum pondere fatigati Mathuſalæ, aut Neſtores? Ubi illa aëris clementia, quem etiamnum nepotibus deprædicant avi? Si tantam corporum experimur mutationem, & imminutionem, quidni ſit & animorum; qui licet Supremi Spiritûs, non terræ, vel aſtrorũ, ſint partus quidam, ejuſdemq; referant Imaginem, in operando tamen à corporum temperie, & propitio ſiderum aſpectu eos pendere plurimum, eſt manifeſtum. Verùm, ſit ſanè præſentis

tiû fæculorum idem, quæ præteritorum, vigor animorum, & virtus ingeniorum: at non idē nunc experimur lucubrandi ſtudium, & conatus indefeſſos. Præcipitantur plerumq; immaturi atq; informes fœtus, nimio aut gloriæ, aut æmulationis, aut emolumenti cujuſdam ſtudio. At Veteres ingenii partum non menſibus aut annis, ſed luſtris, imò vitæ totius curſu formabant, rati; ſe Æternitati ſcribere; & non ignari illius, quod ſapienter notavit Quintilianus lib. 10. c. 3. *Citò ſcribendo non fit ut bene ſcribatur: bene ſcribendo fit, ut citò.* Proinde ſicut in bellis, ita in ſcholis, tutiùs eſt, Veteranum ſequi ducem.

DECISIO CONTROVERSIÆ.

Dubium non eſt: tam pro Recentium, quàm pro Veterum lectione, non minus valida, quàm ſpecioſa, eſſe allata argumenta. Pro Veteribus, ut palmam pugno ſtringam, ſtat præjudicium ætatis, judicium ſæculorum, poſſeſſio continua partæ gloriæ, labor diuturnus & indefeſſus in concinnandis poliendisq; lucubrationibus, Latini ſermonis proprietas & nitor, plurimus deniq; ipſos admirantium, ac præcipuo honore colentium, eruditorum populus. Pro Recentibus militat naturalis adoleſcentium genius, propenſior in juniorem ætatem; ardens æmulationis ſtudium; eruditionis, ex tot librorum acceſſione comparata copia major, ars ipſa tot ſæculorum labore cultior;

tior; quibus accedit limatiſſimum & graviſſimum ipſius Tullij judicium, lib. 1. Acad. quæſt. fatentis *Certè recentiſſima quæq; ſunt correcta, & emendata maximè.* Proinde, ne debitum quidpiam, aut Veterum derogetur authoritati, aut Recentiorum ſubtrahatur dignitati: utriſq; liberaliter impendamus, oportet, & oleum, & operam, duplici tamen adhibita cautione. Prima eſt; ut primus cultus, & legendi ardor deferatur Veteribus: deinde inviſantur juniores. Illis utantur Tyrones, ut quotidiano ſolidoq; cibo: iſtis ut oblatis bellarijs. Altera; legendorum librorum delectum non inſtituant judicio proprio; ſed maturiorum, præſertim Profeſſoris periti: donec matureſcente cum ætate judicio, diſcernere didicerint à vitijs virtutes. Verbo: Selecti Veterum libri ſunt legendi; Recentium non negligendi.

§ 2.

Quinam in particulari legendi ſunt libri Studioſo Humanioris Literaturæ.

RECOLERE imprimis juvat Præcepta Grammatica: idq; non ſolùm obiter & curſim; ſed attentè, meditatè, & perdiligenter. Cùm enim Ars Grammatica fundamentũ ſit Artificialis Eloquentiæ; ab ingenijs autem admodũ teneris rudibusq: diſcatur: fieri vix poteſt, ut eâ perfectione cõprehendatur, quæ Oratori vel mediocri eſt neceſſaria. Deinde cum tempore multa elabuntur memoriæ; ideoq;
con-

contingit: ut, siquid scribendum sit, aut colloquium Latino idiomate instituendum; non pauci irrepant Solæcismi, ne dicam, Barbarismi, non sine rubore atq; dedecore imperfecti Gammatici. Qui proinde in palæstra literaria altiora jam occuparunt subsellia, atq; inter Eloquentiæ Candidatos censentur: consultissimum est, ut privato studio (juvat asciscere peritum aliquem socium) accuratè repetant Præcepta Grammatica, & judicio jam maturiore perpendant, memoriæq; mandent. Non est necesse: ut variorum Grammaticorum scrutentur volumina; id enim in tenero adhuc ingenio majorem parere poterit confusionem; sed sufficit, ut eum, cui primam impenderunt operam, revolvant Grammaticum v. g. Emmanuelem Alvarum, cujus Institutiones innumeros, eosq; præclarissimos, orbi universo dederunt Historicos, Pòëtas, & Oratores.

Necesse autem est: ut non ea solùm recolantur, quæ ad vocum constructionem pertinent; sed omnia prorsus, à capite ad calcem, à prima pagina ad ultimam. Specialiter commendo, quæ ad Orthographiam, accentus & Interpunctiones spectant; & partim initio (in Ad monitione ad Professores) partim in fine Institutionum Alvari traduntur. Fœdum enim est hæc vel ignorare, vel negligere. Neglectus arguit vel ignorantiã crassam, vel incuriã supinam. Qui plenius instrui cupit de ORTOGRAPHIA: consulat Aldum Manutium, Nenium,

 Despau-

Despauterium in fine Grammaticæ suæ &c. De INTERPUNCTIONIBUS videatur idem Manutius, & Erycij Puteani Facula. De ACCENTU, seu PRONUNTIATIONE dictionum Latinarum videri potest Lipsius in dialogo de Pronuntiatione. Sed in his non immorandum nimis; & ratio habenda usitatæ inter doctos pronunciationis in ea, ubi vivis, natione.

II. Utiliter legentur ante cætera Apparatus Eloquentiæ Schönslederi, Phrases Manutij, Particulæ elegantiores Tursellini, Buchleri elegantiæ, Tullianæ Quæstiones Andreæ Schotti, Nies de Ortu & occasu lingvæ Latinæ, Erasmus de Copia verborum, alijq; suprà Institut. 2. §. 1. indicati. Comicorum, Plauti, Terentij &c. lectionem præstat differre, ad majorem judicij maturitatem: & mallem legi à tyronibus excerptas ex ipsis elegantias, sententias, modosq; sermonem familiarem instituendi, jam in lucem utiliter edita.

III. Procedendum erit ad lectionem Epistolarum selectarum: quarum plurima volumina à varijs edita sunt; sed non video, quid decoris aut emolumenti superaddant Ciceronianis, si attentæ legantur, & maturo judicio ponderentur. Incipiendum à Familiaribus, tanquam planioribus, ac transeundum ad scriptas ad Atticum. Si placeat, etiam aliorum delibare: præ cæteris oculum merentur, datæ à Plinio Iuniore, Symmacho, Lipsio, Angelo Politiano, *Eryricio Puteano* Sadoleto, Manutio, Mureto, &c.

è qui-

è quibus poſtremorum trium epiſtolæ accuratiùs ad ingenium ſtylumq; Ciceronis ſunt formatæ. Fructus lectionis Epiſtolarum ſunt, puritas & nitor latinitatis, cum claritate & ſvavitate ſtyli: quæ cùm ſint maxima & gratiſſima orationis ornamenta: perdiligentem ſvadent illarum lectionem.

IV. Ab Epiſtolis faciendus gradus ad Orationes celebriorum Oratorum, præſertim M. TULLII CICERONIS; cujus encomio nulla par Eloquentia eſt. Ingenij ejus amplitudinē æquat Seneca Rhetor ipſi imperio Romano. *Felix*, inquit, *Ciceronis ingenium, quod unum par Imperio ſuo Roma tulit.* Magnus dicendi magiſter, Fabius Quintilianus, in extollendo Cicerone nullum invenit modum, aut terminum. Lib. 10. Inſtit: c. 1. dicit eum, *Dono quodam Providentiæ genitum. in quo totas vires ſuas experiretur Eloquentia.* Quid opus eſt, eum ambitioſis exornare elogijs, quem orbis univerſus, & ſæculorum omnium judicium celebrat ut Principem & Parentem Eloquentiæ Romanæ? Hujus ergo Orationes, in quas omnes Latinæ Græcæq; facundiæ opes & artes congeſtas eſſe, nemo tam impudens eſt, qui negare præſumat, ſi intelligit; tanquam theſaurum opulentiſſimum, non tam adeant, quàm invadant, tyrones,

Curandum autem, quantum fieri poteſt: ut Exemplaria Tullianarum Orationum habeant, quibus præfixa ſunt Argumenta ipſarum, cum artificiali partium diſpoſitione compendio pro-

 poſita,

posita. Si impressa non habentur; operæ pretium erit ea describere, saltem illarum Orationum, quibus legendis se aliquis addixit. Inveniuntur apud Nicolaum Abrahamum, Thomam Fregium, & alios. Deinde inter ipsas Ciceronis Orationes discrimen facere oportet: ut priùs illæ assumantur legendæ, quæ planiores, & intellectu faciliores sunt: ut Oratio pro M. Marcello, pro Lege Manilia, pro Archia Poëta, pro domo sua &c. Sublimiores sunt Philippicæ, Catilinariæ, Verrinæ, pro Milone &c. Quid in illis sit observandum, dicetur infrà.

V. Cicerone, non obiter salutato, seu curiosè lustrato; sed diligenter excusso, exhausto, abligurito; lustrari possunt celebriores aliorū, tum veterum, tum Recentiorum Orationes, Panegyres, Declamationes, Progymnasmata, Allocutiones, Institutiones &c. Veterum Oratorum Latinorum, quos à summa facundia celebrat Cicero ipse, ut M. Catonis senioris, C. Lælij, P. Scipionis Africani, Tiberij, Gracchi, M. Antonij, M. Crassi, Hortensij, &c. Orationes interciderunt, magno reip. literariæ damno, aut fortè eo Numinis consilio: ut posteritas omnis in unum Ciceronem magis esset intenta.

Panegyres, Plinij Iunioris ad Trajanum Imp. Eumenij Rhetoris ad Constantinum, M Latini Pacati ad Theodosium M. Imp. & Stephani Petiot ad Ludovicum XIII Regem Galliæ &c. elegantes sunt, & planè Elysiū nectar Iuvenibꝰ.

Decla-

Declamationes M. Fabij Quintiliani, & Institutiones Oratoriæ alterius M. FabijQuintiliani, nepotis illius, Latinitate sunt insignes, stylo comptæ, judicio graves: ut de utroq;: meritò dici possit, quod de posteriore scripsit Martialis lib. 2. ep. 90.

Quintiliane vagæ Moderator summe Iuventæ,
Gloria Romanæ Quintiliane togæ.

Progymnasmata Aphtonij & Pontani, Prolusiones Academicæ Famiani Stradæ, Allocutiones Vincentij Guinisij, Acroamata & Deliciæ Iacobi Bidermani &c. culta Latinitate, styloq; limpidissimo nitent.

Orationes M. Antonij Mureti, & P. Petri Perpiniani accuratiùs stylo Tulliano sunt conformatæ. Legi merentur etiam Nicolai Vernulæi, Erici Puteani, Ferrarij, Avancini &c comptæ Orationes. Non desunt, qui legantur; modò non desit, qui legat, ut decet.

VI. Legendi sunt insuper Historici quidam, tum propter eruditionem, tum propter formandum stylum ad dilucidè ac decenter instituendas descriptiones & narrationes rerum gestarum. Incipiendum autem ab ijs, quorum stylus planior est, & clarior: uti sunt Julius Cæsar, Justinus, Suetonius, Æmilius Probus, Quintus Curtius, adstrictus idem & profluens, subtilis & clarus, sine cura accuratus & elegans.

Proficientes operam dabunt Romanæ Historiæ Principi, Tito Livio, lactea ubertate ma-

nanti, & amplissima dignissimaq; eruditione opulento; C. Sallustio, cujus stylus adstrictior, at sententijs gravis; Valerio Maximo, qui quidem vanæ affectationis arguitur, multa tamen eruditione & sententiarum nitore claret; Plutarcho, non fucata dictione formoso, sensibus & rebus uberrimo; L. Flori venustissimo Historiæ Romanæ compendio &c.

P.ovectiores arte & judicio, ut vitia secernere possint à virtutibus, familiaritatem contrahant cũ Thucydide, Herodoto, Xenophonte, Jo.epho, rerum Judaicarum scriptore egregio, Corn. Tacito, Vellejo Paterculo, Plinio Majore, Dione Chrysostomo &c.

Ex Recentioribus utiliter tractabitur, inter cæteros, Horatius Tursellinus, eleganti nervosoq; stylo veteris novæq; Historiæ Synopsim breviculam complexus; quã feliciter continuavit Adolphus Brachelius; Historiam Indicam candida, & Romano nomine digna puritate, scripsit Joannes Maffæjus; Historiam Litvanam ex ruderibus Antiquitatis erutam, limatissimo judicio & stylo edidit Albertꝰ Wijuk kojalowicz; Annales Mundi brevi, sed eleganti filo contexuit Philippus Brietius; Flosculos Historiarum, pollice Musarum dignos, Juvenibus offert Joannes de Bussieres; Bellum Belgicum ea felicitate scripsit Famianus Strada: ut unus omnia Veterum, Recentiumq; Historicorum decora complexus videatur. Et quis enumeret omnes legi dignos? Ea autem

est

est utilitas & dulcedo lectionis Historicæ: ut si Argi essemus, oculi omnes, die nocteq; , ei immergendi essent. Cæterùm vide, Florimunde, quid possis, ne quid nimis: & cave, quod dicitur; *Canem, dum properat, cæcos gignere catulos.*

VII. Pòëtarum quoq; lectio utilis est studioso literarum Humaniorum. Nam, ut observat Quintilianus lib. 10. Instit: c. 1. *A pòëtis & in rebus spiritus, & in verbis sublimitas, & in affectibus motus omnis, & in personis decor petitur: præcipueq; velut attrita quotidiano usu forensi ingenia, optimè rerum talium blanditiâ reparantur; ideoq; in hac lectione Cicero requiescendum putat.* Porro diversæ Pòëseos species diversam Oratori conferunt utilitàtem. Dat EPIGRAMMA sales & acrimoniam, facitq; orationem argutam; SATYRA dat libertatem, dentem acriorem, & validam Ironiam; COMOEDIA sermonis facilitatem in narrando, urbanitatem in colloquendo, & insignem Ethopœiæ methodum; TRAGOEDIA grandiloquentiam, motus animi vehementes, majestuosam sententiarum gravitatem; LYRICA sublimem quendam volatum, & spiritum humilia dedignatum ad summa eluctantem, qualem genus Epidicticum, seu demonstrat vum, requirit; ELEGIA facilitatem tenerioresq; affectus; HEROICA deniq; pòësis insignem adjiciet rerum verborumq; majestatem. Cave tamen tibi arroges propriam pòëtarum, audendi fingendiq; licentiam, dum soluto uteris stylo. Oratorem enim major decet

cet modeſtia, & gravitas.

In Heroica pòéſi ſine controverſia principatum obtinet Virgilius Maro; adeoq; prima ipſi deferenda diligentia. Lucanus animoſus eſt, acutus & eruditus; ſed inamœnus, tragicèq; feralis. Statiùs idem dicitur inter pòétas, qui fuit Alexander inter reges: uterq; magnas virtutes vitijs adæquavit. Lucretius ſubinde planus, mox aſper eſt. Claudianus ſuavis nitidus comptus & pene ſolutus eſt.

Epigrammatica Pòéſi præſtat cæteris Martialis, qui ſatis & ſalis, & fellis, & mellis, habet. Mererentur lectorem etiam Catullus, Tibullus & Propertius, ſi caſtiores eſſent. Inter Recentiores, ſuaves, & acuti ſunt Bidermanus, Bahuſius, Ines &c.

In Elegiaca triumphat Ovidius, quem Tomitanum exilium diſertiorem & caſtiorem fecit. Æmulantur Bidermanus, Hermanus Hugo, Biſſelius &c.

In Lyrica diu ſolus regnavit Horatius, donec Sarmatia noſtra Socium illi offerret Mathiam Sarbievium. Non humili quoq; canunt lyra Balde, Kanon, Avancinus &c.

In Tragica theatrum majeſtate & plauſu implevit Seneca. Ex Recentioribus, ſemper placuit Stephonij Criſpus, & Flavia, Cellotij Sapor & Choſroes, Joſephi Simonis Zeno & Mercia, Avancini Conſtantinꝰ & alia Dramata.

In Comica excelluerunt Plautus & Terentius. Chriſtianam Pòéſim modeſtiorem eſſe conve-

convenit, & non dissolvi more gentilis.

VIII. Qui se ita profecisse advertet: ut Magistri præcepta exhausta videantur: ideoq; alios consulere voluerit Præceptores: adeat, si tam maturo est judicio, tamq; capaci ingenio, Aristotelis libros Rhetoricorum, ad Alexandrũ & Theodecten; Ciceronis quoq; libros Rhetoricorum ad Herennium, De Oratore ad Q. Fratrem, Oratorem ad Brutum; M. Fabij Quintiliani Institutionum Oratoriarum doctissimos Libros 16. Ex Recentioribus Nicolai Caussini Eloquentiam Sacram & Profanam, ubi omnia & summa inveniet; Palatium etiam Reginæ Eloquentiæ instructissimum invisere juvabit; uti & Oratorem Extemporaneum Michaelis Radau, Suadam Civilem Joannis Kwiatkiewicz &c &c.

Hos ex plurimis attentam lectionem meritis indicasse, sufficiat: quanquam & hi multi sunt tyronibus; qui quidem innata curiositate rapiuntur ad degustandos potiùs, quàm legendos multos; sed audiant oportet monentem, Plinium lib. 7. ep. 9. *Multùm legendum esse, non multa.* Et Senecam ep. 45. *Librorum istbic inopiam esse quæreris. Non refert, quàm multos, sed quàm bonos habeas.*

§. 3.

Quomodo legendi sunt Libri?

TRivialis non est Ars legendi libros: quã si callerent, observarentq; religiosiùs Tyro-

Tyrones, magno temporis & operæ compendio, insignem eruditionis thesaurum sibi compararent. Proinde

1. *Inchoanda lectio ab invocatione DEi*, non solùm suadente Apostolo Coloss. 3. *Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini IEsu Christi*: sed etiam præeunte Xenophonte gentili: *Illud*, inquit, *minimè ignoratis; me non solùm in magnis rebus, sed etiam in parvis, semper à Dijs immortalibus initium facere.*

2. *Honesta sit lectio*, tam ex objecto, quàm fine. Ne scilicet vel prava legantur: quæ inquinent, aut à veritate avertant animum: vel bona legantur animo pravo. *Quid est tam inhumanum; quàm eloquentiam ad salutem hominum & ad conservationem datam, ad bonorum pestem perniciemq; convertere?* ait Cicero l. 2. de offic. Et Isidorus lib. 4. cp. 10. *Dicendi facultate non oportet abuti ad improbitatem ornandam, sed ad virtutem decorandam.* Horribile exemplum dedit sæculum recenter elapsum in Juvene, qui cùm innocentissimis esset moribus, tandem incidisset in librum obscænum, eam mox passus est metamorphosim, in omnem effusus libidinem & vivendi licentiam; ut nequior vix inveniretur. Demum in eam prorupit insaniam ut in sylvam progressus, inter horrendas blasphemias, DEum, si quis esset, provocaret ad duellum. *Lohner in biblioth. tom.* 1. *tit*: 40.

3. *Non instituatur lectio cursim*: sed sit Attenta, immorando ijs, quæ observatione digna occur-

occurrunt, & lecta repetendo ſubinde. *Vt cibos manſos, & prope liquefactos demittimus* (in ſtomachum) *quò facilius digerantur: ita lectio non cruda, ſed multa iteratione mollita, & velut confecta, memoria imitationiq; tradatur*; inquit Quintilianus lib. 10. c. 1. & addit: *Non per partes modò ſcrutanda omnia; ſed perlectus liber utiq; ex integro reſumendus*. Videmus pueros, qui cibos non maſticant, ſed more canino bolos fere integros glutiunt, non nutriri ad ſanitatem, & ſolidum corporis robur. Caſtiganda curioſitas, frenanda aviditas.

4. *Non ſit vaga*, ſeu per multos diverſoſq; ſparſa libros. Præclare Seneca ep. 2. ad Lucil. *Illud vide, ne iſta lectio multorũ authorum & omnis generis voluminum, habeat aliquid vacuum & inſatiabile. Certis ingenijs immorari, & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere; quod animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt, qui ubiq; eſt. In peregrinatione vitam agentibus illud evenit: ut multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat, neceſſe eſt ijs, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant, ſed omnia curſim & properanter tranſmittunt.* Et infrà. *Sed modò, inquis, hunc librum evolvere volo, modo illum. Faſtidientis ſtomachi eſt, multum deguſtare: quæ ubi varia ſunt, & diverſa, inquinant, non alunt. Probatos itaq; ſemper lege: & ſi quando ad alios divertere libuerit, ad priores redi.* Sententia quorundam fuit: etiam uno libro lectorem poſſe fieri doctum: quod quidem non ita intelligendum; quaſi quis unici libri lectione ſuf-

ficien-

ficientem. Oratori eruditionem comparare possit; sed quod in certo genere notabiliter proficere possit: deinde quod non sint plures diversiq; simul legendi tyronibus, ita; ut hoc illóve degustato transiliant ad alios: sed unus totus perlegendus diligenter, deinde alter assumendus. Qui capaciore sunt ingenio, possent quidem eodem die legere statis temporibus, jam Oratorem, jam Historicum, & subinde Poëtam: at jam hunc, jam illum Oratorem; jam hunc jam illum curiosè lustrare historicum aut Poëtam: utile non est. Postquã maturo consilio delectus est, qui legatur: ad calcem exhauriatur totus, iterumq; ejus lectio, vel saltem rerum præcipuarum, repetatur. Tales proficiunt librorum heluones.

5. SIT ORDINATA. 1. Ut lectio non inchoetur à libri medio, vel fine, vel temere spargatur per librum, jam his jam illis omissis: sed à capite decurrat constanter ad calcem: quin ipsæ Dedicationes, ac potissimùm Præfationes ad lectorem, atq; summaria Capitum seu Titulorum diligenter sunt lustranda. Præbent enim compendiosam libri notitiam, acuuntq; aviditatem legendi. 2. A facilioribus incipiendum: id est, ab ijs Authoribus, quorum stylus non tumet verborum fastu, & ænigmatibus sensuum; sed planior est, nitidus tamen & probè Latinus.

6. SIT ACCURATA. Ut inprimis inspiciatur Argumentum libri seu materia; deinde observetur

tur structura ipsius, seu partium dispositio; deinde perpendatur, quæ vis sit in verbis & rationibus? quæ sententiarum, troporum, figurarum, eruditionum sit frequentia & connexio? quis in membris periodisq; sit numerus? num æquali ductu feratur oratio, vel interdum subsiliat leviter, aut præcipitetur abrupta? In quos, & quàm decenter, fortiterq; consurgat affectus? Quis sit stylus, quod genus Orationis, & similia. Verbo; tota orationis seu libri, œconomia solicité est scrutanda, & cum præceptis Rhetoricis conferenda.

7. Quæ notatu digna occurrunt, excerpantur, & in adversaria, seu librum, vel libellos ad id destinatos, referantur: ut in promptu sint, promiq; facile possint, ubi opus fuerit. Labili enim memoriâ plerumq; sumus homines, & copia rerum lectarum sæpe nos inopes facit: dum veteres novis obruuntur, & quasi è promptuario Memoriæ expunguntur. Unde Seneca Belgicus, Lipsius, Cent. 3. ep. 25. *Qui è varia illa lectione nihil collegerit, seposuerit, dispo-suerit: nugas aget.* Debet autem Annotatio institui, non promiscuè omnia referendo in librum; sed cum certa & ordinata distinctione, quam varij variè faciunt. Multi librum unum dividunt in partes 20 & ampliùs, singulis assignando unam alphabeti literã; sub quam referunt Titulos varios ab eadem litera incipientes. v. g. Sub A. titulos, Adolescentia, Adulatio, Arma &c. Sub B. Beatitu-

do,

do, Bellum Beneficium, &c. Sub C. Caſtitas, Calamitas, Conſcientia &c. Alij faciunt libros 4. vel unum dividunt in partes 4. In quarum 1. ponunt Modos loquendi rariores, elegantiores, magis emphaticos, Figuras inſigniores, & ſimilia. In 2. Locos communes laudandi, vituperandi, ſuadendi &c. Similitudines & affectus graviores &c. In 3. Sententias inſigniores Apophtegmata, Adagia, Sales & Jocos &c. In 4. Exempla inſignia, Ritus & Mores gentium, Emblemata &c. Plures modi Annotandi videri poſſunt in Aurifodina Drexelij. Poſterior ex duobus allatis videtur commodior, dummodo accurato & copioſo Indice, ſecundùm ordinem Alphabeti inſtruatur.

9. *Conſtans ſit Lectio.* 1. Ut librum, quem probum utilemq; delegiſti, à capite ad calcem legas: imò repetas ſubinde, ut ſup. ſuaſum. 2. Ut lectio ſit quotidiana, adeoq; in dies ditior fias. Si negotia diurna non permittunt, particula aliqua ſomno decerpatur. Celebrat Vopiſcus Tacitum Imperatorem, quòd etiam in provecta ætate nullam noctem intermiſerit, qua non aliquid vel legeret, vel ſcriberet, præter poſtremum Calendarum diem. De M. Aurelio Imp. tradit Guevara lib. 2. c. 18. eum quidquid diurni vel nocturni relinquebatur temporis, Librorum lectioni, ſcriptioni, compoſitioni, & antiquitatum inveſtigationi tribuiſſe; noctu ſemper librum cervicali ſubjectum habuiſſe, ut evigilanti in promptu eſſet.

Demo

Demosthenes Oratorum Græciæ summus, rogato, quo pacto sibi Oratoriam facultatem tam excellentem comparasset? respondit: *Plus olei* (libris, nimirum legendis ad lumen lampadis) *quàm vini, sibi consumptum esse.* Stobæus serm. 29. De Octavio Augusto Imp. tradit Suetonius lib. 2. c. 84. *Eloquentiam, studiaq; liberalia ab ætate prima & cupidè & laboriosissimè exercuit. Mutinensi bello, in tanta mole rerum, & legisse, & scripsisse, & declarasse quotidie, traditur.*

De M. Catone Testatur Cicero l. 3. de fin: c. 2. Erat in M. Catone inexhausta aviditas legendi, nec satiari poterat: quippe, qui nec inanem vulgi reprehensionem formidans, in ipsa curia soleret legere, dum senatus cogeretur; quasi heluo librorum, si hoc verbo in tam clara re utendum est, videbatur. De se ipso Seneca ep. 8. Nullus mihi dies per otium exit: partem noctium studijs vindico, non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigilia fatigatos cadentesq;, in opere detineo.

Quodsi viri ætate graves, omnigena eruditione opulenti, dignitate eminentissimi, simulq; curis publicis oneratissimi, tanto ardebant legendi studio: qua contentione in idem ferri decet Juvenes, quos ut corpore nudos, ita eruditione inanes genuit natura? Gustent solùm, quàm liquidâ & dulci labor hic affluat voluptate: & freno potiùs, quàm stimulo illis opus erit.

10. Memineris deniq;: non incumbendum

esse

esse profanorum librorum lectioni; quin quotidie temporis aliquid impendatur libro Spirituali; qui; non curiosè pascat intellectum, sed piè inflammet affectum ad DEI & Virtutum cultum, fugamq; vitiorum. Nam, ut notissimus, & vel ipsis Mahometanis venerabilis, Asceta, Thomas kempensis sapienter monet lib. 1. de Imit. Christi. c. 3. ADVENIENTE DIE JUDICII, NON QUÆRETUR, QUAM BENE DIXIMUS; SED QUAM RELIGIOSE VIXIMUS.

§ 4.

Declarantur Abbreviationes & Notæ quædam occurrentes in Libris Veterum.

UT inoffenso pede Veterum scripta decurras, Florimunde: necesse est; ut cognita tibi sit significatio Abbreviationum & Notarum quarundam quibus usi sunt Veteres Romani. Aliàs enim inter legendum hæsitabis, cespitabis, vel transilies, non assecuto sensum scriptoris, & rei veritatem. V. G. Non rarò ponitur una Litera majuscula, A, C, F, M. &c. pro toto nomine sive proprio, sive Appellativo; nec semper eandem habet significationem.

Deinde frequens est mentio, præsertim apud Historicos, & in Epistolis, monetæ veteris, cujus & Valor, & numerorum character, quo exprimebatur, vulgo ignotus est. Hæc obstacula ut removeam, & expeditiorem tibi reddam Veterum lectionem: propono tibi hìc hujusmodi Abbreviationum & Notarum Interpreta-

pretationem ex erudito Scriptore, JANO GRUTERO, sequente §. acturus de Numeris, Monetis, & Ponderibus.

A. significat prænomen Aulꝰ, vel nomē Aedilis.
A. vel An. Annus, Anno, Annos.
A. A. A. F. F Auro, argento, ære, flando, feriundo
A. A. S. E. V. Alter, ambove, si eis videbitur.
A. F. Auli filius. Æ, Ara facta.
A. L. Auli libertus, Æ Animo libens.
A. L. F. Animo libens fecit. A. N. Auli nepos.
A. M. XX. Ad milliare vicesimum.
A. M. Sacris. A municipalibus sacris.
A. O. F. C. Amico Optimo faciundum curavit.
A. P. Ædilitiâ Potestate.
A. P. M. Annorum plus minus.
A. P. R. C. Anno post Romam conditam.
A. P. U. C. Anno post urbem conditam,
A. R. A recta, Vel, A ripa.
A. R. A. mil. Fru. A rationibꝰ militaris frumenti.
A. S. S. A sacris scrinijs.
A. T. U. Amici titulo usi.
Ab AUG. M. P. Ab Augusta millia passuum.
Ab. U. C. Ab Urbe condita.
ABD. Abdicavit. ABN. Abnepos.
ADN. Adnepos. ADIAB Adiabenicus.
AD AUGUST. TEMP. C.D. Ad Augustale temperamentum comprobatus Dodrans.
Ad AUGUST. TEMP. C. P. Ad Augustale temperamentum comprobatum pondus.
ADQ. Adquiescit. ADTR. Adtribuꝰ judicio.
AED. & AID. Ædilis. AED. CUR. Ædilis Curulis

AED. DESIG. Ædilis designatus.
AED. POTEST. Ædilitia potestate.
AED. PL. Ædilis plebis. AEL. Ælius.
AEM. & AIM Æmilia, & Aimilia AER. Aereũ.
AGRIPP. Agrippa. ALL. Allectus.
A. L. U. S. Animo libens votum solvit.
ALAE. I. PR. C. R. Alæ Primæ Prætoriæ Civium Roman. AM. P. Amator Patriæ,
AN. vel ANI. Aniensi Tribu.
AN. V. P. M. II. Annos vixit plus minus II.
AP. Appi9. Prænomen Claudiorum APP. E. Appellatus est.
AQ. PRAET. URBis. Aquilifer Prætorij Urbis.
AQU. AD. M. Aquarum ad Miniciam.
ARG. P. X. Argenti pondo decem,
ARK. RET. P. Arkæ retropositæ.
AR. U. U. D. D. Aram votam volens dedicavit.
ARN. Arniensi Tribu. AUG. L. Augusti Libert9.
AUGG. Augusti duo. AUGGG. Augusti tres.
AUG. N. U. Augusti Nostri verna.
AUG. P. Augusti puer.
AU G. ET Q. AUG. Augustalis, & Quæstor Augustalium.
AUGUST. ET. POP. Augustales & Populus.
AUR. Aurelius AUSP. Auspicante sacrum.
B. aliquando ponitur pro V. ut B. Berna, pro Verna.
B. Bivus, pro Vivus. B. Bixit, pro Vixit.
B. Beneficiario. B. B. Bene, bene, id est, Optime.
B. B. Bonis bonis. B̄. Cos. Beneficiarius Consulis.
B. D. S. M. Bene de se merenti.

B. F.

B. F. A. Bobus furuis aratro junctis. Itẽ Bove fœmina alba.
B. F. Cos. Beneficiarius Consulis.
B. F. Præt. Beneficiarius Prætoris.
B. G. Pos. Biga gratis posita.
B. M. Beatæ memoriæ. Et, Bene merenti. Et, Bovem marem.
B. M. F. Bene merenti fecit.
B. M. F. C. Bene merenti faciendum curavit.
B. N. M. Bene meritæ.
B. N. M F. Bene meriti fecit.
B. P. D. Bono publico dedit.
B. PR. Beneficarius Prætoris, vel Præfecti.
B. PR. PR. Beneficarius Præfecti Prætorio.
B. R. P. Bono Reipubl.
B. TRIB. Beneficarius Tribuni.
BEN. Beneficiarius. BRIT. Britannicus.
BRIX. Brixia, vel Brixiani.
C. Cajus, Civis. Cohors, Conjux. Consulibus.
C. AA. M. Coloniæ Æliæ Augustæ Mercurialis
C. B. Civis bonus, C. B. Colonia, Bononia,
C. C. Curator civium, C. C. Curiæ consulto,
C. C. C. calumniæ cavendæ causa:
C. C. C. AUG. LUGD. Colonia Copia Claudia August: Lugduni,
C. C. COL LUGD. Claudia Copia Colonia Lugdunensis,
C. C. D. Curatum consulto Decurione,
C. C. M. M. Collegium Centonariorum Municipii Mevaniolæ:
C. C. M. R. Collegii. Centonarior : Municipii

Ravennat:
C. C. M. S. Collegium Centonariorum Municipii Saſſinatium,
C. C. S. curatum communi ſumptu, vel, curârunt Cives Saſſinates,
C. C. V. V. Calator. Curiatus Virginũ Veſtalium.
C. F. Clariſſima fœmina.
C. F. C. N. Caji filius, Caji nepos.
C. I. O. N. B. M. F. Civium illius omnium nomine benemerenti fecit,
C. I. P. A. Colonia Julia paterna Arelate.
C. I. P. C. N. M. Colonia Julia paterna; Claudia Narbonenſis Martia.
C. I. P. N. M. Colonia Julia paterna Narbonenſis Martia.
C. K. L. C. S. L. F. C. Conjugi kâriſſimæ, loco conceſſo ſibi libenter fieri curavit.
C. L. Caji Libertus,
C M F. curavit monumentum fieri,
C N. Caji nepos. C. P. cum præteritò.
C R. Civium Romanor; Civis Romanus, Civi Romano.
C R. curârunt refici, C S. cum ſuis.
C SVM. com̃uni ſumptu. vel Choragii ſummi,
C S F. communi ſumptu fecit, factum.
C S H. communi ſumptu hæredum, vel conceſſu ſuorum hæredum.
C S H S S S V T L. communi ſepulchro hic ſiti ſunt. ſit vobis terra levis.
C V. clariſſi nus Vir. C V. Colonia Viennenſis,
C V P V DD, communi voluntate publicè votum dedi-

dedicavit.
CVT. curavit usus titulo, CAES: Cæsar.
CAESS: duo Cæsares. CAESSS: tres Cæsares.
CAM. Camillia, seu Camillina.
CAP: Capitalis, CES: Censores.
CEN: Centurio. CENS: Censores. CI. circiter.
CL. Claudius, Claudia. CL. Claudia Colonia.
CL. CEL. Claudia Celeia Colonia.
CL. VIR, clarissimus Vir. CLA. Claudiâ Tribu.
CLASS: PR: MIS: Classis Prætoria Misenensis.
CN: Cneus. CN: F. filius.
CN: N. Cneji nepos. CN: LO: Cneo Lollio.
CLU: Clustumina Tribu. CO: Conjux.
COL. Collinâ Tribu. COL: Collega,
COL; JUL. Colonia Julia.
COL: NAR. Colonia Narniensis,
COL. FABR. Collegium Fabrûm.
COM. Comparatum.
COM: DOM. Comes domesticorum.
COM: HAB: C. Comitiorum habendorũ causâ.
CON: PS. Consularis Provinciæ Siciliæ.
CON: SOL: D. condendo solum dedit.
CON: V PRO. Conjugi Viro probo.
CONJ. Conjugi
CONT. ∞ CR. Contariorum milliaria civium Romanorum.
COR. Cornelia, Trib9. COR. TR. Corniculari9
CORR. FLAM. Corrector Flamminiæ.
COR. MI. ET AL. SEN. US. Corrector Miniciæ & alimentor: Seniorum Urbis sacræ,
CON. Consul, COS. DES. Consul designatus.

COSS. & CONSS. Consules.
COS. & CONS. Consularis.
CUI PR. Q. ER. cui præest Q. Erucius.
CUNC, Conjunx.
CUR. COL. Curator coloniæ.
CUR. KAL. Curator Kalendarii.
CUR· PP. Curator pecuniæ publicæ.
CUR. RP. Curator Reip.
CUR. RP. PIS. ET FAN. Curator Reipub: Pisaurienſium, & Faneſtrium,
CUR: RESI: Curator reſiduorum,
CUR: VIAR: Curator viarum.
D. Decimus prænomen, D. Decuria,
D. Domo, D. Decurio,
D. vel D, domo, ablativus de loco,
D. BAL. Decurio Balliſtariorum
D. B M pro D S B M de ſe bene merenti.
D D dono dedit, aut donum dedit, dederunt, dedicavit, dedicârunt, dedit, donavit,
DD. Dea Dia, D D. Decreto Decurionum.
D D D. datus decreto Decurion:
D D I I M, dedicavit juſtus, jure merito,
D D L M. donum dedit libens merito,
D D O. Diis Deabus omnibus,
D E M O N: Dei ejuſd: monitu,
D F. Decimi filius,
D F D I P. Decurionum fide dividenda in publico,
D I M S. DEo invicto Mithiæ ſacrum,
D L. Decim: libertus,
D L D. dedit liberis, L inter D D (quæ dedit ſigniſi-

gnificant) interjecto,
D M. divino monitu, D M. dolo malo,
D M. Diis manib: D M A. dolus malus abeſt,
D M S. Diis manib: ſacrum,
D MV. Diis manib: votum, D N. Decimi nepos
D N & D N. Dominus noſter, Domino noſtro,
D N M O E. devotus Numini majeſtatique ejus.
D O M. Deæ optimæ maximæ,
D O P. domo oſtiæ portu,
D P. Diis publicis, D P. domum poſuit,
D P P DD. de propria pecunia dedicârunt.
D S B M. de ſe bene merito. D S D. de ſuo dedit.
D S D D. de ſuo donum dedit.
D S I F de ſua impenſa fecit.
D S I P C. de ſua impenſa ponendum curavit.
D S I S L M. de ſua impenſa ſolvit libens merito.
D S P. de ſuo poſuit, de ſua pecunia.
D S P F C, de ſua pecunia faciendum curavit
D S P P. de ſua pecunia poſuit.
D S P V I S L M. de ſua pecunia votum jure ſolvit libens merito.
D S S. de ſuo ſumptu. D V. devota Virgo.
DCRM. Decurionum.
DD NN. Domini noſtri. DE. defunctus.
DE VIC. S. de Vicanornm ſententia.
DEC. Decurio.
DEC. C C COL. AUG. LUG. Decurio Collegij Centonarior. Coloniæ Aug Lugdunenſ.
DEC. II. Q. I. Decurio bis, Quæſtor ſemel.
DEC. ORN. Decurioni ornato, aut Decurionalibus ornamentis, Decurionatus ornamentis.

DED. dedicavit. DEF. Defricator.
DEO NEM. Deo Nemauſo
DES, & DESIG. deſignatus.
DICT. Dictator. DIS. diſciplinatus eſt.
DIV. prænomen fœmininum.
DN. Dominus. D P. depoſitus, depoſita.
DUC. DUÇ. Duce ducenario.
E. ergo.
E. exacto. E. erexit.
E. CUR. exigi curavit. E F. egregia fœmina.
E M V. egregiæ memoriæ Viro.
E P. è precio. E S. è ſuo.
E R E V. è Republica eſſe videbitur.
E T. ex Teſtamento.
E T F I S, ex teſtamento fieri juſſit ſibi.
E G. erga. E M. emeritus.
E Q. AUG. N. Eques Auguſti noſtri.
EQ. P. Equo vel Equiti publico.
EQ. PUB. Equus publicus.
EQ. R. EQ. ROM: Eques Romanus.
ER: LEG: Erogatori Legionis.
ESQ. Eſquilina tribu.
EX A D C A. ex auctoritate Divi Cæſaris Auguſti
EX AUC: Q. IUN: RUS, PR UR: ex auctoritate Q. Juni Ruſtici Prætoris urbani.
EX B S. ex bonis ſuis.
EX CC. ex conſenſu civitatis.
EXDD. ex decreto Decurionum.
EX DEC: DEC. MUN: MAL: ex decreto Decurionum Municipii Malacenſis.
EX D. ORD: ex decreto Ordinis.

EX

EX FIG: ex figlina, ſive figulina.
EX PR: ex præcepto, vel ex prædio.
EX S C. ex Senatus conſulto.
EX S C TERMIN: ex Senatus conſulto terminaverunt.
EX TT. SS. HH. ex teſtamentis ſupra ſcriptorum hæred:
EX V. ex voto, ex viſu. EXVP. ex voto poſuit.
EX. VIS. ex ſex millibus.
EX HSN. CCL D XL. ex ſeſtertior: nummor: ducentis quinquaginta millib: quingentis quadraginta.
EX H S DCDXX. ex ſexcentis millibus, quingentis viginti ſeſtertiis.
EXEMPL: DECR: Q F. exmplum decreti quondam facti, vel quod factum.
EXERCITA: N. Exercitatori Numeri, id eſt Legionis. EXQ. Exquilina Tribu.
F. flamen.
F. filius, filia, F. fecit. F. Flavius.
F. Flavia. F. Fundus.
F C. faciundum curavit, vel fieri curavit.
F C. felix conſtans. F D M. fecit Diis manib:
F F P P F F, fortiſſimi, piiſſimi, feliciſſimi, vel feliciſſimi, fortiſſimi, piiſſimi Principis filio, vel patris patriæ, florentiſſimi florentiſſimo filio.
F F C L. filiorum duorum Caiæ Libertæ.
F H F. fieri hœredes fecerunt.
F I. fieri juſſit, aut fieri inſtituit.
F I AP. felicitas Julia Auguſta.
F I D P S. fieri juſſit de pecunia ſua.

F LL P S. fecit libentissimè pecunia sua.
F P. formæ publicæ. F V S. fecit voto suscepto
FAB: Fabia Tribu. FABR: Fabrum.
FAL: Falerina Tribu.
FEC : fecit, fecerunt. FEC: fecialis.
FER: LAT: C. Feriar: Latinar: causa, *In fastis.*
FIG: Figlina vel figulina.
FIN: POMER: TERMIN: fines Pomerii terminârunt. FL: Flavius, Flavia.
FL: DIVI, Flamen Divi.
FL: DIVI T. Flamen Divi Titi.
FLAM: DIAL: Flamen dialis.
FLAM: MART. Flamen Martialis:
FLAM: PHC.PHC. Flamini Provinciæ Hispaniæ citerioris. Provincia Hispania citerior.
FOR: COR: foro Corneli. FR: Frumentarius.
FR: D. Frumenti dandi. FUL: Fulvius.
G F. Geminæ, fidelis.
G M V. Gemina Minervia Victrix.
G P F. Geminæ, piæ, fidelis.
GAL: Galeria. GEM: Gemina,
GER: & GERM: Germanicus.
GER: P. Germania Provincia. GS. Gajus.
H. Hæres. H. Habet. H. Honorem.
H A F C hanc aram faciendam curavit.
H A Q. hic acquiescit.
H A C. hæredes amico curârunt.
H A C F C. hæredes ære communi faciundum curavêre.
H A H N S. hæc ara hæredes non sequitur.
H A I R. honore accepto impensam, vel impendium

dium remisit. HB. homo bonus.
HBMFC. hæres benemerenti faciendum curavit
HC. Hæres curavit.
INHCD. In honorem Collegii dedit.
HCDD. huic Collegio dedicârunt.
HETFC. hæredes ex testamento fieri curârunt
H & LIB: hæredes & liberti.
HFSCA. Hæredes fecerunt sumptu communi Aram. HH PP. Hispaniarum Provinciarum.
HII. Hæres jussu illorum.
HLR. hanc legem rogatam. HM. huic monumento. HMDMA. huic monumento dolus malus abest. *sæpissimè.*
HMDMAE. huic monumento dolus malus absens esto. HME. homini memoriæ egregiæ.
HM Ext: NR, hoc monumentum exteros non recipit.
HMGNS, hoc monumentum Gentiles non sequitur.
HLSHNS, hunc locum scripti hæredes non sequuntur.
HMHNS. hoc monumentum hæredes non sequitur.
HMHENS. hoc monumentum hæredes exteros non sequitur.
HMHS. hoc monumentum hæredes sequitur.
HMMHMNSF. humanitatis mala metuens, hoc monumentum nomine suo fecit.
HMP. hoc monumentum posuit.
HMSSEHNS. hoc monumentum sive sepulchrum exteros hæredes non sequetur.

HRIR. honore recepto impenſam remiſit.
HSE, hîc ſitus, ſita eſt.
HSESTTL. hîc ſitus eſt, ſit tibi terra levis.
HSF. hoc ſolus fecit.
HSFHTF. hîc ſitus fuit (vel hoc ſibi fecit) hæredes titulum fecerunt.
HSFLSPDDD, hoc ſibi fecit, locus ſepulturæ permiſſus decreto Decurionum.
HSS. hic ſiti ſunt.
HSHNS. hoc ſepulchrum hæredes non ſequitur. HSPDV. neſcitur.
HSTNE. *fortè* huic ſepulchro titulꝰ non eſt.
HTVP. hunc titulum vivus poſuit, vel: hæredes titulo uſi poſuêre.
HV. Hiſpaniæ utriuſque, *fortè* ulterioris.
HVD. neſcitur. HV. honore uſi.
HVH. hic vivit hîc.
HUSR. honore uſus ſumtum remiſit.
Hæred: ex TFC. hæredes ex teſtamento fieri curârunt. HERM: neſcitur. HOD. *fortè* hodiè
HON: honore uſus. HOR. Horatia Tribu.
I. ſemel. I. Imperatori.
I. prima, prænomen, maximæ Sororum.
IC. Iudex cognitionum.
IAPQV. Incomparabili, amantiſſimæ, præſtantique virtute.
ID. juſſu Dei. ID. Iuri dicundo.
IDNC. Iudex delegatus nomine civium
IF. Iuſſu fecit.
IF. CHS, puto. Iuſſu fieri curavit hæredũ ſuor:
IGA LAE. non liquet. II, vota, iterum vota
II

IIM. iratus miles. II. Secundus, Agnomen.
II VIR. duûm vir. I-I VIR. idem.
II. V DD. duûm viris dedicantibus.
II VIR. I D. Duûm vir jure dicundo.
III. tertio filio. III. Triumvir.
III. VIR. AAA. FF. Triumvir auro, argento, ære flando feriendo.
III. VIR. R P C. Triumvir Reipub. constituendæ. IIII. Agnomen fœminæ.
IIII. Vir. Quatuorvir:
IIII. VIR ID. Quatuorvir jure dicundo.
IIIIII. VIR. SEVIR. seu Sexvir.
IIIIII. VIR: AUG. Sexvir Augustalis.
II A V P. nescitur. I L F. illius liberta fecit,
I L H. Ius liberorum habens I LIM nescitur.
I O M. Iovi Optimo Maximo.
I O M D. Iovi optimo max: dedicatum.
IOMHAVC. Iovi optimo maximo honor Aug:
I O M D I, Iovis opt: max: divino jussu.
IPNMPXV. Iulia paterna Narbon: Martia pede XV. I Q P. Idèmque probavit.
I R. Iunoni Reginæ. I S C Judex sacrar: cognit
I S S. Infrà scripta sunt.
I S V P. mpensâ suâ vivus posuit. IVT. Tarracon
I V E E R P F S V C, ita uti ejus è Repub: fidevè sua videbitur, censuêre. I D: Iduarii.
I D: QVOTFDHSC. idem quotannis det fisco sestertios centum. IMS. Impensâ suâ.
IMM. II. HON: IIII. immunis iterum, honoratus quartum.
IMM: A IIII. immunis annos quatuor,

IMP: Imperator,
IMP:COM: AUG: impensâ comuni *Augustaliū.*
IMP: IM: Imperiò ipsarum.
IMP: N. Imperator noster.
IMPP: Imperatores duo. IMPPP. tres.
IN AG: P. X. in agro pedes decem.
IN AGR: in agro.
IN E L F E, in ejus locum factus est. *In fastis.*
IN FR: P. IIX. in fronte pedes octo.
IN H DD. in honorem Deorum; *aut* in honorem domûs divinæ. *sæpissimè.*
IN HH. in hoc honore. *In fastis.*
IN H L S E, in hac lege scriptum est.
IN HM. in hoc Magistratu. *In fastis.*
IN HTSVNTCOM: OR: HS, in hoc titulo sunt comprehensa ornamenta (*sæpe*) hujꝰ sepulcri.
IN MM. in Magistratu mortuus est. *In fastis.*
IN M O E, in magistratu occisus est. *In fastis.*
IN PR: OE. in prælio occisus est.
IN SING: H, in singulos homines.
IN TUT: in tutelam.
IN LVIS. in lustris Vir infrà scriptus.
INC. incolæ. IND. Indictione.
INF. AER: PP R. Inferat ærario populi Romani
INH, in honorem. INL. In lustris.
IT. Iterum. IUL. Iulius.
IUL. PAREL. Iulia paterna Arelate.
IVM nescitur. IUR. DIC. Iure dicundo.
K. Kaia, Caja.
K. Kaeson prænomen Fabior: K. Kasa Casa,
K. Candidatus. K. Kalendæ,

K F Kæſonis filius. K N Kæſonis nepos.
KAL. Kalendæ KARC carceris.
L. ſeſtertius nummus ut H-I-S. L. Lyciæ,
L. Legio. L. longum. L. luſtrum.
L. Lucius. L *A*. libens animo.
L C F E L. PAP. Lucius Cajus felices, Papiria.
L C. locus conceſſus, loco conceſſo.
L D Larum divinorum, id eſt domus divinæ ſeu Auguſtæ.
L D D C. locus datus decreto Collegii.
L D D D. locus dat9 Decreto Decurionum (*ſæpiſſimè*) L D D D C I. L D P. loc9 dat9 publicè.
L D S. libens de ſuo.
L D S C locus datus Senatus conſulto, aut decreto Collegii,
L E L M: C S, libens & libens meritò cum ſuis.
L F. Lucii filius.
L F. L N. Lucii filius, Lucii nepos.
L H L D. locus hic liber datus.
L IIIV P S. locus triumvirûm decreto publicè ſumtus. L L. Lucius libertus.
L L. Laurentum Lavinatum.
L L L I E. Luci9 duorũ Luciorũ libert9 juſſu ej9.
L L L P O M S, liberis, libertis, libertabus poſteris omnibus monumento ſcriptorum.
L L M. lubentiſſimè merito. *ſæpe*.
L L P E libertis libertabus poſteris eorũ, *ſæpiſſimè*
L L O C. P S O. neſcitur ſignificatio.
L M. libens merito, *paſſim*.
L M D. libens merito dedi, *vel* locùm monumento dedit.

LN.

LN. Lucii nepos.
LN. librarius notarius. L P, libens posuit.
LPCDD. loc9 publicè concessus decreto Decurionum.
LPDDD. locus publicè datus decreto Decurionum, *vel.* locus plebi datus.
L V. LAT. PIII. longum pedes quinque, latum pedes tres.
L QL QL QQ non scimus.
L R. non liquet L S, libens solvit.
L S A. Lucius Sextius Aurelius, aut tale nomen
LSMC. locum sibi monumento cepit.
LVS. locum viva sibi.
LXXNP. sestertia viginti millia nummûm pendit, LEG Legatus.
LEG. legio, legionis LEG. legavit.
LEG AUG Legatus Augusti
LEG AUG PR PR Legat9 Augusti pro Prætore
LEG GR V. Legatus gratuito quinquies.
LEG. II. TR. FOR. Legio secunda Trajana fortis. LEG. PROV. Legato Provinciæ.
LEG. SS. Legionis suprà scriptæ
LEG. V M. C. Legione quintâ Macedonicâ piâ constante.
LEG. VII. CL. GEM. P. FIDEL. Legione septimâ Claudiâ geminâ piâ fideli.
LEM. Lemoniâ tribu L I Lucii.
LIB. LIB. Q. POST. Q. E. Libertis Libertabusq; posterisq; eorum
LOC. DEXDD. loc9 datus ex decreto Decurionum. LXRS. nescitur.

RR. pro LL, *libentissimè*. T pro L.
M. Marcus, Magister, Mater, Monumentum, &c.
M AA. Municipium Albæ Augustæ.
M A G S. Memor ani o grato solvit.
M B. Municipij Bergomatum.
MCOH. Miles cohortis. MD. Militum Dacorũ.
MCD. Memoriæ causâ datum.
M D M I. Magnæ deûm Matri Ideæ.
M E. Memoriam, seu Monumentum, erexit.
MF. Marci filius. Vel Municipalibus functus.
MN. Marci nepos. M G L Q. Non liquet.
MIF. Militiæ jus filijs petit.
MIV. Marcus Iulius Valerius.
ML. Marci libertus. Vel, Miles legionis.
M M. Meritissimo. MM. Muncipiũ Mediolanense
M N. Millia nummûm M P. II. Millia passuũ duo.
MPV. Millia passuum 5. MP XI Millia passuũ undecim. M R. Municipium Ravennatium.
MS' Mysa superior. MAG. Magister.
MSBM. Magistro suo bene merenti.
MSDD. Municipes sub decreto decurionum.
MVM. Marcus Valerius maximus.
MAG. EQV. Magister Equitum.
MAG. & DEC. Magistris & Decurionibus.
MAG. QuinQ. COLL. FABR. TIG. Magister Quinquennalitius Collegij Fabrorũ Tignariorũ.
N. Natus. Nepos. Natione. Numero. Numerius.
N. AGR. AM. Numeratur agri ambitus.
N. B. Numeravit bivus. id est, vivus.
ND. Nonliquet. NI. Nomine ipsius.
NIOT. Nummi Iovis Olympij Tonantis.

NLF

NLF. Numerij Lucij filiæ.
NMNS, Novum monumentum nomine suo.
NMQED. Numini majestatiq ejus, sive eorum, devotissimus. N. Mon. Novum monumentum.
NN. Numeriorum duorum.
NPC. Nomine proprio curavit.
NTM. Numini Tutelari Municipij.
NAT. Natione NEP. Nepos NER. Nero.
NAT. GAL. Natione Gallus'
Non TRANS. H. L. Non transilias hunc locū.
Num. Dom. AUG. Numini domûs Augustæ.
ODSM. Optimè de se merito.
OEBQC. Ossa ejus bene quiescant condita.
OHSS. Ossa hic sita sunt.
OMH. Optimo Maximo Hammoni.
OMT. Optimo Maximo Tonanti.
OB Hon. Ob honorem.
OB. A N L. Obijt anno quinquagesimo.
OCR. Ocriculana tribu. OF. Officinarius.
Opus DOL. Opus doliare.
ORD. RET. Ordine retrogrado.
OUF. Oufentina Tribu.
P. Patria. Pontifex. Puer. Publius. Pater. Perpetua. Posuit. P. AUGUR. Publicus Augur.
PC. Patres Conscripti. Patrono vel Præfecto corporis, vel Coloniæ.
P. C. Ponendum curavit. Post Consulatum.
P C N. Posuerunt communi nomine.
P DD. Publicè dedicatum. Vel Positum decreto decurionum.
P E. Publicè erexerunt. PF. Publij filius

PF. Præeunte filio. Et, Pius vel Pia, Felix.
PFV. Pio, Felici, Victori.
PHC. Provinciæ Hiſpaniæ Citerioris.
PH ∽ L. Pondo duarum ſemiſſis librarum.
PI S. Publicâ impenſâ ſepultus.
PL. Publij libertus. P M. Pontifex Maximus.
P. M. Poſt mortem, vel plus minus.
PN. Publij nepos PP. Præfectus, vel præpoſitꝰ
PP. Pecuniæ publicæ.
Q. Quintus. Quadrati. Quæſtori.
Q. Ae quæſtor ædilis. Q. ALIM. Quæſtori alimentorum. Q. D. Quinquennalis Decuri.
Q. D. E R. F P. DERIC. Quid de ea re fieri placeret. De ea re ita cenſuerunt.
QDSS. Qui dederunt ſuprà ſcripta.
Q F. Quinti filius. Quod factum. Q. N. Quinti nepos. Q. F U N C. Quinquennalitate functus.
QHH SS. Qui hæredes ſunt.
Q K. Quæſtori Kandidato. Q. L. Quinti libertꝰ.
Q. PR. Quæſtori Provinciæ. QQ. Quinquennalitiꝰ. QQ. II. Quinquennalitio iterum.
QQ. III. Quinquennalitio tertium.
QQ. PP. Quinquennalitio perpetuo.
QQV. Quoquo verſum. Q. R. Quæſtor Reip.
QS PP S. Qui ſacris publicis præſtò ſunt.
QU. A. I. Qui vixit annum unum.
QQ. Quoq;. QS. Quaſi. QUI & QUI R. Quirina Tribu. Qui LEGIS. T. V. Qui legis titulũ. Vale.
QUINQ. Quinquennalitatis.
R. Recta. Ratio. Recto.
R. G. C. Rei gerendæ cauſa.

R. P. Reſpublica. vel, Retro pedes.
R. P. C. Reipublicæ conſtituendæ.
R P H U. Reip. hujus Urbis, vel vigilantiſſimæ.
REG. Regione. REMP. N. Rempl. noſtram.
ROM. Romilia Tribu. RUF. Rufanus Rufus.
S. Sextus. Solvit. Singuli. Stipendiorum. Sepulchrum.
S. Nominibus proprijs ſubjectum ſignificat ſervum vel ſervam. S. A. D. Sub aſcia dedicarunt.
SC. Senatus conſulto. SCDS. ſibi curavit de ſuo.
SCFC. Senatus conſulto faciendum curavit.
SDS. Soli DEO ſacrum. S & S. Sibi & ſuis.
SETL. Sit ei terra levis.
SL. Sua laude, vel ſententiâ, libens.
SLM. Solvit libens merito.
SMAL. Sacrum memori animo libens ſolvit.
SMD. Sacrum Matri Deorum.
SP. Sacerdos perpetua. SPR. Subprætor.
SPDD. Suâ pecuniâ donum dedit.
SPF. Suâ pecuniâ fecit SPP. Suâ pecuniâ poſuit.
SPPS. Sacris publicis præſtò ſunt.
SPQR. Senatus populusq; Romanus. L. Lanuvinus. SPQS. Sibi poſterisq; ſuis.
SS. Sanctiſſimus ſenatus. Et, ſuprà ſcriptum.
SSOL. Sacerdos ſolis. SSS. Soli ſanctiſſimo ſacrū.
SSS. Supraſcriptæ ſummæ. S. UE. C. ſenatuſve conſulto. SU. Sibi vivens. SUP. ſibi vivens poſuit
SUPHACF. Sponſione utriusq; patris hæc facta.
SA.R. Sacerdos Romæ. SAB. Sabina Tribu.
SUTLHFC. Sit vobis terra levis. Hæredes faciundum curaverunt.

T. Titus. Tribunus Turma.
T. AUG. Tutelæ Augustæ. TF. Titi filius.
T C. Testamenti causâ. TL. Titi libertus.
TFIHFC. Testamento fieri vel titulum fieri hæredes fideliter curarunt.
TFI. Testamento fieri jussit. Vel, Titulum fieri jussit. T.LEG. III. Tribunus Legionis tertiæ
TP. Titulum posuit. TP . Testamento poni-curavit. TPI. Testamento poni jussit.
TRESPR. Terrâ, regestâ, ex sua peccunia restituerunt. TSPI. Testamento sibi fieri jussit.
TU. Titulo usi. T. Taurum. TAB. Tabularius
TABul XX. Tabularius vigesimæ.
TER. Terentina Tribu. TI, Tiberius.
TOL. Toletanus genere. TOS Tonsor.
TR MIL. Tribunus Militum.
TR. PL. DESs. Tribuni plebis designati.
TR. POT. vel TRIB POT. Tribunitia potestate.
TRIB. SUCC. Tribus Succusana.
TRO. Tromentina tribus.
TUL. Tullius. TUR. Turma
V. Volerus, Volusus, Vopiscus Veteranus. Et, Vivit.
V.AED. Viro ædilitio. VAF. Vivus aram fecit.
V. 4. L. Vixit annos 50. V. B. Viro bono.
V.C. Vir clarissimus, Vir consularis
VDD. Voto dedicatum VE Vir egregius.
VF. Viro fidelissimo. Vivus fecit Verba fecit.
VF Visum fuerit VFI. Valerij filius.
VFF. Vivus fieri fecit.

VFS. & S. Vivus fecit ſibi & ſuis.
VLS. Votum libens ſolvit
VM. Volens merito. VMS. Votũ merito ſolvit.
VOP. Vir Optimꝰ. VP. & VP. Vir perfectiſſimꝰ
VS. Votum ſolvit. Voto ſuſcepto.
VSALP. Voto ſuſcepto animo libens poſuit.
VSC. Voto ſuſcepto curavit.
VS. Don. DEDIT. Voto ſuſcepto donum dedit.
VSF. Univerſi ſic fecerunt.
VSI. Vice ſacra judicans,
VSIF. Voto ſuſcepto juſſit fieri.
VSLM. Votum ſolvit libens merito.
VSSLM. Votum ſuſceptũ ſolvit libens merito.
USPLSDEX. PRIM. Votum ſuſceptum ſolvit libens ſacerdos Deæ ex primis.
VTFI. Uſus titulo fieri juſſit.
VV. Votum vovit. Vel, Ut voverat.
VV. Valens victrix. ſcilicet Legio. Vel, Virgini Veſtali
VVL. COR. Victori, Ultori, Coruſcatori.
VVCC. Viri clariſſimi. VAL. Valerius.
VVE. Vobis viſum erit. VE. Veteranus.
VVSSF. Vivis ſuprà ſcriptis fecit.
VV. Max. Virgini Veſtali Maximæ.
VAL. BYZAC. Valeriæ Byzacenæ.
VE PP. Veflamen perpetuus.
VE. AUG. PP. Veflamen Auguſti perpetuus.
VEL. Velina Tribu. VET. Veturia Tribu.
VET. AUG. Veteranus Auguſti.
VET. LEG. Veteranus Legionis.
VI. R. ſexies Romæ.

VICE S. I. C. vice ſacra Iudex cognitionum.
VIR. DIANÆ, Virgini Dianæ.
VOL. Volitana Tribu. Et, Voluſus.
VOL. F. Vel N. Voluſi filius, vel nepos.
VOLER. Volerus.
VOT. Votina, ſeu Volitina tribu.
VOT. E, Voti ergo. VI. VIR. ſevir, ſeu ſexvir.
VI. VIR, AUG. ſevir Auguſtalis.
VII. VIR. Epul. Septemvir epulorum.
VIII. VIR. Octumvir.
X. Decimus prænomen, & numerus.
X. ER. Decimæ erogator.
XV. VIR SAC. FAC. Quindecimvir ſacris faciundis. XX. HER. Vigeſimæ hæreditatum.
XX. Viceſimus, agnomen.

HÆC GRUTERUS.

§ ſ

Declarantur veteres Notæ Numerorum, Valor Monetæ atq; Ponderum Rom: & alia quædam.

PRo characteribus Arabicis, quibus nunc paſſim exprimuntur Numeri, ponebant Romani Literas quaſdam Alphabeticas: ut I, pro Unitate, V pro 5. X. pro 10. L pro 50. C pro 100. D vel I Ɔ pro 500. M vel CIƆ pro 1000, ſeu mille: qui Numerus literarius nunc Eccleſiaſticus appellatur. Apud Lipſium in Comment. epiſt. ad Atticum, Millenarius numerus ſic exprimitur ∞. Advertendum autem: quòd, quando in Literario, ſeu Eccleſiaſti-

ſiaſtico numero minor aliquis numerus po-nitur antè majorem; ſubtrahi debeat minor ex majori. Ut ſi ponatur XC, ſignificat 90. IV ſignificat 4. XL 40 &c

Apud Manutium majores numeri ſic no-tantur: 100 ſignificat C. 500 Iↄ 600 Iↄc. 700 Iↄcc &c 1000 cIↄ. 1001. cIↄI. 1100 cIↄc. 2000 cIↄ cIↄ &c. 5000 Iↄↄ. 10000 ccIↄↄ. 50000 Iↄↄↄ centum millia, cccIↄↄↄ. 500000, ſeu quingenta millia, Iↄↄↄↄ. Deniq; 1000000, ſeu centies centena millia ccccIↄↄↄↄ.

MONETA Rom. ærea aſſibus numerabatur: Argentea Denariis, Victoriatis, & Seſtertijs: ut ex Budæo, aliiſq; optimis authoribus, tradit Balbinus in Notis ad Cap. 4 Veriſimilium §. 6. DENARIUS ex prima inſtitutione continebat aſ-ſes 10: annis autem quinq; ante bellum Puni-cum, decreto Senatus, aſſes 16 valebat; VICTO-RIATUS aſſes 8, SESTERTIUS aſſes 4 NUMMUS fre-quenter pro Denario ſumitur LIBELLA voca-batur pars decima denarii, SEMBELLA pars vi-geſima, TERUNCIUS pars quadrageſima.

In Denario nota fuit X, in Quinario V, in Seſtertio apponitur adverbium numerale, v. g. decies, vicies, tricies, quadragies Seſtertium &c; ſubintelliguntur centum millia; ſcilicet decies, vicies, &c centum millia Seſtertiorum. Quodſi cum adjectivo numerali genitivus plu-ralis ponatur; ſemper tot millia ſubintelligun-tur, quot ſignificat nomen illud numerale v. g. Dena Seſtertium, ſignificat decem millia Se-ſterti-

ſtertiorum; Vicena ſeſtertium, viginti millia ſeſtertiorum &c.

Si ſcire velis; Denarius & ſeſtertius quantum valeant modernâ moneta? Id difficile eſt definire in tanta varietate monetæ, qualis cernitur in ſingulis nationibus; plurimùmq; variant Authores. Cùm Germanica moneta in his partibus noſtris notior ſit, quàm aliarum nationum: proponam hic computum Balbini citati, reducentis Denarios & ſeſtertios veterum Romanorum ad cruciferos & florenos Germanicos, ſeu Cæſareos. Tenendum autem pro explorato: quod Florenus unus Germanicus faciat duos noſtrates Prutenicos, quos Poloni vocant florenos bonæ monetæ. Crucifer autem unus idem eſt, ac Groſſus unus Prutenicus, ſeu bonæ monetæ. Proinde ſi proba eſt Balbini ſupputatio (quam examinare non vacat) duplicando florenos, cruciferos autem retinendo, in aſſignatis infrà ſummis, habebis numerum florenorum noſtratium, reſpondentem variæ quantitati ſeſtertiorum Rom. Ponit ergo Balbinus:

Centum ſeſtertij ſunt 3 floreni (Germanici ſcilicet) & cruciferi 20. Faciunt ergo 6 fl. Pruten: & 20 groſſos. Quingenti ſeſtertii dant 16 fl. Germ. 40 crucif: Id eſt, 33 fl. Pruten: & 10 groſ. & ſic cæteræ ſequentes ſummæ duplicandæ ſunt ſemper: ut habeas quantitatẽ ſlorenorũ Pruten: Mille ſeſtertij dant 33 fl. 20 Crucif. Decem millia ſeſtertiûm dant 333 fl, 20. Crucif.

Quinquaginta millia ſeſtertiûm nummûm 1666 fl. 40 Crucif.
Centum millia ſeſtertiûm 3333 fl. 20 Crucif.
Decies ſeſtertiûm 33333. 20 Crucif. Iam enim centum millia ſubintelligi debent; ut ſup. ine dicatum. Viceſies HS. 66666 fl. 40 Crucif.
Tricies HS. 100000 fl.
Quadragies HS, 133333. fl. 20 Crucif.
Quinquagies HS. 166666 fl. 40 Crucif.
Sexagies HS- 200000. fl.
Septuagies HS. 233333 fl. 20 Crucif.
Octuagies HS 266666 fl. 40 Crucif.
Nonagies HS 300000 fl.
Centies HS 333333 fl. 20 Crucif.
Denarius (cui apud Græcos æquivalebat Drachma) dat 8 Cruciferos, ſeu groſſos Prutenicos.
Centum denarij 13 fl. Germ. 20. Crucif. ſeu 26 flor. Pruten. 20 groſ.
Ducenti denarij 26 fl. Germ. 40 Crucif.
Trecenti denarij 40 flor.
Quadringenti denarij 53 flor. 20 Crucif.
Quingenti denarii 66 flor. 40 Crucif.
Nongenti denarij 120 flor.
Mille Denarij 233 flor. Germ. 20 Crucif. ſeu 466 florenos Prutenicos. 20 gr.
TALENTUM unum facit 800 flor. Germ. 1600 Prutenicos. Quinq; talenta 4000 flor. Germ. 8000 Pruten. Decem talenta 8000 fl. Germ. 16000 Pruten. Quinquaginta talenta 40000 fl. German: 80000 Pruten. Centum talenta 80000 fl. German. 160000 Pruten.
Mille

Mille talenta 800000 fl. Germ. 1600000 Pruten.

Fuerunt autem Talenta varia. ATTICUM talentum continebat 6000 drachm: seu denarios; BABYLONIUM 7000 drachm. Æginæum 10000 drachm. Syrium 1500 drachm.

De Ponderibus Romanis.

Libra una dicta fuit PONDO & AS. Dividebatur in partes seu UNCIAS 12. Unciæ dimidium vocabatur SEMUNCIA; Quarta pars Unciæ SICILICUS, Festo sicilicum; sexta pars unciæ SEXTULA.

De Mensuris Romanis

AMPHORA Romana vas erat quadratum, ex omnibus quatuor partibus habens pedem unum Romanum; id est, tam in longitudine & latitudine, quàm altitudine seu profunditate. Unde etiam Quadrantal vocabatur. Amphora ergo erat quadratura pedis Romani, continens libras 80 aquæ, vini, vel aceti; *ut tradit Cornel. à Lap. in Pentateuch.* Amphoræ duæ vocabantur MEDIMNUS; Viginti Amphoræ Culeus: quæ erat Romanis maxima mensura.

Dividebatur Amphora in URNAS duas; in 4 CONGIOS, quorum tres cum uno haustu sub Tiberio Cæsare exhausisset Novellius Torquatus, dictus est Tricongius, teste Plinio lib. 14 22. Sexta pars Congij dicebatur SEXTARIUS. Sextarij dimidium vocabatur HEMINA, vel Cotyla: Quarta pars sextarij QUARTARIUS: Octava ACETABULUM; duodecima CYATHUS.

Cyathi duo dicebantur SEXTANS, tres QUADRANS, TRIENS quatuor.

Quod attinet ad Menſuras Longitudinis: MILLIARE dictum eſt à paſſibus mille, continebatq; STADIA octo. STADIUM continebat Paſſus 125. PASSUS Pedes quinq;. PES Romanus Palmos quatuor; PALMUS digitos 4. tranſverſim acceptos. Tres palmi faciunt SPITHAMAM. Spithama eſt ſpatium, quod diſtenta manu inter pollicem & indicem interjacet, continetq; 12 digitos tranſverſos.

CUBITUS eſt ſeſquipes, ſeu pes unus cum dimidio, continetq; ſpithamas duas, ſeu 24 digitos: & eſt Quarta pars ſtaturæ hominis, ſecundùm Cornelium cit: Quiſq; enim homo rite formatus habet in altum quatuor ſuos cubitos; adeoq; tantus eſt, quanta eſt expanſio brachiorum ejus. Brachia enim complicata, & ſe in digito indice contingentia, faciunt quatuor cubitos. Conſequenter cùm cubitus ſit ſeſquipes: ſequitur, quemque hominem uti ſuos cubitos habet quatuor, ita & ſui pedes habere ſex in ſtatura. Eſt autem Cubitus ea longitudo, quæ à flexu brachij porrigitur uſq; ad extremum digiti, qui Index vocatur.

De Militaribus Ordinum Rom. Denominationibus.

CENTURIA centenis conſtabat peditibus; DECURIA denis Equitibus; MANIPULUS LEVIS vicenis

vicenis militibus haſtatis, & turbâ ſcutatorū: milites iſti dicebantur Manipulares; TURMA ter denis equitibus; VEXILLUM centum & octoginta tribꝰ militibꝰ; PRIMIPILUS tribus Vexillis in quorū primo erant Triarij veterani, in ſecundo Rorarij, in tertio Accenſi. COHORS alia erat Miliaria, quæ 1500 pedites, equites 132 habebat; alia Quingentaria, in qua 550 pedites, equites 66. Legio conſtabant 6200 peditibus, equitibus 300; juxta *Alex ab Alex. lib.* 1. c. 5. Alij extendunt usq́: ad 6666: ſed vix aliquando tam completa fuit.

INSTITUTIO IV.

De Studio Imitandi.

COmmendavi ſuprà Inſtit: 1. n. 8. diligens Imitandi ſtudium: hìc Modus oſtendendus; ut prudenter, non more ſimiarum, atq; fructuoſè fiat Imitatio. Inprimis autem declarandum: quid propriè ſit, imitari laudatos Scriptores.

§. I.

Declaratur: in quo conſiſtat Imitatio Literaria.

MAnifeſtum eſt, ingenitos hominibus eſſe ſtimulos, incitantes ad æmulanda decora aliorum; ut ſimiles æqualeſve evadamus ijs, quos ſuſpicimus. Unde, ut notavit Quintil: lib. 10. c. 2. *Omnis vitæ ratio ſic con-*

constat: ut quæ probamus in alijs, facere ipsi velimus. Viget proinde & in liberalibus disciplinis, fervetq; inter studiosiores profectus sui, Imitandi studium: qui verò illius incurii sunt, admodum ægrè proficiunt, cùm non agant secundùm naturam, quæ & parvulos in verba nutricum docet frangere lingvam, & avium pullos jubet cantus pipire parentum.

Cæterùm Imitatio literaria consistit in eo: ut, quod in Authore, quem legimus, advertimus elegans, argutum, sensatum, ingeniosè inventum, vel artificio singulari dispositum; studeamus in simili, vel diversa materia, exprimere similiter; utendo simili modo scribendi, seu tractandi ea, quæ præ manibus habemus. Idem ergo agendum tyronibus; quod agunt, qui characteres ab alio eleganter ductos in charta vel tabula, imitantur. Inspiciunt, & diligenter observant, omnes ductus & apices linearum, similesq; ducere & exprimere nituntur. Pari conatu, oportet, Studiosos Humanioris literaturæ non percurrere libros, ut canes dum Nilum bibunt; sed quod in illis reperiunt notabile, speciosum, & secundùm artis regulas elaboratum; contemplentur accuratè, statuantq; sibi in ideam & normam; ut quid simile effingant, atq; producant.

Hinc patet: non esse idem, Excerpere, & Imitari. Dum ex lectis Authoribus excerpimus aliqua, non mutata transferimus, plerũq; iisdem verbis, in Adversaria nostra, seu Libellos

bellos Annotationum; nisi fortè prolixius aliquod exemplum, vel alia eruditio, summatim sit colligenda. Jam verò ut imitemur id, quod nobis placet in authore lecto; necesse est, ut aliquid impendamus industriæ nostræ; & aliquo modo immutemus aliena, faciamusq; honesto titulo nostra. Faciendum scilicet, quod apiculæ: quæ in pratis & hortis variorum florum colligunt succum, roremq; matutinum; atq; ex illis mirabili arte subactis, conficiunt favos mellis. *Sic oportet, adhibita ingenij nostri cura & facultate*, inquit Seneca ep: 84. *In unũ saporem varia illa libamenta* (quæ in Authoribus delibavimus) *confundere: ut, etiamsi apparuerit, unde sumptum sit; aliud tamen esse, quàm unde sumptum sit, appareat. Quacunq; hausimus, non patiamur integra esse, ne aliena sint.* Curandum igitur: ut aliena idoneo decentiq; modo aliquo immutemus, coloremus, declaremus, exaggeremus, ac velut spiritu nostro animata producamus. Quod quomodo fieri possit: docebit Paragraphus sequens.

Hìc seriò te monitum velim, Florimunde: ut ingenio & labore proprio vivas; aliena non vendites pro tuis. Est etiam hodie quorundam impudentia tanta: ut aliorum integros Tractatus, Orationes, Conciones, Poemata, Declamationes, Dramata &c. surripere, sibiq; supponere alienum partum, non revereantur. Sed rarò contingit: ut hujusmodi furta non detegantur, & alienis nudatæ plumis, corni-

culæ tales risui largissimo non exponantur. Evenit subinde etiã hac ætate, quod olim Alexandriæ, Vitruvio teste in Præfat. lib. 7.

Ptolemæus Ægypti rex, librorum & literatorum studiosissimus, ut amorem studiumq; liberalium disciplinarum propagaret quàm latissimè: Musis & Apollini ludos dedicavit, & quemadmodum in certaminibus athleticis, ita in literario, Victoribꝰ præmia & honores constituit. Ut autem certiùs constaret de victoribus; septem instituit Judices summa eruditione conspicuos, qui æquis sententiis illos determinarent. Ex his facile lecti sunt sex, septimus non facile reperiebatur. Retulit ergo rex ad eos, qui Bibliothecæ præerant: ut, si quem nossent illi numero idoneum, suggererent. Esse quendam Aristophanem, responderunt: qui summo studio diligentiâq; quotidiè ex ordine pervolveret in bibliotheca regia libros, atq; in illis heluaretur largissimè. Constituto ludorum die, cùm Judicibus honoratiore loco positæ essent sedes: jussus addesse, sedemq; occupare etiam Aristophanes. Prima concertatio in erudito illo theatro, permissa Poëtis. Recitabantur varia variorum scripta; populus, prout quis magis minusve auribus suis lenocinabatur, plausum dabat. Rogatæ deniq; Judicum sententiæ. Horum sex, præjudicium populi sequentes, unanimi suffragio, ei primum summumq; detulerunt præmium, quem populo maximè placuisse, adverterunt; alterum

addi-

addixerunt illi, qui proximum priori plausum tulisse, visus erat, & sic de cæteris. Ab Aristophane cùm peteretur sententia: Ei primum deberi præmium pronunciavit, qui populo minimè placuisset. Qua sententia ut advertit regem populumq; offensum; surrexit, rogavitq; ut paterentur se dicere. Silentio facto, docuit: Unum illum esse Pòëtam, cæteros rapicidas (ut dixit Plautus) aliena harpagasse. *Oportere autem iudices non furta, sed scripta probare.* Admirante rege, & populo, Aristophanes, fretus memoriæ bonitate, ex certis bibliothecæ armarijs infinita volumina adferri curavit, eaq; cum recitatis conferendo, prodidit; quis, quid, unde clepsisset; perfuditq; reos turpi rubore. Rex jussit cum his agi furti, condemnatosq; cum ignominia dimisit: Aristophanem verò amplissimis muneribꝰ ornatũ, Bibliothecæ suæ præfecit.

Timeant etiam hodie hujusmodi depeculatores, & qui aliena scripta, nondum publici juris facta, furtim sublegunt: emerget, nescio, à quo angulo Aristophanes quidã, & sublata suo vindicabit authori. Illi autem præter diploidem confusionis, id lucri habebunt: quòd etiam proprij ipsorum labores furta credentur.

§. 2.

Quomodo instituenda Imitatio?

℞. Eam fieri posse in Inventione, Dispositione, vel Elocutione.

I. Ut in Inventione imitemur authorem

quempiam, obſervandum: unde impetum vel occaſionem ſumpſerit talis Exordii, vel Propoſitionis; aut ex quibus locis Rhetoricis deſumpſerit argumenta. ſeu rationes ad probandam propoſitionem ſuam? An ex locis intrinſecis, ut Definitione, Partium enumeratione, Cauſis, Effectibus &c. vel Extrinſecis; ut Teſtimoniis, Exemplis, legibus &c.? Quo comperto, ex ijſdem locis, prout materia patietur, ducenda erunt Argumenta, vel Exordium.

II. In Diſpoſitione ſit Imitatio: quando obſervamus; quis ſit ordo partium Orationis alienæ, & in qua forma ſint diſpoſitæ? Deinde ipſa oratio tota, an per Syllogiſmum, Enthymema, vel Chriam, vel ſecundum partes communes &c. ſit efformata? & noſtram in ſimili forma elaboramus.

III. Elocutionem imitamur, quando ad normam alienæ orationis formamus ſtylum; ſimili modo extendendo, vel incidendo, ſeu concidendo, periodos; ut ſimiliter inciſim, mēbratim, vel tractim decurrat oratio; deinde ſimilibus utendo tropis atq; figuris, ſententiis, tranſitionibus ab una parte orationis ad aliam, vel ab uno argumento ad aliud &c Quod ut magis elucescat: accipe particulares quoſdam Elocutionem imitandi modos.

1. Mutatâ materiâ, retinentur eadem, ſaltem præcipua, verba. v. g. Cicero dixit: *Non placet Antonio conſulatus meus? at placuit Servilio.* Imitaberis dicendo: Non placet Petro diligens imitan-

imitandi ſtudium? at placet Paulo, placuit Demoſtheni, Ciceroni &c.

2. Mutatis verbis retinetur eadem ſententia, ſeu ſenſus idem. v. g. Cicero dixit: *De te Cæcili, jam extra contentionem certamenq; noſtrum, familiariter tecum loquar: tu ipſe quemadmodum exiſtimes, vide etiam atq; etiam: & te in te collige, & qui ſis, & quid facere poſſis, conſidera. Putaſne, te poſſe &c?* Imitaberis dicendo: Tecum jam mi tyro, miſſo contentionis fervore, familiariter agam. Inſpice, obſecro mentem tuam, & quid cogites, quidve poſſis, adverte. Putaſne te poſſe è tyronum grege emergere, abſq; ſedulo imitandi ſtudio? Præcipui Oratorum, Græci & Latini, cenſuerunt; ſe non poſſe: tu poteris? Non te tua ſeducat præſumptio.

3. Quod author paucis verbis propoſuit, pluribꝰ in ſimili, vel diverſa materia, per Amplificationem effertur. v. g. Cicero pro Milone dixit in Exordio: *Quamobrem adeſte animis Judices, & timorem, ſi quem habetis, deponite.* Imitaberis in ſimili materia, dicendo: Reſumite igitur animos Judices, ſi quos non vanus eripuit metus. Muneris veſtri eſt, tueri periclitantes vindicare iniquè oppreſſos, probis præmia, improbis meritas decernere pœnas. Occurrit quidem in eo negotio difficultas non una: at vos obfirmatis animis, audentiores contrà niti decet. Vobis enim & legum authoritatem, & civium ſalutem, ſartam tectamq; ſervare incumbit &c. *In materia verò diverſa,*

v. g. de studio Imitationis, sic imitatio institui potest. Videte igitur Eloquentiæ Candidati; ne animos, quos à natura accepistis generosissimos, despondeatis. Audete: dimidium facti, qui bene cœpit, habet. Timorem, quem vobis ingerit, aut ætatis imbecillitas, aut legendorum voluminũ copia, aut solicitum imitandi studium; alacres excutite. Si vobis animi satis erit, parum supererit laboris &c.

4. Mutatis verbis, eædem retinentur Figuræ. v. g. Cicero pro Milone dixit: *Quid porro quærendum est? Factum ne? At constat. A quo? At patet &c.* Per eandem Subjectionis figuram imitationem poteris sic instituere: Juveni humanioris literaturæ studioso, quid porro præscribendum censetis? Ut librorum lectioni sedulus incumbat? At sine hac neminem evasisse doctum, constat. Ut optimos Scriptores indefessus imitetur? Id quoq; extra dubium est. Cui enim ignotum iter ingresso, non est opus perito duce? Ut nulli parcat labori? At notissimum est, deos non nisi laboribus omnia vendere &c.

5. Ad normam Authoris, vel similibus periodis circumducitur oratio, vel similiter conciditur. Sic Rhetorum juniorum aliquis, cõmendaturus Sodalibus suis Imitationis Ciceronianæ studium, imitari posset Exordium Ciceronis pro Sex. Roscio Amerino.

Cicero sic orditur. Credo ego, vos, Judices, mirari, quid sit, quòd cum tot summi Ora-

tores

tores, hominesq; nobilissimi sedeant: ego potissimùm surrexerim; qui neq; ætate, neq; ingenio, neq; authoritate, sim cum ijs, qui sedeant, comparandus. Omnes enim hi, quos videtis adesse in hac causa, injuriam novo scelere conflatam putant oportere defendi: defendere ipsi propter iniquitatem temporum non audent. Ita fit, ut adsint propterea, quòd officium sequuntur; taceant autem idcirco, quia periculum metuunt. Quid ergo? Audacissimus ego ex omnibus? Minimè. At tantò officiosior, quàm cæteri? Ne istius quidem laudis ita sum cupidus, ut alijs eam præreptam velim. Quæ me igitur res præ cæteris impulit: ut causam Sexti Roscii reciperem? Quia si quis istorū dixisset &c *Imitatio sic institui posset.*

Credo ego, vos mirari Sodales lectissimi; quid sit, quòd facta nobis copia dicendi pro Imitationis Tullianæ studio: ego id muneris assumpserim; qui cuivis vestrum, & ætatis spatio, & ingenii acumine, & judicij maturitate, ac deniq; exercitio in hac palæstra, me omnino imparem, non ignoro. Assumpsi tamen: siquidem cæteros, qui florentissimam hanc conflant coronam, subvereri adverti: ne si plurimùm Tullio deferrent, doctissimis disertissimisq; Scriptoribus reliquis tantundem derogarent. Quid ergo? Animosior ergo cæteris? Minimè. At officiosior in Ciceronem? Ne hanc quidem prærogativam mihi vendicare præsumo. Quid est igitur, quod me

impulit ad provinciam hanc occupandam?
Hic subjungendæ rationes susceptæ Perorationis.

Epistolas eodem modo imitari licet. v. g. Cicero Atticum ad se invitat hoc epistolio: Ut me levarat adventus tuus, sic discessus afflixit. Quare, cùm poteris; id est, cùm Sestij auctioni operam dederis, revises nos. Vel unus dies mihi erit utilis, quid dicam, gratus? Ipse Romam venirem, ut unà essemus, si satis consilij quadam de re haberem.

Imitari posses sic: Quantum solatij ex adventu, tantum mœroris ex discessu tuo accepi. Medelam huic aliunde, quàm ex reditu tuo habere non possũ. Redibis igitur, quã primùm per negotia licebit. Percommoda mihi erit præsentia tua: sed gratior longè. Advolarem ipse in amplexum tuum; nisi quàm molesta, tam tenax remora me detineret. Vale, ut valeã.

§. 3.

Quisnam potissimùm sit imitandus?

℞. I. Optimus quisq;. Cùm enim plerumq; etiam ab idea absolutissima, & norma accuratissima, non parum deflectamus: quò deveniemus, si vitiosam, aut minùs probam nobis proposuerimus?

II. Ex Oratoribus CICERO potissimùm assumendus est in Ideam & normã. Cùm enim nemo, qui eum adæquârit, nedum superârit, comparuerit: patet, ipsum cæteris esse præferendum. Unus enim ille rebus, personis, temporibus

poribus, ita aptavit orationem: ut summum ejus ingenium ac judicium, cum admirabili & artificiosissima facundia conjunctũ, disertissimorum nemo satis deprædicasse, sibi visus sit; quàmvis fortè aliam dicendi rationem elegerit ipse. Fabius Quintilianus, post Ciceronem Rhetorum facile princeps, postquam lib. 10. Instit: c. 1. miratus esset in illo vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis, eumq; suspexisset non solùm ut eloquentem, sed ut ipsam Eloquentiam; concludit tandem: Hunc igitur spectemus, hoc positum nobis sit exemplum. ILLE SE PROFECISSE SCIAT: CUI CICERO VALDE PLACEBIT. Quam enim Eloquentiæ dotem in ipso desideres? In Epistolis brevis est, purus & perspicuus; in docendo clarus, solidus ac disertus; in disputando acer & subtilis; in perorando non minus suavis, quàm gravis & facundus. Cùm mores instruit, prudens & ornatus; cùm sententias discutit, acutus & amœnus; cùm defendit, copiosus, solidus, & circumspectus; cùm accusat, vehemens, concitatus, & concisus; ubiq; sui similis & varius; semper victoriosus & triumphalis. Cui Cicero non sapit; obtuso, seu vitiato palato est. Vel, quod legit, non intelligit; vel rebus pretium ponere nescit: adeòq; largiore helleboro opus habet.

Nihil tamen vetat; quominus etiam alios Scriptores celebriores in ideam assumamus in ijs, quibus excellunt, adeoq; imitari conemur

Cæsa-

Cæſaris puritatem, Curtii amœnam lenitatē, Quintiliani gravem venuſtatem, Livii lacteam ubertatem, Plinij floridum acumen &c. Rex eſt enim Cicero in Eloquentiæ regno, non tyrannus. Primum tamen præcipuumq; tyronum ſtudium in imitationem Ciceronis conferatur, oportet: qui ita grandis eſt, ut non turgeat; ſic humilis, ut non vileſcat; ſic copioſus, ut non abundet.

PETES: *Quid potiſſimùm in Cicerone ſit obſervandum, & imitandum?*

℟. 1. Quòd utatur puriſſima Latinitate, & mira niteat Claritate, etiam dum ſtylo ſublimiore aſſurgit, aut concitatior eſt affectu. 2. Tam eleganti vinculorum, ſeu particularum nectentiū, tranſitionūmq; nexu copulat membra membris, periodos periodis, partes partibus: ut non arte colligatæ, ſed ſic natæ videantur. 3. Quod ordo verborum in ſententijs, ſententiarum in periodis, pèriodorum in oratione, tam ſuavis ſit & conſentiens; tamq; ſimul varius, plenus, ac virilis: ut nullIbi prærupta dehiſcat oratio; nec alicubi ita turgeat, ut faſtidium prudenti inducat. 4. Quod Troporum, Figurarum præcipuè, ſingularis quidam, ſed temperatiſſimus, & non affectatus, in illo fulgeat ſplendor. 5. Quòd ſtylum rebus, perſonis, & affectibus ſciviſſimè accommodet.

Has dotes quò perfectiùs quis aſſecutus fuerit: eò præcellentiore jure Ciceronianus merebitur

rebitur nominari. Falluntur autem vehementer: qui existimant; quintam, ut ajunt, essentiam Styli Ciceroniani consistere in longa periodorum circumductione, & verborum luxu. Quàmvis enim ad implendas populi Rom: aures, & subigendas liberas mentes, in Orationibus liberali usus sit copia verborum: non tamen in his est anima Eloquentiæ Ciceronianæ, sed in punctis quinq; suprà insinuatis. In his quò feliciùs aliquis Ciceronem imitatus fuerit: eò magis Ciceronianus erit, etiamsi arctiore scribendi methodo fuerit usus. Et certè nihil impedit; quominùs prædicta facundiæ Tullianæ decora, etiam intra angustiores periodorum limites comprehendantur. Imò perquam utilem ponent tyrones operam: si subinde se exercuerint, in stringendis ijs, quæ longiùs extendit Cicero; servato tamen concinno membrorum, periodorumq; nexu, cum tropis, figuris, alijsq; ejus dotibus.

III. Utile etiā est futuro Oratori, exercere se in Imitatione Historicorum celebriorum. Præterquam enim, quod in illis reperiantur Orationes cultissimæ, à personis primarijs habitæ, vel in Senatu, vel ad populum, vel ad milites &c. etiam ipsa methodus narrandi & describendi utilis est Oratori, imò necessaria. Cæterùm in Imitatione indulgebit Orator paulò liberiùs genio & arti suæ, adhibendo Figuras, & circumductiones aliquantò prolixiores

xiores, magisq; emphaticas: cùm ſtylus Hiſtoricus ſit preſſior, & planior, atq; ut Quintilianus loquitur lib. 10. c. 1. Carmen quoddam ſolutum. Livij Orationes terſiſſimæ ſunt, & rationum momentis graviſſimæ. Praxis una & altera hujus Imitationis, dabitur §. ſequenti.

IV. Iuvat, exercere ſe etiam in Imitatione Pòëtarum, ſolvendo aureas Muſarum compedes; ut pede ſaliant liberiore. Trià verò potiſſimùm decora Pòëtarum cadunt ſub imitationem Oratoris 1. Elegantia & ſublimitas, non tamen audacia, in verbis. 2. Vis & motus in affectibus. 3. Accurata deſcriptio, ſeu graphica rerum, quas deſcribunt repræſentatio. Cavebit autem Imitator, quidquid licentiam ſpirat Pòëticam: ut frequentes Helleniſmos, Metaplaſmos. Catachreſes, Auxeſes & Myoſes nimias. Epitheta non habentia vim aut elegantiam ſpecialem, aliaq; vocabula metri gratiâ tantùm adhibita, reſecabit. Fabulæ Pòëticæ raro & decenter adhibeantur & fere notiores tantùm. Sermo ligatus reducatur ad numeros, periodosq: Oratorias; aptisq; particulis nectantur membra membris, periodi periodis, figuras etiam adhibendo opportunas. Exempla dabit § ſequens.

§ 4

Praxes Imitationis Hiſtoricorum & Pòëtarum.

PRA-

PRAXIS I:

Imitatio Orationis Livianæ.

ROmanæ hiſtoriæ princeps Livius lib. 30 inducit P. Scipionem Africanum, poſt partam in Africa de Syphace. Numidarum rege, inſignem victoriam (ad quam multum contulerat Maſſiniſſa, itidem rex Numidarum) ſuadentem Maſſiniſſæ: ut à capta Syphacis uxore abſtineret.

Aliqua, inquit, exiſtimo, te Maſſiniſſa, intuentem in me bona, & principio in Hiſpaniam, ad jungendam mecum amicitiam, veniſſe; & poſtea in Africa te ipſum, ſpesq; omnes tuas, in fidem meam commiſiſſe. Atqui nulla earum virtus eſt, propter quas appetendus tibi viſus ſum, qua ego æquè, atq; Temperantiâ & continentiâ libidinum, gloriatus fuerim. Hanc te quoq; ad cæteras tuas eximias virtutes, Maſſiniſſa, adjeciſſe velim. Nam non eſt mihi crede, tantum ab hoſtibus armatis ætati noſtræ (*erant & Scipio & Maſſiniſſa in flore ætatis*) periculi, quantum ab circumfuſis undiq; voluptatibus. Qui eas ſuâ temperantiâ frenavit, ac domuit: multò majus decus, majoremq; victoriam, ſibi peperit, quàm nos Syphace victo habemus &c. Vince animum: cave deformes multa bona uno vitio; & tot meritorum gratiam majore culpâ, quàm cauſa culpæ eſt, corrumpas.

Duplex inſtitui poteſt præſtantis hujus ſermonis

monis Imitatio. Inprimis retinendo rem eandem & ſenſum, alijs autem verbis paulò fuſiùs amplificando in hunc modum.

Quòd tam arctum me inter ac te, Maſſiniſſa, interceſſerit amicitiæ vinculum: fecerunt dubio procul non tàm commoda tua, quæ inde ſperares; quam dotes aliquæ meæ, quæ me oculis atq; cordi tuo, blandiùs inſinuarunt. His, credo, factum eſt: ut de jungenda mecum amicitia cogitares: hæ ex Africa te in Hiſpaniam traxerunt; hæ in Africa tibi perſvaſerunt: ut non ſolùm initam amicitiam firmares; ſed te, ſpesq: omnes tuas, fidei meæ committeres. Scias autem velim: ex omnibus, ſi quæ ſunt in me, virtutibus, eſſe nullam; quã ego æquè charam habeam, quamve mihi æquè glorioſam exiſtimem;ac Temperantiam, & Continentiam à ſexu blandiore. Hæc eſt ætatis noſtræ flos ſpecioſiſſimus, dignitatis decus incomparabile, militaris animi fulgor quidam divinus, vel hoſtium ipſorum perſtringens oculos, domans corda: digna proinde, Maſſiniſſa, qua cæteras regias virtutes tuas corones. Quodſi continentiam hanc non ſatis tibi commendat divina ejus ſpecies: imperet ejus amorem neceſſitas. NAM NON EST, MIHI CREDE, TANTUM AB HOSTIBUS ARMATIS FLORENTI ÆTATI NOSTRÆ PERICULI, QUANTUM à VOLUPTATIBUS CIRCUMFUSIS. Sæpe, quem armatæ legiones non læſerunt; vel unico telo confecit Cupido, clade tantò magis dolenda, quantò ignobiliore.

Quis-

Quisquis igitur blandè sævientem vicit, domuitq; cupiditatem: multò majus decus, majoréq; victoriam sibi peperit; quàm nos Syphace victo habemus. Aude proinde, impera tibi: & hostium metuendorum sæpius victor, vince nunc te ipsum. CAVE DEFORMES MULTA BONA UNO VITIO. Magna sunt tua in me, populumq; Romanum merita: sed vide, ne omnem illorũ gratiam eò turpiore culpâ tollas, quo minor est causa culpæ. Mulier una est deserenda: cujus jacturâ regnum tibi firmabis, & nomen comparabis æternum.

Aliter institui potest ejusdem Orationis Livianæ Imitatio, imitando ejus Inventionem & Dispositionem, & si placet, Elocutionem, in materia diversa: ut si alicui familiari nostro, nimis addicto calicibus, velimus suadere sobrietatem, vel avaro Liberalitatem. Eodem enim modo posset Exordium duci ab Amicitia, seu necessitudine tua cum illo. Rationes peti possent similes tum à præstantia virtutum illarum, tum à turpitudine & nocumentis vitiorum illis oppositorum, tum ab exemplo nostro, ac deniq; à gloria, quam parit generosa suì victoria. Conclusiò etiam quadrabit.

PRAXIS II.

Imitatio Hypotiposeos Virgilianæ, qua horrenda tempestas describitur Lib. 1. Æneid

Venti velut agmine facto,

qua

Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant
Incubuere mari, totumq; à sedibus imis
Unà Eurusq; Notusq; ruunt, creberq; procellis
Africus: & vastos volvunt ad litora fluctus.
Insequitur clamorq; virûm, stridorq; rudentû;
Eripiunt subitò nubes cælumq; diemq;
Teucrorum ex oculis: Ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, & crebris micat ignibꝰ æther,
Præsentemq; viris intentant omnia mortem.

Soluto stylo sic imitari possumus Poëtam.

Sævissima posthac tempestas excepit Trojanos ac penè evertit. Venti velut conjurati in illorum perniciem, ingenti turbine sese effuderunt, mariq; tota mole incubuerunt. Vehebant cladem non vulgarem, ab ortu Eurus, ab occidente Notus, à septemtrione procellis infamis Africus. Et mox ubi collectam evomuere rabiem, fluctibus inhorrescere mare, pulsari litora, quati navigia, & dissipari. Exoritur inde confusus militum nautarumq; incerta jubentium, clamor, trepidat fortissimus quisq;, strident rudentes, immugit pontus, vacillant antennæ, cælum diemq; tæterrimæ eripiunt nubes; nec quidquam lucis offusa reliquit caligo, nisi quod inter horrendos nubium fragores elisa spargebant fulgura. Omnia deniq; viris, meliore fato dignis, crudelissimam, quia ignavam, intentabant mortem.

PRAXIS III.

Imitatio Claudiani, excitantis Zephyrum ad

ad reddendam terræ amœnitatem, lib. 2 De Raptu Proserp.

Nunc adſis, faveas precor; nunc omnia fœtu
Pubeſcant virgulta velis; ut fertilis Hybla
Invideat, vinciq; ſuos non abnuat hortos.
Quidquid thuriferis ſpirat Panchaia ſylvis,
Quidquid odoratus longè blanditur Hydaſpes,
Quidquid ab extremis ales longæva colonis,
Colligit, optati referens exordia ſæcli,
In venas diſperge meas, & flamine largo
Rura fove: ut merear divino pollice carpi,
Et noſtris cupiant ornari Numina ſertis.
Dixerat. Ille novo madidantes nectare pennas
Concutit, & glebas fœcundo rore maritat.
Quaq; volat, vernꝰ ſequitur color, omnis in her-
Turget humꝰ, medioq; patent covexa ſereno[bas
Sangvineo ſplendore roſas, vaccinia nigro
Induit, & dulci violas ferrugine pingit &c.
Forma loci ſuperat flores: curvata tumore
Parvo planities, & mollibus edita clivis,
Creverat in collem: niveo de pumice fontes
Roſcida mobilibꝰ lambebant gramina rivis &c.

Floridiſſimum hoc fragmen Poëmatis imitari poſſes, deſcribendo hortum, vel alium locum amœniſſimum, omiſſa fictione, ſic:

Si quem locum ſereniore reſpexit oculo Natura parens: hic certè eſt, quem ſereniſſimo dignata eſt, juſſis in eum ornandū Favoniis, Gratijſq; omnibus conſpirare. Virgulta tam uberi ſpecioſoq; pubeſcunt fœtu: ut fertiliſſi-

tiliſſima pariter ac lætiſſima Hyblæ juga invideant, hortoſq; ſuos vinci non abnuant. Quidquid illecebrarum thuriferis ſpirat ſylvis Panchaia, quidquid gratiarum odoratus fert Hydaſpes, quidquid fragrantium ramuſculorũ ab extremo orbe colligit moriturus phœnix: hic velut in pulcherrimo lætantis naturæ theatro expoſitũ patet. Jucundiſſima pratorũ viriditas tantâ intermicantiũ floſculorũ cùm elegantia, tũ varietate diſtingvitur:ut non alijs ornari ſertis cupiant Superi, quàm quibus hoc natale ſolum eſt; nec flores alij tàm ſint digni pollice carpi divino. Ut primùm enim leniores Zephyri, alludentibus Eteſys, terram demulcent poſt brumam, fœcundoq; maritant rore: omnis illico in herbas turget humus, omnia verno rident colore; ſangvineo roſæ, nigro vaccinia, ferrugineo violæ, candido liguſtra, aureo tulipæ, niveo lilia, omnis deniq; fragrantium floſculorum promicat venuſtas. Crederes: tam ſpecioſo vernantis anni theatro nihil dari poſſe jucundius: ſuperat tamen forma loci flores. Terra primùm in planitiem exſpatians, mox in colliculos molliter aſſurgit, vernantemq; frugiferarum arborum explicat coronam. In collis formoſioris jugo è pumice candido fons ebulliens, murmure gratiſſimo devolvitur, & arva gemmantia fœcundiſſimis irrigat undis &c.

PRAXIS IV.

Imi-

Imitatio Lyrici Sarmatici, Mathiæ Sarbievij, incitantis Polonos in Scythas Podoliam vastantes, Lib. 4. Ode 5.

Æterna labes, nec reparabile
Polone damnum! Podoliam Getæ
Impune vastare, & dolendas
Ponè Tyram numerare prædas!
Eheu pudendum! Threicij canes
Egêre præ se non popularium
Armenta damarum, paternis
Non iterum reditura lustris!
Pars impudicis vendita Thracibus,
Pars Tauricanos jussa sequi Scythas:
Eheu! Gelonorum Polonis
Strata canum caluêre nuptis!
Heu rumpe somnos, & vigiles age
Polone curas; nec revocabili
Diffide fortunæ, aut fugaci
Anteveni tua fata tergo!

Imitari soluto stylo sic possumus.

Dedecus infandū! Labes æterna Poloni nominis, irreparabili juncta damno! Bacchatur impunè ferro & igni babarus Scytha; Podoliam, Provinciarum fertilissimam, diripit inultus, partamq; incomparabilem prædam, ponè Tyram numerat, dividitq; securus! Probrum, eheu! pudendum! Non greges solùm copiosi, non armenta tantùm numerosa; Cives, Poloni Equites, Equitū flos, cum liberis & conjugibus, pecudum in morem, abiguntur) ca-

privi, venduntur, canibus Treicijs prostituuntur, atq;, ut Lyricus noster inter gemitus ringitur, *Gelonorum colon: Strata canum caluere nuptu*! Quis deploraret satis liberæ gentis tam duram, tamq; fœdam servitutem? Sed quid lacrymas imploro, dum iras, & vindicem furorem poscit ignominia tanta? Expergiscere tandem è fatali lethargo Polonia. Revocabilis est, quæ te deseruit fortuna. Martios, quibus fervebas, resuscita spiritus; audaces fortuna juvat. Probrum est indelebile, fugaci tergo sua an evenire fata, & perire malle, quàm pugnare.

Vides, Florimunde: ut decenter imitari Pòëtas possumus, non solùm in descriptionibus accuratis; verùm etiam ubi in affectus erumpunt graviores, & stylo assurgunt grandiore. Illud autem inprimis necessarium est: ut Pòëtam plenè intelligas; & spiritum ejus, quantum potes assumas, semper tamen memor modestiæ & gravitatis Oratoriæ. Sententiæ elegantiores, & verba graviora, magisq; sonantia, subinde non mutata adhiberi possunt. Nemo te furti jure arguet: si aliena sic feceris tua. Postquam igitur scribendum aliquid assumpseris: collige animum, & refrica memoriam: an aliquid simile legeris, vel annotatum habeas? Tum procede secundùm datam doctrinam, & proposita Exempla.

INSTITUTIO V.

De arte rudes locutiones exornandi, & in Periodos tornandi.

§. I.

Quomodo rudes Latinæ Locutiones cultiùs sunt efferendæ?

FAmiliare eſt Magiſtris Grammaticæ, diſcipulis conſtructionem verborum utcunq; callentibus, tradere Sylvam quandam Phraſium, ſeu formularum cultiùs loquendi Latinè. Quod quàmvis non inutile ſit, imò gratias mereatur: ubi ad Humaniores ſcholas aſcenderint adoleſcentes; utilius eſt & commodius: ut diſcant modos, quibus ipſi ſibi formare poſſint phraſes, ſatis elegantes in quavis materia. In hunc finem accipe, Florimunde, Induſtrias ſequentes: ut ſicut amans es compti capillitij & amictûs; ita aſſueſcas comptè loqui, & ſcribere.

I. Exornantur & attolluntur rudes locutiones COMMUTATIONE: & quidem 1. permuttando Adjectivum in Subſtantivum ſimile, addito verbo competente. v. g. Pro Doctus eſt; Doctrinâ excellit. Negligens eſt, Negligentiâ ſordeſcit. Pius eſt, Eminet pietate. 2. Permutando verbum in Subſtantivum ſimilis ſignificationis. v. g. Pro Legit, Lectione occupatus eſt, vel diſtinetur. Amat, Amore ardet; Odit, Odio tabeſcit &c. Eſt enim ſpecialis elegantia, ſi nomini addatur verbum elegans;

ut non ſimpliciter dicatur: Amorem, vel odium erga alterum habet,

II. ADIECTIONE. Et quidem 1. Adjectione alicujus opportuni Adverbij ad nomen Adjectivum. v. g. Perquam doctus eſt, Mirum in modum prudens, Multùm, Oppidò, Inprimis, Plurimùm, Certè, Sanè, Maximè, Impensè, Eximiè, Exquiſitè, Magnoperè, Apprimè doctus &c. Quæ adverbia etiam Verbis apponi poſſunt. 2. Adjectione Epithetorum. v, g, Eſt in homine doctrina ſingularis, eximia, rara illuſtris, divina &c. Creſcit magis elegantia, ſi verbum elegantius, ſeu plus ſignificans, adjiciatur. Ut Excellit doctrina ſingulari, Non vulgaris; ſeu Rara, in eo relucet doctrina &c. 3. Adjectione alterius Subſtantivi, unde alterum in caſu genitivo efferri debet. v, g. Studia literarum diligenter tractavit, inſignem eruditionis copiam ſibi comparavit, Inſigni formæ gratiâ excellit; pro formoſus eſt &c. Specialis autem gratia accedit locutioni, ſi alterum ſubſtantivum ſit Metaphoricum.

III. ADDITIONE Nominum, vel verborum ſynonimorum; id eſt, idem ſignificantium, ita tamen, ut unum altero plus ſignificet. v. g. Abijt, erupit, exceſſit, evaſit, Malus, improbus, impius. Negligens, deſes, iners, Diligens aſſiduus, indefeſſus in ſtudijs &c.

IV. Apto uſu particularum quarundam. Alias enim pro alijs ponunt Authores probati. v. g. A morbo imbecillitatẽ habeo: id eſt, Ex morbo

morbo. Continuò adero; pro Statim. De meo ſolvam; pro Ex meo. De ſcripto recitare; id eſt, Ex ſcripto. Non feci eo, quo te affligerem; id eſt, Ideo, ut &c.

V. Particulis comparativis pulchrè efflore-ſcit, & amplificatur oratio. v. g. Pro hac locutione, *Cicero eſt eloquentiſſimus*, elegantius dices: Nemo omnium tantâ floret eloquentiâ, ut Cicero. Nemo alius ita, ut Cicero, dicendo valuit. Quanta ſit Ciceronis eloquentia, oratione quis explicet? Longè eloquentior eſt Cicero, quàm deſertiſſimi quiq;.

VI. Particulis Copulativis, ſeu inciſa inciſis, vel membris membra connectentibus, etiam egregiè ornatur & creſcit oratio. v. g. Et copioſiſſimus, & elegantiſſimus in dicendo eſt Cicero. Neq; copiâ, neq; elegantiâ quiſquam Cicerone major eſt. inſigni cùm copiâ, tum elegantia floruit Cicero.

VII. Troporum elegantiorum uſu eximiè ornatur oratio. Sic per *Antonomaſiam* dices: Romanæ Eloquentiæ principem & parentem, Veneratur omnis ætas. Per *Metonymiam, ponendo ſignum pro re*: Eloquentiæ palmam omnibus præripuit Cicero. Per *Metaphoram*: Ciceronianæ Eloquentiæ flumen, quem non rapiat in admirationem?

VIII. Figuræ tam verborum quàm ſententiarum, plurimum conferunt ad elevandam orationem. v. g. *Per interrogationem*: Quis cum Cicerone contendat de palma Elo-

quentiæ? *Per exclamationem*: Superi! Quantâ viri illius Eloquentia! *Per Conduplicationem*: Non eſt, non eſt, qui cũ Cicerone conferri queat. *Per Repetitionem*: Cicerone nihil diſertius, nihil elegantius, nihil eruditius, nihil fortius in perſuadendo.

IX. Similitudo apta illuſtrat, & ornat. v. g. Sicut vaſtum flumen omnia perrrumpit obſtacula: ita Ciceronis eloquentia, etiam obſtinata corda rapit animoſq;. Quod eſt Cedrus inter arbores, hoc Cicero inter Oratores. Qualis ſol inter aſtra cæli, talis fulget inter ingenia Rhetorum Cicero.

X. Non inutile tyronibus exercitium eſt, variare locutionem aliquam per Caſus, Tempora & Modos. Per Caſus ſic variari poteſt hæc Propoſitio, *Petrus eſt valde doctus*. Nominat. Petrus eſt excellenti doctrinâ. *Genit*: Petri doctrina eminet inter omnes. *Dativ*: Petro ſingularis ineſt doctrina. *Accuſat*: Petrum quis æquat in doctrina? *Vocat*: O Petre, prorſus eximia eſt doctrina tua. *Ablat*. A Petro poſſidetur doctrina inſignis. Eodem modo variari per caſus poſſet nomen DOCTRINA. v. g. Doctrina Petri eſt eximia. Doctrinæ omnino ſingularis eſt Petrus. Doctrinæ Petri quæ ſimilis? Doctrinam Petri mirantur univerſi. O doctrina Petri quàm excellens es! Doctrinâ Petri ſuperamur omnes.

PER TEMPORA ſic: Admirati ſunt doctrinam Petri, quotquot illum diſſerentem audierunt.

Mira-

Miramur nos, qui ab ejus ore, velut Herculis Gallicani catenis, pendemus. Mirabitur sera posteritas &c.

PER MODOS SIC: Commendat Petrum doctrina insignis. Dicite, qui Petrum differentem audistis, quanta vos cepit cum admiratione voluptas? O si assiduè ob ore illius pendere liceret! Cùm pridem doctrinam Petri suspexerim: non possum non illum plurimi facere. Audivisse raram Petri doctrinam, magna felicitatis meæ pars est &c.

§. 2.

Referuntur Particulæ quædam ad elegantiam orationis apprimè conducentes.

PArticularum nomine intelligo Adverbia quædam, Conjunctiones, Interjectiones, & similes dictiones; quibus Cicero potissimùm usus, insignem stylo suo conciliavit gratiam. Sunt vélut Idiotismi quidam Ciceronis; id est Modi loquendi ipsius proprij. Collegit eas Particulas copiosiùs Tursellinus noster Opusculo speciali (cujus Præfationē juvat attentè lustrare) è quo excerptas quasdam proponit Balbinus in Quæsitis Oratoriis Part. I. Quæs. 15. quas hìc do, additis nonnullis.

A vel AB eleganter denotant munus alicujus. v. g. Est illi à secretis, ab Epistolis, à Rationibus &c. Cum verbo neutro significant causam. ut, Perijt ab hoste, à sole micat. Ponuntur etiam loco *Pro.* Ut, A nobis est. A Se-

natu ſtat. Et pro *Poſt*: ut A prandio, à cœna venia

AB non ſolùm ante Vocales & Aſpirationē H: ſed etiam Conſonantes L, R, & J. ponendum. ABS ante T & Q.

AC in principio periodi bene ponitur. v. g. Ac primò quidem &c. Ac ne fortè, mireris, cur &c. Subjungi etiam amat dictionibus Aliter, perinde, ſecus, æquè. v. g. Non aliter ac vivus homo. Non ſecus ac vir maturus. Perinde ac ſi nihil pateretur. Æquè ac ſi &c.

ADEÒ exclamationi ſervit. Jungitur cum *Vt*. v. g. Vultu eſt adeò venuſto, ut nihil ſuprà. Etiam initio ſententiæ pulchrè ponitur. v. g. Adeò à teneris conſueſcere multum eſt.

AD ponitur bene pro *Juxta*, ſeu *Apud*, vel *Propè*. Ut Ad urbem pugnatum. Ad caminum ſedere. Spatiari ad ripam fluvij. Ad arbitrium tuum fiet. Item pro *Propter*. Ut Ad hoc miſſus eſt. Ad umbram trepidat. Item loco *Præ* in comparatione. Ut Nihil ad illum eſt. Nec comparandus quidem ad illum. *Dicitur etiam*: Ad ſummum. Ad extremum. Ad mille hoſtes cæſi. *Livius*. Ad unum omnes cæſi.

AGE SIS. Pro Si vis. SODES, pro Si audes.

ALIQUANDO pro Tandem.

ALTERUM TANTUM pro adhuc ſemel tantum.

AN pro Vel, dum interrogamus. Non comptè dicitur: Fuitne domi, vel non?

AT ETIAM, cùm iraſcimur ſervit.

BENE pro valdè. Ut Bene doctus, Bene manè.

BREVI pro Breviter. Brevi aliquid expedire.

Ponitur

Ponitur etiam pro Paulò post. In brevi te videbo. *Cic.*

CÆTERÙM, pro De reliquo. CÆTERA pro Aliàs. v. g. Hoc non advertit, cætera sciolus & catus. CONTINENTER pro sine intermissione.

CONTINUÒ pro Statim, non pro Assiduè.

CONTRÀ adverbialiter, Non E contra.

CONTRÀ AC, vel atq; pro Aliter.

DE MEO, DE TUO. Id est, Sumptibus meis, Vel tuis. Ponitur etiam pro Ex. Ut De integro. Varijs de causis. Unus de illis. De amicorum sententia hoc feci.

ECQUIS, ECQUANDO? Est fortior interrogatio.

ENIMVERÒ Affirmandi vim habet.

EÒ QUO. pro Eò quod; vel Quia.

ETIAM ATQ; ETIAM pro Iterum iterumq;

FACILÈ, additum superlativo, vel simili nomini, significat: Sine controversia, sine dubio. Ut. Facilè doctissim⁹, Facile princeps inter doctos. FORTÈ non solùm significat dubium, sed etiam casum. Fortè accidit, ut &c.

JAM DIU, & JAM PRIDEM, differunt. Illud enim notat continuationẽ tẽporis; hoc temp⁹ remotũ

ID cum genitivo ponitur. Ut Id ætatis homo. Id temporis venit ad me. Dicitur etiam: Aliquid id genus. Cætera id genus.

IPSIS TRIBUS ANNIS. Pro integris trib⁹ annis.

INDIDEM, idem est ac, Ex eodem loco.

IN Præpositio ponitur loco *Pro*, præsertim in distributionibus. Ut in singula capita datus aureus. Item pro *Ergà*. Multa sunt ejus

in me beneficia. Item pro *Contrà*. Ut, dicere in aliquē. Itē, pro *Inter*. Ut In doctis censetur.

IN MANIBUS EST. Vel, Inter manus est, v. g. Liber: pro Obvius, & notissimus est.

INTER MANUS pro mortuo sublatus est. Id est, tanquam mortuus portatus est.

INTELLIGI LICET: pro Intelligere.

IN ORBEM. Id est, per vices. IN SPECIEM, pro simulatè.

ISTIUSMODI, HUIUSMODI, EIUSMODI, pro Tali.

ISTUC pro Istud. ITIDEM. pro similiter.

ISTE; sine alio nomine addito contēptū sonat.

ITERUM, pro Secūdò. Ut semel, iterū tertio &c.

LABORARE ex capite, oculis &c pro Ægrotare

LICET cum infinitivo, pro Possumus.

LONGè MULTūq;, pro Diligenter, seu Insigniter

MECUM FACIT: pro Mihi consentit.

MINIMùM dicit Cicero sine addita præposi: ubi vulgus Ad minimùm.

MIRIFICè, Mirum quàm, Mirum quantum. pro Valde, seu Vehementer.

MODò. pro Paulò antè. Item pro Si, seu dumodo. Modo id facere possim. Modò nos fortuna juvet. Modò non sit negligens

NÆ, graviter affirmandi vim habet, ùt *Pro fecit*. Næ ille vir doctus est.

Nè DICAM, est correctio modesta.

NEq; DUM, pro & nondum.

NIHIL SUPRà, pro superlativo. Fortunatus, ut nihil suprà.

NIHIL TANTI EST, ut &c. pro non expedit.

NIMI-

NIMIUM QUANTUM. pro Valde.

NULLUS. pro Non. Nullus dubito.

NUSQUAM, USQUAM, & USPIAM, melius dicitur quàm Nullibi, Ullibi.

OMNIS. pro Totus. Omnis Exercitus fusus est. Omnis Asia subacta.

PER. pro Propter. Per ætatem ei hoc non licet. Item pro, *Sub*. Per speciem humanitatis. Id est, Sub specie.

POSTRIDIE. pro sequenti die. PRIDIE, pro præcedenti.

PRÆTER & PROPTER, pro Ante, seu Prope. Præter oculos transiit. Præter ripam ambulavi, vel Propter ripam.

Primus, Alter, Terti⁹; meliùs dicitur, quàm Primus: Secundus, Tertius. Quando adverbialiter ordo plurium actionum referendus est: adhibentur particulæ istæ: Inprìmis, vel Primùm, Deinde, Postea, vel Pòst, Tum Tandem, Postremò.

PRO bene ponitur loco Juxta. Ut, Pro tua diligentia. Pro viribus meis annitar, ut &c.

Quà pro Tum, vel Et, dum repetenda essent. Ut, Quà ingenio, quà memoriâ

QUÀM eleganter adhibetur optando. Quàm cuperē, videre te. Cupio, quàm qui maximè, videre te.

QUI, pro Qualis. QUID, pro Cur? Quid est, quod non veneris? Quid est hominis, pro Qualis homo. QUID MULTA? vel Quid multis? seu Quid plura? narrationem abrumpentis

est. QUID QUOD, instantis, seu urgentis est.

QUIN pro Cur non. Quin tu librum arripis? Ponitur aptè post Non dubito, Non prætermittam, non possum. v. g. Non dubito, quin hoc facturus sis. Non prætermittam, quin te visitem. Non possũ committere, quin te certiorem faciam.

QUOAD, pro Quantùm, vel Quòusq;. Quoad potuit, fecit. Quoad ejus facere possum. Quoad ejus fieri poterit. Quoad vixit. In enumeratione non dicit Cicero; Quoad primũ, Quoad secùndum &c. Sed, Quod attinet ad primum &c.

Quò ponitur etiam pro Quòd. Non quò dubitem: sed &c.

QUORSUM hoc fecisti? Id est, Ad quẽ finem

QUOTUS QUISQ;, dum causa redditur, eleganter interpungitur particulâ Enim. Quotus enim quisq; est. qui &c.

RES pro negotio. Res tua agitur. Res est mihi cum illo. Item pro commodo. Est in rem meam. Non est è re mea, ut &c. Itẽ pro bonis & opibus. Augere rem. Amicos res invenit. Re & consilio juvare.

Si DIIS placet. Sæpe Ironia est.

SIC SUM, pro ita comparat⁹, seu constitut⁹ sum

SIMUL duplicatum celeritatem significat. Simul audivit jubentem, simul consurrexit.

SIS, pro si vis. Accede sis. Refer animum, sis, ad veritatem.

SUB pro Paulò antè, vel ad initium. Sub

aurorã

auroram, Sub noctem, sub meridiem, sub finem operis.

TAMENNE, Interrogatio est cum expostulatione. His territi periculis, tamenne audebitis?

TEMPORI, venit: id est, in tempore.

UBI, pro Postquam. Ubi galli cantum audivit. Cic.

VEL, pro Etiam. Vel perire maluit, quàm non vindicare. Non arguet hoc vel doctissimus quisq;.

VEREOR, NE HOC NON FIAT: pro Vereor, ut fiat. Non vereor, ne hoc non fiat: pro Certus sum, quòd fiet.

VIDERE EST, dicunt Historici; VIDERE LICET, Oratores.

ULTRA QUAM Superlativis additur. Vir, ultra quàm dici potest, doctissimus

UNUS è MULTIS, contemptum significat. UNUS ALIQUIS pro Quidam.

UT, eleganter servit admirationi. Ut ridet! Ut triumphat! UT CùM MAXIMè, auget & exaggerat. v. g. Hodie peroravit, ut cum maximè, eleganter. UT NE, pro Ne. Mando, ut ne facias. UT UT, pro Quomodocunquè. Ut ut se res habet, spero &c. UT, pro Postquam. Ut ab urbe discessi.

Hæc de PARTICULIS: quæ quidem minutæ sunt; magnam tamen orationi conciliant gratiam, dum loco comodo adhibentur. Sunt & aliæ Particulæ quarum us9 est in nectendis Orationis membris & periodis. Suppeditabun-

tur Paragrapho seq. nonnullæ. Plures observabis ipse in Cicerone, aliisq; Authoribus Classicis; si quæ tibi cura est Elegantiæ in scribendo; annotabis, atq; in usum deduces.

§ 3

De Periodis Oratorijs formandis.

AD elegantiam Orationis, Florimunde, pertinet: non solùm ut probâ constet Latinitate, & phrasi culta; verùm etiam ut omnia probè sibi cohæreant, & non sit oratio velut scopæ dissolutæ, aut acervus lapidum, temere congestus; sed instar aureæ catenæ ex pluribus annulis contextæ. Annulorum istorum speciem præferunt & munus obeunt, certæ sententiarum circumductiones, quas Rhetores vocant Periodos: quibus scitè formandis hic operam dabimus: tu vide, ut ne desis frequenti exercitio, quod tyronibus non tantum est perutile; sed planè necessarium.

Quæres I. Quid est Periodus Oratoria? ℟ cum Aristotele: Est *Oratio, cujus principium & finis in conspectu est, & uno intuitu facile spectari potest.* Seu, Est Oratio brevis, cujus perfectus sensus haberi non potest, nisi cognito simul principio & fine ipsius. Ita enim omnes ejus partes secum nectuntur; & ab invicem pendent: ut plené intelligi non possit, donec finem, videas, & initij memineris. Unde Cicero dixit: Periodum esse Orationem in quodam

dam quaſi orbe incluſam, & procurrentem quoad inſiſtat in ſingulis abſolutis ſententijs. Et paſſim vocatur Circulus, Ambitus, Circū-ſcriptio & comprehenſio. Exempla in Cicerone creberrima ſunt. Ut 1. de Offic. *Vix invenitur, qui laboribus ſuſceptis, periculisq; aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum, deſideret gloriam.* Et in Catone Majore: *Perfecti homines, & excellentibus ingenijs præditi, excitantur ſpe gloria.* Non enim plene intelligis: quid conveniat perfectis hominibꝰ, donec audias eos excitari ſpe gloriæ

Quæres 2. Quæ ſunt Partes periodi?

℞. Commata & membra: Protheſis & Apodoſis. COMMA quod Latinè *Inciſum* dicitur, eſt pars periodi breviſſima, imperfectum aliquē ſenſum exhibens v. g. Etſi vereor judices: Dicitur *Pars breviſſima:* quia ultra decem ſyllabas non extenditur: quamvis in duabꝰ etiā, vel unica conſiſtere poſſit. Aliqui etiam illa vocabula, quæ perfectum habent ſenſum, etiamſi unica vel duo tantum ſint: vocant commata; Ut *Actum eſt. Fuimus Troes. Nequaquam.* Sed nomen Inciſi videtur ſignificare partem periodi diſtinctam, & quaſi inciſam, ſeu præciſam ab alia.

Membrum, quod Græcè Colon dicitur, eſt paulò prolixior pars periodi, imperfectum ſenſum habens. Differt ergo à commate ſolo majore numero ſyllabarum, uſq; ad 20 & ultra aſcendentium. Quodſi valde ſit prolixum; vocatur Schinotenes, ſeu membrum Schinotenicum

tenicum: quale est secundum membrum peri-odi suprà cit: ex 1. Offic. Ciceronis. Componitur autem non rarò Colon, seu Membrum ex duob9 vel plurib9 incisisi ut ibidem.

Prothesis periodi est primum ejus membrum, sensum inchoans & suspendens. *Apodosis* est alterum membrum, seu altera pars periodi, respondens priori, & complens sensum orationis. In periodo Unimembri non est quidem explicita Prothesis & Apodosis: est tamen implicita, ita ut ea periodus facile resolvi possit in Bimembrem v. g. *Nemo, sine magna spe immortalitatis, se pro patria offert ad mortem:* dixit Cic. lib. 1. Tusc. Bimembris fieri potest sic: Nemo se unquam offert ad mortem pro patria; qui magnam habeat spem immortalitatis.

Quæres 3. Quotuplex est periodus?

R/. Alia est Unimembris, alia Bimembris, Trimembris, Quadrimembris, Pneuma, & Tasis.

Unimembris, quæ Græcè *Monocolos* dicitur, est quæ unico constat membro, sed quod Commate aliquo intercisum est. v. g. *Nulla capitalior pestis, quàm corporis voluptas, hominibus à natura data est.* Cic. in Catone M.

Bimembris, quæ *Dicolos* Græcè dicitur, constat membris duobus. Ut *Vitium ventris & gutturis non modò minuit ætatem hominibus: sed etiam aufert eandem.* Cic. pro Cælio.

Trimembris, quæ *Tricolos*, tribus constat membris, Ut, *Nihil altum, nihil magnificum ac divinum suscipere possunt: qui omnes suas cogitationes*

nes abjecerunt in rem tam humilem ac vilem; atq; est corporis voluptas. Idem in Lælio

Quadrimembris, Græcis Tetracolos, constat membris quatuor. Ut, *Qui volupatibus ducuntur, & se vitiorum illecebris, atq; cupiditatum lenocinijs dediderunt: missos faciant honores, nec attingant remp.* Cic. pro Sestio.

PNEUMA est tam prolixa periodus, ut vix uno spiritu pronunciari possit. TASIS est, si non possit. *Ut*, Si quis hoc robore animi est, atq; hac indole virtutis ac continentiæ; ut respuat cæteras omnes voluptates, omnemq; vitæ suæ cursum in labore corporis, atq; in animi contentione conficiat; quem non quies, non remissio, non æqualium studia, non ludi, non convivia delectent; nihil in vita expetendum putet, nisi quod est cum laude & honore & cum dignitate conjunctum: hunc meâ sententiâ divinis quibusdam bonis instructum atq; ornatum puto. *Cicero pro M. Cælio.*

PERIODICA CIRCUMDUCTIO vocatur, quæ est aliquo modo similis periodo: non tamen habet debitam membrorum proportionem, vel connexionem *Ut*, Sit hoc à principio persvasum hominibus; dominos esse, ac moderatores rerum omnium Deos: eaq; quæ geruntur, eorum geri ditione, atq; numine, eosq; optimè de genere hominum mereri: & qualis quisq; sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, intueri; piorumq; & impiorum habere rationem. *Cicero lib. 2*

lib. 2. de leg.

Quæres 4. Quomodo Membra membris, & Periodi Periodis sunt connectendæ? R. Exemplo Ciceronis, utendum est varijs Particulis, quæ in hunc usum apprimè conducunt. Ad membra nectenda servient istæ: Tam, quàm vel ut; Tantum quantum; Tantò, quantò; Quò eò, Cùm tum; Si tum; Relativæ Qui, vel quis, Quæ, Quod; Adeò, vel Ita, Ut; Et plures aliæ, quæ vim copulativam habent.

Periodis connectendis servient. Neq;, enim, Siquidem, Nisi forté, Sed quamobrem, Reliqua verò, An est quisquam, Quodsi, Cur, igitur? Atqui, Mihi verò. At enim. Verumenimverò, veruntamen, Perinde quasi, Quonam igitur pacto, An verò, Quid quod, Huc accedit. Ad illud venio. Ad alia festinat oratio &c.

Quæres 5. Quibus pedibus inchoandæ, & terminandæ sunt Periodi?

R. Nullam esse universalem regulam, præter eam: Ut non simus nimium soliciti de his pedibus, nec semper, aut frequenter adhibeantur ijdem. Nam ut ait Cicero in Oratore: *Primùm numerus agnoscitur, deinde satiat. postea cognita facilitate contemnitur.* Varietas igitur adhibenda est. *Numerorum vicissitudines efficient: ut neque ij satientur, qui audient, fastidio similitudinis; nec nos id, quod facimus, deditâ operâ facere videamur.* Postquam animo concepta & definita fuerit sententia: sponte fluent verba, & ipsa ordinabit natura, quæ primò, quæ ultimò sint ponenda

nenda: quemadmodum scribentibus non multùm est, cogitandum de numero & ordine literarum, sed ipsæ ultro veniunt in contextū verborum. Observandum tamen communiter, exemplo Ciceronis: ut verbo aliquo grandiore, vel uno alterove spondaico, terminetur periodus. Sic Cicero dixit: Cum exercitu & victoria conferatis. *Et* Accessisse sublevandam quæ maximè laboraret. *Et* Eos Martis via perculit, non ira victoriæ. *Et* Victorijs illustratæ sunt. Verùm id perpetuum esse non debet, ne videatur affectatum: & in scribendo minus ad hoc attenditur, quàm in declamando, ubi aures impleri debent.

Idem tenendum de membrorum & incisorum numeris: ut non appareat de industria quæsita æqualitas. Isocrates quidquid dicebat in quadrum fere redigebat. Sed id alijs visum, non imitandum.

Quæres 6. Quando & Quomodo utendum Periodis? R. Periodis accuratè formatis utendum in genere demonstrativo. Membratim & cæsim dicendum in arguendo, refellendo, certando cum adversarijs, & in affectibus gravioribus. Schinotenes, Periodica Circumductio, Pneuma, & Tasis adhibenda, cum de re magna agitur, cùm plura denso agmine proferenda argumenta, dissolvendæ rationes oppositæ; quando totum aliquod dividendum in suas partes, quando omnes, vel complures res gestæ alicujus, aut crimina, aut beneficia &c.

sunt

sunt enumeranda &c. Attendat deniq; Orator ad firmitatem laterum suorum: ne prolixiore utatur stylo, quàm decenter enunciare possit.

INSTITUTIO VI.

De Amplificatione

QUàm delicatæ sunt aures hominum; tàm obstinata corda. Ad illas demulcendas, opus est oratione ornata & eleganti: ad hæc subigenda, forti & ampla. De ornatu actum Institutione præcedenti: hic declarandum; quomodo brevis oratio, seu sententia, copiosè valideq; amplificari, seu decenter facilè solidèq; extendi possit. Hærent enim plerumq; tyrones, ut naves in vado, circa propositam sibi materiam; dum non inveniunt, quo chartam impleant; vel certè implent illam meris ac vanis verbis, seu Phrasibus. Quod quidem posterius illis vitiò vertendum non est; cùm præstet abundare verborum copiâ, quàm deficere: instruendi tamen sunt, quomodo non solâ verborum spumâ, sed velut ossibus & nervis dilatanda sit oratio, seu sententia.

§ I

Quomodo instituenda sit solida Amplificatio.

CIrcumfertur ex Isocrate definitio Amplificationis: quod sit *Ars ex parvis magna, ex angustis ampla faciendi.* Sed ea meritò

meritò cæteris visa est nimis laxa, adeòq; restrictione indigere. Non enim velut vento, follium instar distendenda est oratio. Addendum igitur: quod sit Ars ex parvis magna, & ex angustis ampla, eleganter SOLIDEQUE faciendi. Quod quomodo fieri possit: varij varios tradunt modos. Missis alijs, minuta tradentibus, Quintilianus lib. 8. Instit: c. 4. modos amplificandi ad 4. genera revocat, scilicet Incrementum, Comparationem, Congeriem, & Ratiocinationem.

I. INCREMENTO amplificatur oratio, seu sententia; quando à minoribus ad majora, ac tandem ad summum, velut gradatim ascendimus. Sic Cicero ; in Verr. hanc propositionem, *Nefas maximum est, crucifigere civem Romanum* amplificavit: *Facinus est, vinciri civem Romanum, scelus verberari, prope parricidium necari, quid dicam in crucem tollere? Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest.* Aliquando non fit ascensus talis à levioribus ad graviora: sed id, quod est per se gravissimum, repetitur, seu conduplicatur. Ut, *Matrem tuã occidisti: quid dicam amplius? Matrem tuam occidisti!* Subinde singula verba Incrementum admittunt adhibitâ figura Correctionis. Ut in Verr. 1. *Non enim furem, sed ereptorem; non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ; non sacrilegum sed hostem sacrorum, religionumq́; non sicarium, sed crudelissimum carnificem civium sociorumq́, in vestrum judicium adduximus.* Vides, non verba solùm

lùm multiplicari; sed orationem crescere per res ipsas, seu per atrociora semper facinora verbis sonantibus expressa?

II. COMPARATIONE insigniter amplificatur sententia: ut quando res inter se diversæ, vel dissimiles, vel similes, vel æquales, vel majores cum minoribus, aut contrà, comparantur. Sic propositio hæc *Societas mala corrumpit Adolescentes*, amplificari potest. Ut à morbo formæ elegantia, ab Aquilone hortorum gratiæ, ab aspersis maculis purpuræ decus, à nebularum fæce serena cæli facies: ita improborum consortio Angelica adolescentum vita corrũpitur. Nitent illi specie, florent ætate, rubent verecundia, fulgent virtute: at ubi eos perversæ societatis afflaverit lues; defluit species, marcet ætas, pallet vultus, extingvitur virtus ut nihil, nisi vastitas, deformitas & horror supersit. Funestam patitur cladem à dira morte florentissima juventus: at multò funestiorem à socijs pravis, & corpora, & animas mittentibus in gehennam.

III. CONGERIE, seu CONGLOBATIONE, rerum & sententiarum, institui potest amplificatio; complures sententias, vel rationes coacervando, easq; membratim, vel incisim efferendo. Cavendum tamen; ne nimis longus tractus eodē tenore verborum texatur. Sic Iuvenem improbum perstringendo, amplificari posset hæc propositio *Turpiter à majorum virtute degenerasti*. Superi! quis tenebrio è tanta illustrissimæ stirpis

ſtirpis luce emerſit? quod pomum à proprio tam remotum ſtipite? quis tam nobilis familiæ ignominioſius abortus? Adeòne impudens omnem depoſuiſti frontem, ejuraſti mentem exuiſti pudorem: ut nec propriam ignaviam, nec infelicem Majorum tuorum, quibus turpem inuſſiſti notam, erubeſcas ſortem? Celebrantur avorum, proavorumq; tuorum, ac potiſſimùm parentis tui, viri fortiſſimi, ſapientiſſimiq;, in ſago invicta fortitudo, in toga civilis prudentia, in curia principum ſapientiſſima conſilia, in re œconomica ſingularis dexteritas. Aſt tua, quò tandem, collimant ſtudia, convertũtur curæ, impenditur opera? Vix ſomnũ abſterſiſti oculis; cùm ſubitò culinæ ac cellæ vinariæ te circumſtant curæ; accitis venatoribus, lanionibus, coquis & pocillatoribus, leges è lecto dicis egregius Dictator. Madent fratrum, cognatorumq; tuorum pectora hoſtili cruore: tu non niſi mero madere ſolitus, facto pridem rationis naufragio, Cyprijs uſtularis ignibus, emortuæ in degeneri nepote avitæ gloriæ vivum cadaver.

Multum vigoris & roboris habet hujuſmodi Conglobatio, præſertim ſi idoneæ adhibeantur figuræ: poteſtq; duci ex omnibus locis Rhetoricis, tam Intrinſecis, quàm Extrinſecis. Eò autem eſt præſtantior, quò denſior fuerit rebus potiùs & rationibus, quàm verbis. Eximia eſt illa, qua paulus Æmilius res à ſe geſtas in Macedonia expoſuit ſenatui Romano,

mano, Oratione, ut inquit Livius, memorabili, & digna Imperatore Romano. Sic ergo ille:

Profectus ex Italia, classem à Brundusio, sole orto solvi; nonâ diei horâ cum omnibus meis navibus Corcyram tenui; Inde quinto die Delphis Apollini, pro me exercitibusq; vestris, sacrificavi; rege ad pugnam coacto, acie vici, Macedoniam in potestatem populi Romani redegi; & quod bellum per quadriennium quatuor ante me consules ita gesserunt; ut semper successori traderent gravius; id ergo quindecim diebus perfeci. Dixit: non minorem in campo Eloquentiæ, quàm Urbe Romæ, meritus triumphum.

IV. RATIOCINATIONE Rhetorica instituitur Amplificatio, quando ut aliud crescat,; aliud, illi oppositum, exaggeramus & augemus. Sic exaggerari solet hostium potentia, & astutia; ut victorum elucescat major fortitudo, prudentia, & bellica industria: quemadmodum Annibalis ingenium & fortitudo, maximè commendat Scipionis virtutem & gloriam. Sic Cicero Or. pro Marcello, ut fortitudinem & clementiam Cæsaris exaggeret: auget hostium copiam & vires, atq; difficultatem in subigendo animo proprio, & parcendo hosti.

Domuisti gentes, *inquit*, immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: sed tamen ea vicisti, quæ & naturam & conditionem, ut vinci possent, habebant. Nulla est enim

enim tanta vis, tantaq; copia, quæ, non ferro ac viribus debilitari frangiq; possit. Verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modo extollere jacentem; sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego eum summis viris comparo; sed simillimũ DEo judico.

§. 2.

Declaratur modus Amplificandi per Locos Rhetoricos.

TOtam Amplificationis rationem optimè revocat Causinus lib. 5. c. 8. ad duo Capita; scilicet ad Locos Rhetoricos & Figuras. Patet id tum ex proximè allatis Exemplis, tum ex alijs, quæ passim occurrunt in Cicerone, cæterisq; melioris notæ Authoribus. Semper enim rationes dilatandi propositionem, vel sententiã aliquam, petuntur ex locis illis; ut Definitionibus, enumeratione Partium, Causarum, Effectuum, Antecedentium & Consequentium, ex Adjunctis, ex Cõparatione, Similibus, Dissimilibus &c. Quibus ut major addatur vigor & impetus: adhibentur splendidiores, vel graviores (prout materia exigit) Figuræ. Intexuntur autem scitè jam Loci locis, jam Figuræ figuris; jam Locis figuræ: ut illi istis gravitatem & soliditatem, istæ illis conferant spiritum & splen-

dorem. Quam artem ut assequaris, Florimunde:

I. Adverte: in quavis Propositione, seu Sententia perfecta, esse tria, Subjectum, Prædicatū, & Copulam. SUBJECTUM ordinariè est Nomen Substantivum, significans Rem vel Personam quampiam, de qua aliquid dicitur. PRÆDICATUM plerumq; est Nomen Adjectivum, vel Participium, significans id, quod de re, vel persona illa dicitur. COPULA est verbum SUM, connexionem inter prædicatum & subjectum significans; seu indicans, tale prædicatum verè convenire subjecto huic; vel non convenire, si Copulæ præfixa est particula Negativa *Non*. v. g. In hac propositione *Virtus est amanda*: Virtus est Subjectum; quia est id, de quo aliquid enunciatur. Amanda, est Prædicatum, quia est id, quod enunciatur de Virtute. Est, Copulam exhibet, quia affirmat, amorem verè convenire Virtuti, seu præstandum esse virtuti. Aliquando Propositio duabus solùm constat dictionibus: ut Petrus legit. Sed tunc licet non appareat explicitè Prædicatum & Copula; implicitè tamen continetur in verbo *Legit*. Dum enim dicitur, Petrus legit: sensus idem est, ac si diceretur: *Petrus est legens*. Doctrina hæc bene notanda, & memori mente reponenda est: donec plura te doceat Dialectica de his.

II. Dum voles Propositionem aliquam amplificare: vide inprimis quod sit ejus Subjectum, quod Prædicatum; & an hoc illi verè

conve-

conveniat, sive ex ipsa rei natura, sive ex causa alia? Tum accipe Subjectum, & vade cum illo sive per singulos (quod quidem necesse non est, nisi Exercitationis gratiâ) sive per præcipuos, Locos Rhetoricos Intrinsecos, qui Institutione sequenti proponentur & exponentur, considerando; an, & quid tibi suggerant pro amplificatione? Similiter, si opus sit, facies cum prædicato; imò & alijs dictionibus, si quæ notabiles in eadem propositione reperientur. Exẽplũ sit in hac propositione.

OTIUM EST VITANDUM JUVENTUTI.

Accipe Subjectum, quod est *Otium*, vade cum illo ad primum Locum Rhetoricum, qui dicitur Definitio, & considera quæ sit Otij Natura, seu definitio, vel descriptio. Occurret autem facile: quod Otium sit ignava cessatio à labore honesto, seu negotijs; quod per illud nihil homo lucretur, imò multum damni accipiat; quod diabolo aditũ præbeat ad tentandum, quod corrumpàt etiam optimos. Et jam habes satis copiosam materiam pro illo copiosiùs describendo. v. g. Otium, ignavum illud vitium, voraginem illam partorum bonorum, pulvinar illud diaboli, luem illam pestiferam mortalium etiam optimorũ; quis non censeat, Juventuti esse quàm maximè fugiendã?

Deinde accede Partium Enumerationem & Speciem; atq; dividendo Otium in quasdam partes seu species, videbis: Non solùm æstivum, sed etiam hyemale; non solùm Matu-

tinum, ſed etiam Meridianum & Veſpertinum Otium fugiendum eſſe Juventuti. Poſthac adire poteris Similitudinem & Diſſimilitudinem: ubi ampla ſeges tibi naſcetur verborum & conceptuum. Videbis Otium ſimile eſſe morbis peſſimis, lethargo, paralyſi &c. Aquæ ſtagnanti greges ranarum parienti, ignobili jumento Aſino &c. Diſſimile eſſe orbibus cæleſtibus & ſideribus, quæ ſemper ſunt in motu &c. Si inviſas Cauſas & Effecta Otij: non capiet charta omnem amplificationis materiem. Et ſic cæteri etiam Loci non parum in hanc rem contribuent.

Subjecto amplificato, procedere poteris ad Prædicatum, etiam ipſum ducendo per Locos Rhet. examinando ſpecialiter, Quare, & Quomodo ſit fugiendum, præcipuè Juventuti; quæ eſt Flos ætatis humanæ, facillimè corruptibilis; Vigor naturæ humanæ, rebus & negotijs magnis idoneus: Argumentum vitæ futuræ virilis & ſenilis &c. quæ omnia concludunt, imperantq; Fugam Otij.

Si te pigeat, varios adire Locos; reflecte ſaltem te ſuper illum vulgarem ADUNCTORUM Verſiculum. QUIS, QUID, UBI, QUIBUS, AUXILIIS, CUR, QUOMODO, QUANDO; & conſidera: Quis & qualis ſit, cui dicitur fugiendum otium? Quid & quale ſit Otium, ſeu quantus ſit Juventutis hoſtis? Quo loco, quove tempore potiſſimùm fugiendum ſit? Quibus modis & medijs, & Cur fugiendum ſit? Hæc pon-

derando, abundabis rerum & verborum copiâ, pro insigni solidaq; Amplificatione.

III. Ut Amplificatio luculentiùs crescat: vide, an in Notatis tuis, vel alibi, reperire possis Sententiā aliquā, Adagium, Exemplum, aut Emblema; (qui dicuntur Loci extrinseci) illudq; aptè insere, vel applica.

Sententiam reperies 1. in Sacris Literis Eccli. 33. *Multam malitiam docuit otiositas.* 2. In SS. Patribus. *Otium mater nugarum, & noverca omnium virtutum.* Bernard. in serm. 3. In Philosophis. *Otiosus non sibi vivit; sed, quod turpissimum est, ventri & somno.* Seneca in epist. 4. In Poëtis: *Otia si tollas, perirêre Cupidinis arcus.* Ovid. de remed. Amor.

Exemplum illustre habes 1. in Romanis, de quibus testatur Cicero lib. de leg. Nullam fuisse Romanis curam antiquiorem, quàm ùti caverent: ne pueri, adolescentes, & senes viverent inertes atq; otiosi: & tamdiu civitatis durasse gloriam, quamdiu adolescentibus Romæ vagari otiosis non licuit.

Confirmat idem M. Aurelius Imp. in epist. ad Pollion. Erat Romanis, inquit, lex sanctissima, & consuetudo longo usu confirmata: ne quis civis, qui libertate Romana frueretur, filium, ubi decimum ætatis complesset annum, per plateas vagabundum discurrere, pateretur. Mos quippe erat Romanis: ut ingenuorum filij usq; ad secundum ætatis annum lactarentur; ad quartum molliusculè indulgen-

terq; nutrirentur, ad sextũ usq; legendi, ad octavũ scribendi, ad decimum Grammaticæ initijs imbuerentur. Elapso decennio, adolescentes necesse erat certum opificium discere, animumq; vel ad studia literarum, vel ad res militares adjungere: ut ne Romæ otiosi vagarentur.

Severiùs Atheniensium legislator Draco statuit: ut, qui damnati fuerint otij, capite mulctarentur.

Talia si in promptu habueris: non erit tibi multum laborandum de verborum copia, quã res hujusmodi secum adferunt; insuper occasionem præbent varijs, quæ subjungantur, vel inferantur Figuris.

§. 3.

Proponitur modus Amplificandi per Figuras Verborum & sententiarum.

NOn est hic opus multis, aut subtilibus præceptis. Totum artificium patebit in Idea subjecta, de Otio Iuventuti fugiendo. Amplificari ea propositio potest

1. Per REPETITIONEM, membra aliquot, vel incisa inchoando ab eadem dictione. *Vt*, Nihil turpius est Iuventuti, nihil damnosius, nihil funestius Otio.

2. Per Conversionem, membra aliquot, vel incisa periodi terminando, eadem dictione. *Vt* Otium Iuventutis turpissima labes est, pretiosi temporis incomparabilis jactura est, florentis

tis ætatis peſtifera lues eſt: & amabitur?

3. Per Complexionem, tam in principio, quã fine verba eadem repetendo. Ut, Otio cùm nihil turpius ſit, nihil magis noxium ſit, nihil vitiorum feracius ſit: quis illud non fugiat?

4. Per Conduplicationem geminando dictionem eandem *Vt*, Fugite, Fugite Iuvenes optimi, peſtem hanc ætatis & virtutis veſtræ; Fugite otium &c.

5. Per Traductionem repetendo eandem dictionem cum aliqua diſtinctione, ſeu variatione ſenſûs. *Vt*, Iuvenem otio ſaginari cùm nihil aliud ſit, quam vitulum ſaginatum Plutoni immolare; quis hanc ſaginam non fugiat?

6. Per Polyptoton permutando Caſus, Genera, aut Tempora dictionis alicujus. *Vt*, Iuvenes naſcuntnr in ſolatium parentum, à Iuvenibus ſperat patria præſidium: at ſi Iuvenibus familiare fuerit otium, nihil fructus ab illis habebunt patres & patria. *Et*, Plenum otioſis eſt forum, plena gymnaſia, plenæ cellæ vinariæ: at vos inertem hanc turbam, & turbulentam luem fugere quàm maximè decet.

7. Per Synonimiam congerendo verba aliquot fere idem ſignificantia. *Vt*, ſit licet blandum, ſuave, ac jucundum otium: peſtis tamen eſt dira, horrida, abominanda.

8. Per Polyſyndeton conjunctiones iterando. *Vt*, Et ſenectuti, & virili ætati, & Iuventuti, & huic quàm maximè, perniciofum eſt oti-

otium

9. Per Gradationem, repetendo dictiones cum quodam incremento, seu ascensu ad majora. *Vt.* Otia pariunt pravas cogitationes, pravæ cogitationes desideria inhonesta, desideria actus vitiosos, actus vitiosi pœnas temporales & æternas.

Eadem est ratio procedendi per cæteras figuras, quæ verborum dicuntur. Veniamus ad figuras sententiarum, quæ ampliorem offerunt Amplificationis segetē.

10. Per Interrogationem institui potest Amplificatio, si interrogatio fiat, non ut aliquid ignotum resciamus; sed ut acriùs rem, vel adversarium, urgeamus; vel ex indignatione, admiratione &c. *Vt*, Quæ vobis mens, quæ ratio, quod consilium, Iuvenes? Otium amatis? Num cursu ætatis fatigati? Num laboribus fracti? Num curis & studijs exhausti? At ante paucos annos stadium vitæ ingressi estis, laborem omnem remis velisq; fugistis, curas in senium distulistis, palæstras literarias curiosi potiùs, quàm studiosi, frequentastis si tamen frequentastis. Qua igitur fronte otium postulatis? Quam temporum conditori & dispensatori DEO rationem dabitis, de horis, dieb9, mensibus, Annis dilapidatis?

11. Per Subjectionem, respondendo ad Interrogationem sive ad nos ipsos, sive ad aliū directam. *Vt* Quem putatis malorum omniū, quæ latissimè inundant Iuventutem, esse fontem? Otium est. Quis compositos, parentum

& præceptorum operâ, diſſolvit mores? Otiũ diſſolvit. Quis omni licentiæ laxat, ne dicam rumpit, habenas? Rumpit otium.

12. Per Anteoccupationem, ſolvendo maturè, quæ objici poſſent. *Vt*, Video, quod turpi ignaviæ prætendere poſſitis pallium; Invalidam ſcilicet ætatem, artus teneros, Animos uſu, experientiâ & altioribus diſciplinis nondum firmatos. At, mihi credite, nihil eſt unde majus robur, ſive corporibus ſive animis veſtris, accedat, quàm ab uſu diuturno & exercitatione aſſidua. Labor, labor, non otium, vegetat, ſolidatq; corpora; labor exercet, incitatq; ingenia, labor facit heroës eosq; immortales.

13. Per Proſopopœiam, inducendo loquentes perſonas mortuas, vel abſentes, aut res inanimes &c. *Vt*, Videor mihi audire, Iuvenes boni, avos atavosq; veſtros, non minùs acerbè, quàm lugubré, querentes de inertia veſtra. Hiccine eſt ſangvis, quem à nobis accepiſtis, ignavi nepotes, tam ſpiſſus, tam ignobilis, tã frigidus? Sic gloriam à nobis labore & cruore partam dilapidatis inertes? Ideo in hæreditatem noſtram, tam opimam, veniſtis; ut eam turpi otio prodigeretis? Ite degeneres, nec avitam gloriam veſtrâ inquinate ignavia.

14 Per Hypotipoſim, accuratè deſcribendo Iuvenem ignavum & otioſum. Triſte profectò ac deforme ſpectaculum, juvenis ignavus & otioſus! Caput, vel temere ſparſo plumeoq;,

capillitio horrescit, vel calamistro muliebriter cincinnatum splendescit; frons perfricta nihil prodit animi honesti; oculi emissarij in omnem voluptatis occasionē prospectant; genæ deposita verecundiæ purpurâ, vino rubent; os frequenti oscitatione ad aures distenditur, cor pravis ardet desideriis, manus defluunt dissolutæ, venter turpi saginâ tumet, genua sub pondere emasculati corporis labant: juvenem deniq; requiras in juvene; cujꝰ ædibꝰ vel fronti, rectè inscripseris illud Senecæ de ignavo Vacia: HIC SITUS EST VACIA: ante mortē non vivꝰ, ante virū vetulꝰ, v iva mortis ignobilis imago.

15. Per Exclamationem, miscendo indignationem dolori. *Vt*, O miseram & ignominiosam otiosi, ô felicem & gloriosam laboriosi Juvenis sortem! Crescit iste in jucundissimum DEo & hominibus spectaculum; occupatis omnium amoribus, occupaturus præcipuos quosq; patriæ honores & plausus: crescit ille in dedecus familiæ, in ignominiam propriam, in probrum patriæ. O infelicem nobilissimæ prosapiæ abortum! O fœdam vernantis ætatis labem! Quid vobis fugiendum videtur Juvenes, si otium amare potestis?

Sic per reliquas Figuras duci potest amplificatio: quarum aliquas in his ipsis deprehendes Exemplis. Perutile autem erit: si Magistri discipulis subinde hanc imposuerint occupationem; ut per certas Figuras amplificent aliquam propositionem; vel ipsi discipuli, liberis horis assumpserint hanc Exercitationem.

IN-

INSTITUTIO VII.

De Argumentatione.

ARgumentatio non ita propria est Philosopho: ut non etiam conveniat Rhetori, & Oratori; Siquidem ipsorum munus est; non solùm suaviter invitare, & blanda oratione allicere Auditores ad assensum: verùm etiam urgere, & reluctantes vi argumẽtorũ cõpellere. Manifestum id est in Cicerone, & duobus dicendi Generibus, Deliberativo, & Judiciali potissimùm. Videndum proinde: unde Rhetores argumenta petant: & quibus utantur argumentandi formis. Ut triũphet Orator, vincere primùm debet; ut vincat, armis & pugna opus est; pugnatur autem ratiocinando, & argumentando.

§ I

De fontibus Argumentorum, seu Locis Rhetoricis Intrinsecis.

ANtiquissimo more receptum est: ut argumenta, seu Rationes, probandi Propositionem aliquam quærantur in Locis, qui DIALECTICI dicti sunt, & Rhetorici etiam dici merentur tum ob frequentem Rhetorum ad illos recursum; tum quòd quibusdam, ut Notatione Nominis, Conjugatis, Similitudine & Dissimilitudine, Dialectici vix utantur. Dicuntur autem alij Intrinseci, alij Extrinseci.

Intrinseci Loci sunt, qui fundantur in ipsa rei, quæ probanda est, natura; vel in aliquo

connexo cum ipsa, aut discrepante ab ipsa. Tales Loci numerantur XVI. Ut, Definitio, Partium Enumeratio, Notatio Nominis, Conjugata, Genus, Species, Similitudo, Dissimilitudo, Contraria, Adjuncta, Antecedentia, Consequentia, Repugnantia, Causæ, Effecta, Comparatio. Quàmvis verò Rationes ex illis ductæ, non omnes sint æqualis roboris: conducunt tamen vel ad illustrandum, vel ad delectandum Auditorem: ut Notatio, Conjugata, similitudo & Dissimilitudo. Validissimæ petuntur ex Definitione, Partium enumeratione, Genere, Forma, Causis, Effectis, Adjunctis &c. De Extrinsecis locis agetur §. seq. Quod attinet ad Intrinsecos:

I. DEFINITIO est Oratio explicans Naturam rei per Genus & Differentiam. Ut *Homo est Animal rationale*. Virtus juxta Aristot: 2. Eth. 6. est *Qualitas quæ bonum facit operantem, & opus ejus bonum*. Seu est *Habitus cum recta ratione factivus*. Debet autem Definitio constare Genere, id est prædicato, tum rei, quæ definitur, tum pluribus alijs, notabiliter diversis, communi. Tale est in definitione hominis *Animal*; quia convenit & homini, & brutis, ut equo, bovi, leoni &c. In definitionibus Virtutis est *Qualitas*, & *Habitus*: quia etiam Vitia sunt Qualitates & habitus, pravi licèt. Debet etiam Definitio constare prædicato exprimente differentiam rei definitæ à quibuslibet alijs diversis. Tale in definitione

hom

hominis est *Rationale*: quia nullum aliud Animal præter hominem, est Rationale. In definitionibus Virtutis differentiam constituunt reliqua, quæ ibi ponuntur. Vitium enim nec est secundùm rectam rationem, nec facit operantem, vel opus ejus, bonum: sed potiùs malum, & detestandum.

Ducitur argumentũ à Definitione, quando ostendimus, talem actionem adversari naturæ rei, per talem definitionem expressæ. v. g. *Ebrietatem esse vitandam*: quia homo est Animal Rationale; Ebrietas autem impedit tollitq; usum rationis, & facit hominem bruto similem. Deinde quia adversatur Virtuti. Virtus enim est Habitus cum recta ratione factivus; qui facit operantē bonũ, atq; opus ejus bonum: Ebrietas autem est vitium opprimens rationem, & faciens inebriatum malum, & opera ejus mala. Cæterùm licèt argumentum à Definitione ductum, sit validissimum: quia tamen paucæ habentur accuratæ rerum Definitiones; Descriptionibus passim utuntur Rhetores, quæ largè vocant definitiones. Vide sup: pag. 73. Definitiones hominis: &infrà pag. 256. Definitionem Librorum.

II. NOTATIO est Nominis, seu vocabuli alicujus interpretatio, deducendo ejus originem, alludendo ad significationem originalem. Sic Cicero arguit, Verrem esse hominem nefarium, prodente id ipso ejus nomine, quod à verre porco, & à verrendo, deducitur: cùm

ille solitus sit verrere è templis aurum, è domibus supellectilem. Sic aliquem notare posses, ut ebriosum, eò; quòd Cerevisia cerebrū ejus sæpe visitet.

III. CONJUGATA sunt plura verba ab uno derivata: seu derivata cum primitivo. Sic probari potest adolescentem pudicum amandum esse: quia Pudicitia amatur, & pudor castæ mentis index est.

IV. PARTIUM Enumeratio est alicujus totius in partes suas divisio. v. g. Corporis humani in præcipua membra sua: Civitatis in Consules, Magistratum, populum, & plebem. Argumentum validum ducitur ex hoc loco vel affirmando aliquod totum esse tale, quia omnes ejus partes sunt tales; vel negando totum esse tale, quia nulla ejus pars est talis. v. g. Ut probes, Civitatem aliquam esse vitiosam: ostende & Magistratum, & populum, & plebem esse gravibus vitijs obnoxios. Et contra, Civitatem esse in bono statu: quia & Magistratus, & populus & plebs est observans legum &c. Debent autem partes omnes, vel saltem præcipuæ, enumerari; vel si prolixior esset enumeratio: subjungenda est clausula: *Et sic de cæteris.*

V. GENUS est Prædicatum commune, conveniens pluribus specie differentibus, seu notabiliter diversis. Ut animal, virtus, Ars &c. Nam & Animalia, & virtutes & Artes sunt variæ, & valde diversæ. Argumentamur à Genere

nere 1. quando id, quod constat convenire Generi, applicamus speciebus sub illo contentis v. g. Virtus est amabilis. Ergo & Iustitia, & Fortitudo, & Temperantia &c. Ars liberalis est studio digna. Ergo & Rhetorica, & Pöësis, & Philosophia &c. 2. Quando genus negatur de aliquo, omnes species sub eo genere contentæ negari debent de eodem. Ut, hæc res non est animal. Ergo nec est homo, nec eqvus, nec avis &c.

VI. SPECIES est natura com̃unis pluribus solo numero distinctis v. g. Homo significat Naturam humanam, communem Petro, Paulo &c Eqvus significat Naturam Equinam communem Bucephalo & plurimis alijs &c. Argumentum ducitur à specie ad probandũ prædicatum genericũ, vel differentiale vel proprietatem certam alicui inesse, vel non inesse. Sic rectè probatur, hoc vivens esse Animal, esse Rationale, Risibile, &c. quia est Homo. Item Hoc vivens, vel hoc Animal, non esse Rationale, nec Risibile: quia est Equvs. Confundunt quidam Formam cum specie: sed re vera, Forma solùm est pars speciei, seu Naturæ specificæ, non species.

VII. SIMILITUDO est duorum vel plurium rerum diversarũ in aliquo convenientia. Sic inter Virtutem & gemmam, inter vitium & fœdam maculam, est similitudo: sicut enim gemma, ita virtus est magni æstimanda: sicut macula, ita vitia detestanda. Argumentamur à simi-

ſimili v. g. Gemmas magni facimus. Ergo & virtus non contemnenda, ſed magni facienda. Maculam cavemus in facie. Ergo & vitium cauendum in Animâ.

VIII. DISSIMILITUDO eſt duorum vel plurium diſconvenientiâ, ſeu diverſitas. Argumentamur à diſſimilitudine, ut oſtendamus: quod uni tribuitur, vel negatur, non eſſe tribuendũ, vel negandum alteri: v. g. Si Petrus vapulat, Paulus vapulare non debet: quia ille eſt negligens, hic diligens. Si Petrus plauſum non habet, Paulus habere debet: quia hic, non ille, eſt diligens vel quia hic non iſle præclarè perorat.

IX CONTRARIA dicuntur, quæ ſe non compatiuntur, ſecum pugnant, & ſimul in eodem ſubjecto ſubſiſtere non poſſunt. Ut Calor & Frigus, Virtus & vitium, Lux & tenebræ. Proinde quando unum Contrariorum affirmatur de aliquo, negandum eſt alterum de eodem & contrà v. g. Petrus calet: Ergo non friget. Virtuti eſt ſtudendum: Ergo vitia fugienda. Lux eſt oculis grata: Ergo tenebræ ingratæ. Debet autem, ut argumentum ſubſiſtat, inter contraria non dari medium, ſeu tertium quiddam ab illis diverſum.

X. REPUGNANTIA ſunt, quæ ſibi adverſantur, non tamen immediatè; ſed quia unum eorum eſt alterius effectus, vel alio modo conſequens ex ipſo. Talia ſunt Amor & contemptus, Sanitas & Mors &c. Amori enim immedi-

mediatè opponitur, & contrarium eſt Odium, ex quo ſequitur contemptus alterius; ſanitati Infirmitas, ex qua ſequitur mors. Argumentamur à Repugnantibus, affirmando, vel negando, unum Repugnantium alicui convenire, quia convenit vel non convenit, aliud. v. g. Amat illum: ergo non contemnit. Vel contemnit illum: ergo non amat. Sanus eſt: ergo mortuus non eſt. Mortuus eſt: ergo ſanus non eſt. ſemper autem attendendum: ut unum ex alio ſequatur neceſſariò.

II. CAUSÆ: quarum ſunt 4. Genera. Alia enim eſt, *Efficiens*, ut quæ vi ſua producit aliud: ut ignis calorem & lucem. Alia *Materialis*, ex qua nimirum tanquam ex materia aliquid fit: ut ex ligno ſtatua, & ignis, ex auro & argento pecunia &c. Alia *Formalis*, per quam res intrinſecè conſtituitur, & ab alijs diſtingvitur; qualis eſt anima in viventibus; doctrina in docto; virtus in virtuoſo &c. alia *Finalis*, quæ eſt id, propter quod, ſeu cujus gratiâ aliquid fit; Ut ſumptiò medicinæ propter ſanitatem. Lectio librorum propter ſcientias comparandas &c.

Argumentum ducitur à cauſis; quando ad affirmandum, vel negandum effectum, affirmamus vel negamus Cauſam illius. Debet tamen eſſe connexio neceſſaria inter talem cauſam & effectum. v. g. *A cauſa efficiente*: Dies non eſt; quia ſol non eſt ſuper horizontem noſtrum. *A Materiali*; Domus ædificari non poteſt: quia ligna

ligna lateres &c. non sunt. *A Formali*: Petrus est facundus: quia callet artem Oratoriam. *A Finali*: Petrus proficiet: quia seriò vult studere. Similiter ex causis laude vel vituperio dignis, inferimus laudabiles vel vituperabiles esse effectus.

12. EFFECTA sunt res productæ à causis. Ex Effectis colligimus causas aliàs ignotas: ut ex creaturis DEUM Creatorem, ex fumo ignē &c. Laudamus etiam, vel vituperamus causas, si laudabiles, vel vituperabiles sunt earum Effectus. Commodissimus est hic, & præcedens locus tam ad argumentandum, quam amplificandum.

13. ADJUNCTA, quæ etiam Circumstantiæ dicuntur, sunt res, vel actiones, habentes aliquam, non tamen necessariam, sed probabile connexionem, cum re, de qua agimus. Exprimi solent illo versiculo:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Verùm cùm hic non sola contineantur Adjuncta (particula enim Quis pertinet ad Definitionem, Quid ad causam Materialem vel ad Effecta &c) substituit Massenius lib. 1. c. 3. Palæst. Orat. sequentem versiculum:

Dic, Qualis, quantus quoties, Vbi, quomodo, quando?

Qualis significat qualitatem personæ vel rei, de qua agitur: ut consideres: an sit nobilis, vel ignobilis, dives an pauper, juvenis vel senex, rudis vel docta &c. *Quantus*. An res, vel persona

ſona ſit magna an parva, magnæ vel parvæ authoritatis &c. *Quoties* id factum, vel dictum? ſæpe, an rarò? *Ubi*? In loco publico vel privato, profano vel ſacro, domi an foris &c. *Quomodo*? Bene an malè, ſincerè vel fictè, prudenter an imprudenter &c. *Quando*? Æſtate an hyeme, die an nocte, tempore pacis aut belli, luctûs an lætitiæ &c? Fertiliſſimus argumentorum eſt hic locus.

14. ANTECEDENTIA, quæ ſcilicet rem vel actionem, de qua agitur, tempore præceſſerunt, ita ut illa neceſſariò ſequi debuerit, vel debeat. v. g. Lethale vulnus accepit. Ergo morietur. Aurora eſt. Ergo dies erit.

15. CONSEQUENTIA, quæ rem vel actionem neceſſariò ſequvntur, ſeu ſecuta ſunt, adeòq; indicant illam. Ut Cicatrice notatus eſt. Ergo plagam accepit. Differunt Antecedentia & Conſequentia ab Adjunctis: quod hæc non neceſſario conjuncta ſint cum re vel actione, de qua agitur.

16. COMPARATIO eſt unius rei vel perſonæ, aut actionis cum altera collatio in aliquo tertio, quod eis eſt comũne. Poteſt autē inſtitui 1. *A majori ad minus*: Ut docti incumbunt lectioni librorum. Ergo tyrones multò magis incumbere debent 2. *A minori ad majus*. Ut Tyronibus turpe eſt impingere in ſolœciſmos: multò magis veteranis. 3. *A pari*. Ut ille Adoleſcens tantam potuit ſibi comparare eruditionem: tu non poteris? Debent autem

res,

res, vel personæ, quæ comparantur ad invicem, ejusdem esse generis, seu ordinis.

Differt Comparatio à similitudine Rhetorica, quod in hac non conferatur unum cum altero ratione alicujus tertij, quod sit utriq; commune. Ut cùm dicitur, Eloquentia Ciceronis fundi instar fluminis. Nam nec effusa verborum copia est in flumine, nec fluminis alveus in oratione; sed solùm simile quiddam.

Quando igitur indigebis Ratione una, vel pluribus, ad probandam propositionem quampiam: adi locos prædictos reflecte te super definitionem rei, de qua agitur, super partes ejus, causas, Effecta, Contraria, Adjuncta &c. & facile occurent tibi non minus validæ, quàm splendidæ rationes in rem tuam; quas deinde dispones in aliqua, ex §. 3. recensendis, forma; vel informes produces, prout res & tempus postulaverit. Si uberiorē insuper desideraveris probationem, & eruditionem: adire juvabit etiam Extrinsecos locos: de quibus sit.

§. 2.

De Extrinsecis Argumentorum Locis, eorumq; Usu.

SEx assignat Quintilianus: Præjudicia, Famam, Tormenta, Tabulas, Jusjurandum, Testes. *Præjudicia* sunt Sententiæ jam antè à Judicibus latæ in hac vel simili causa. *Fama* est sermo, seu rumor, publicus & communis

munis. *Tormenta* sunt Confessiones ipsorum reorum vi tormentorum, expressæ. *Tabulæ* sunt Instrumenta, seu Scripta quædam publica vel privata, secundùm Jura vim probandi habentia: ut Leges, Pacta, Epistolæ, Contractus scripti, Syngraphæ, Codicilli &c. *Iusjurandum* est affirmatio religiosa, authoritate DEi in testē vocati, munita. *Testes* sunt viri probi & prudentes testimonio suo rem confirmantes.

Poteris ergo propositionem tuam probare per hos Locos, ostendendo; jam antè fuisse sic judicatum, stare pro illa leges & Famā publicam, esse firmatam Jurejurando, testium depositione, reorum confessione, & Instrumētis juridicis publicis vel privatis. Magnum horum locorum pondus est in genere Judiciali & foro Civili; in Demonstrativo & Deliberativo usus rarior.

Cicero in Partit: omnes prædictos revocat ad unū scilicet ad TESTIMONIū: quod dicit esse omne id, quod ab aliqua re externa, vel persona sumitur ad faciendam fidem. Dividit ergo Testimonium in Divinum & humanum. Ad *Divinum* refert Oracula, Auspicia, Vaticinationes Responsa Sacerdotum, Aruspicum & Conjectorum. His enim putabantur dij testari mentem & voluntatem suam. Nos certiora habemus Testimonia Divina in Scripturis sacris, Oraculis Apostolicis, Conciliorum Generalium Decretis &c. Quæ quidem ad Ecclesiasticos Oratores propriè pertinent: Politicos moderatius

ratiùs illis uti decet; ne Orationem ex ſacriſtia, ut ajunt, attuliſſe dicantur.

Teſtimonium *Humanum* aliud eſt à Senſu & Voluntate Regum, principum, & rerump. ut Leges, Edicta, & judicia: aliud ab atteſtatione privatorum ſive libera, ut per jusjurandū, teſtimonia, vel Pacta &c; ſive expreſſa per tormenta: aliud à ſenſu & authoritate Virorum eruditione & virtute illuſtrium, per Exempla, Sententias, Proverbia, Symbola, Emblemata, Hieroglyphica, Apophtegmata, Fabulas, quæ hìc diſtinctiùs ſunt declaranda.

1. EXEMPLUM, juxta Quintil. eſt rei geſtæ, aut ut geſtæ, utilis ad perſuadendum commemoratio. Per hoc *Vt geſtæ*, ſeu quaſi geſtæ, comprehenduntur etiam Fabulæ, Apologi, & Parabolæ. Duplex enim juxta Ariſtot; 2. Rhet. eſt Exemplum: alterum Verum, alterum Fictum. Exemplum Verum eſt factum alicujus notabile, virtuoſum, vel vitioſum.

PETES: *Quomodo in Oratione tractanda ſunt Exempla?*

Ut rite tractentur, debent 1. deſumpta eſſe ex probato authore. 2. Fideliter referri ſive ipſis authoris verbis, ſive cum moderata amplificatione, ſeu illuſtratione. 3. Si fieri poteſt, ex ipſis fontibus, ſeu primis Authoribus, petenda: nam ut fluvij, ita relationes, creſcunt eundo. 4. Opportuno loco, & dextrè inferendo. 5. Circumſtantiæ impertinentes ſecernendæ. 6. Vulgaria ſeu paſſim nota Exempla, brevi congeric

geric cursim producenda. 7. Domestica majorem vim habent ad movendum. 8. In Vituperationibus aliena potiùs adducenda Exempla. 9. Graviora in materia gravi non nudè sunt referenda, sed Figuris & sententijs illustranda.

Fictum Exemplum est rei quasi gestæ seu fictæ, apta ad persuadendum moresq; formãdos, comemoratio. Dividitur in Fabulam, Apologum & Parabolam: quanquã sæpe nomẽ Fabulæ promiscuè sumitur, etiam pro Apologo & Parabola.

2. Fabvla strictè sumpta est narratio rei qvasi gestæ à rebꝰ inanimatis vel brutis sine admixtione sermonis. Talis est illa de Cane Æsopico; qui dum umbræ suæ, in fluvio visæ, quam alium canem putabat, eripere offam niteretur, propriam perdidit; ut avari solent.

Apologus est comemoratio rei qvasi gestæ à rebꝰ inanimatis, vel brutis, admixto colloqvio inter illas. Ut qvando mures consultarunt de nola feli appendenda; & consiliũ qvidem omnes dederunt, sed qvi exeqveretur inventvs est nullꝰ.

Parabola est narratio rei qvasi gestæ à ratione præditis, sive adminisceatur colloquiũ sive non. Frequenter, more Palæstinorum & Syrorum, parabolis usum esse Salvatorẽ nostrũ, Evangelica docet historia, præbetq; non paucas divina Sapientiâ plenas. Vulgò parabolæ dicuntvr etiam sententiæ illæ, qvæ elegantẽ

gantem quandam similitudinem continent. Subinde inducuntur res inanimatæ cum animatis, vel homines cum brutis; tunc Mixtũ quoddam genus fabularum est.

PETES: *Quomodo conficiendæ & tractandæ sunt Fabulæ?* ℞. Ad Fabulas conficiendas, attendendum est, sev inqvirendvm: qvænam res, sive animata sive inanimata, similis sit rei, de qua nobis agendum est. Ubi inventa fverit, affingenda illi est actio aliqua, vel sermocinatio congrua; quæ eò majorem habebunt gratiam, quò magis fuerint insperatæ.

Ut rite tractentur Fabulæ: debent 1. sermone familiari, & festivè exponi. 2. Decorũ servari debet tam in rebus quàm actionibus, & personis. 3. Applicatio quæ affabulatio dici solet, fieri debet, vel brevissima aut nulla, coram eruditis, vel prolixior, & ad sensum coram populo. 4. Quæ passim notæ sunt fabulæ, præsertim Pöeticæ, tangantur solùm. 5. Si non solùm ad exornandum, vel illustrandum, sed etiam ad confirmandum, adducatur fabula: solet author illius citari cum brevi elogio.

3. Sententia est Oratio perbrevis, sensum tamen perfectum & gravem referens. Ut illa Ciceronis *lib.* 1. *de Nat: deor.* Beatus esse sine virtute nemo potèst. Dividitur 1. universaliter, in simplicem & compositam. Simplex est, quæ unum tantùm habet sensum. Ut, *Soli boni sunt felices.* Composita: quæ duos, vel plures

plures habet sensus. Ut, *Fortuna fortes metuit, ignavos premit.* Dividitur 1. in Gnomas, Apophtegmata, Proverbia, Paradoxa, Axiomata, Problemata, Acroamata, Symposiaca: quanquam postrema hæc excedere videntur brevitatem sententiarum.

Gnomæ sunt illustriores quædam sententiarum gemmæ; seu gravissima Sapientum dicta. Ut illud Cypriani; in symb. *De DEO etiam vera dicere, periculosum.* Et Publij Syri: *Habet, quod vult, qui velle, quod sat est potest.*

Apophegmata sunt brevia & acuta dicta, ab illustribus personis prolata: qualia Plutarchus, Lycosthenes, Beyerlink & alij collegerunt. Tale est Xenocratis, moniti de nimia taciturnitate: *Quia me dixisse, aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.* Et Leonidæ, Xerxi scribenti, *Mitte arma;* respondentis: *veni & cape.* Et illustris in aula viri, rogati, quomodo crevisset? reponentis: *Injurias accipiendo, & gratias agendo.* Brisson. l. 1. c. 5.

Adagia, sunt sententiæ allegoricæ frequenter usurpatæ à doctis & indoctis. Ut *Mortui leonis cadaveri insultant lepores.* Id est, Exercitum amisso duce. Et *Asinus ad lyram.* de indocili.

Proverbia sunt dicteria in familiari colloquio usurpari solita: quæ si sint valde tr ta, Parœmiæ dicuntur. Ut, *Conscientia mille testes. Serò sapiunt Phryges.*

Paradoxum est dictum mirabile, & à communi hominum sensu remotum. Ut *Tam deest*

avare, quod habet quàm quod non habet. Et, *Parum bibe, ut multum bibas* Et Matt. 16. *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.*

Axioma est effatum Doctorum ita certum & clarum: ut probatione non egeat. *Vt*, Omne totum est majus sua parte. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

Problema est propositio disputabilis in utramq; partem. v. g. An expediat bellum frequens, vel pax continua?

Acroama est sermo festivus & jucundus. Edidit complura eleganter Bidermanus.

Sympoſiaca sunt colloquia & dicteria acuta in convivijs usitata. Videri possunt apud Tympium in Mensa Theophilosophica.

PETES *Quomodo in Oratione tractandæ sunt Sententiæ?*

℞ 1. Opportuno loco sunt adducendæ, & materiæ, quæ tractatur, accomodandæ, gravi graves, leviori amœnæ. 2. Moderatè adducantur. Si enim nimiæ sint, si tritæ, si sine pondere & vigore, seu frigidæ: sciolum arguunt auram eruditionis captantem. 3. Leviores & communiores sententiæ possunt sine Authoris nomine adduci: graviorum Author non solùm citandus, sed subinde brevi elogio honorandus, ad conciliandum sententiæ majus pondus. 4. Proverbia non sint crebra, nec nimis obscura. In Epistolis, & narrationibus familiaribus frequentior eorum usus esse potest; uti etiam dum quis exagitandus est. 5.

Carmi-

Carmina ſententioſa ut ab oratione excludì non poſſunt: ita non debent nimiùm congeri.
6. In Oratione Latina ſententijs Græci idiomatis crebriùs perſtrepere: vanum eſt.

§. 3.

De Symbolis, Emblematibus, Hieroglyphicis & Stemmatibus.

CUm Teſtimonij ſpecies ſint Symbola, Emblemata, & Hieroglyphica, utpote quibus homines ingenioſi teſtantur ſenſum ſuum de rebus & actionibus majoris momenti; Stemmata quoq; ſint quædam Symbola, ſeu teſſeræ virtutis gentilitiæ: reſtat. ut de ipſorum quoq; Natura & uſu agamus conſveta brevitate.

1. Symbolum latiſſimè acceptum, ſignificat notam, ſeu ſignum cujuſcunq; rei. Strictiùs accipitur pro ſigno conceptus interni, ſeu veritatis latentis, expreſſo rebus vel verbis. Sic Articuli Fidei Chriſtianæ à Ss. Apoſtolis concinnati, dicuntur SYMBOLUM APOSTOLORUM; eò quòd quiſq; ipſorum brevi ſententia expreſſit myſterium aliquod à DEO revelatum. Similiter Gnomæ & Apophtegmata perſonarũ illuſtrium Symbola vocari ſolent. Sic Trajani Symbolum dicitur: *Talis grex qualis rex*. M. Aurelij Imp. *Rex viva lex* &c. Plura hujuſmodi Symbola imperatorum collegit, & declaravit Vernulæus libro ſpeciali. Strictiſſimè acceptum Symbolum eſt *Ingenioſum latentis ali-*

cujus sensus signum, constans aptâ picturâ & Lemmate, seu inscriptione.

Duo igitur requiruntur ad constituendum symbolum perfectum, PICTURA & LEMMA: prout probat & declarat Sylvester Petrasancta, de Arte Symbolica latè ac eruditè tractans. Pictura repræsentare debet rem aliquam, quæ notabilem habeat similitudinem cum re, quæ symbolo significanda est, ita; ut accedente apta inscriptione, facile deveniri possit in cognitionem sensûs latentis, quem author symboli adumbrare voluit. Debet autem inscriptio, seu Epigraphe, vel Lemma, paucis verbis constare, sive solutæ orationis, sive carminis alicujus, vel ex aliquo celebri authore desumpti, vel recenter confecti. Non sunt autem in Lemmate ponendæ particulæ Apodosim, seu applicationem, significantes. *Sic*, *Ita*, *Haud aliter* &c: siquidem pictura cum Lemmate ita debent esse adornata, & exhibere Prothasim: ut lector per se apodosim facile formare possit. Unde etiam pro Lemmate non ponitur integra oratio, seu sententia, sed paucæ dictiones absq; verbo, vel alio vocabulo, absolvente sensum. Sic S. Carolus Borromæus cervo adversûs venena serpentum currenti ad fontem, inscripsit: *Una salus*. Denotando, quod sicut cervo unicum remedium est in fonte; ita pecatoribus in fontibus, seu vulneribus, Salvatoris. Sic alius Circino aperto, cujus pes unus fixus est in centro, alius

lius' circumducitur, scitè inscripsit: *Labore & constantiâ.* Pictura autem ipsa in lemmate nominari non debet: sed solùm aliqua ejus proprietas exprimi, quæ conveniat rei significatæ; ut patet in exemplis adductis.

Cæterùm non solum res Naturales & artefactæ adhiberi possunt ad conflanda Symbola; sed etiam fictæ, ex fabulis, sive Pöeticis, sive alijs, ex parabolis, Hieroglyphicis, & exemplis veris historicis desumptæ; ut tradunt Aresius & Tassus; dummodo apta picturâ exprimantur, & congruo lemmate insigniantur. Nã & illæ possunt esse ingeniosa signa latentis sensûs, & mentis Authoris.

Plura de Symbolis videri possunt apud Paulum Aresium, Herculem Tassum, Sylvestrum Petrasanctam, Menestrerium, qui plurima congessit, uti & Picinus in Mundo symbolico. Cave autem: ne immodicus sis in usu Symbolorum. Nam & optimorum satietas est. Non desunt, qui etiam in sacris orationib9, & suggestu Ecclesiæ, malunt agere pictores, quàm oratores: ita congerunt undiq; Symbola & Emblemata, neglectis aut obiter tactis Oraculis Divinarum scripturarum.

2. EMBLEMA latè sumptum significat quodcunq; opus vermiculatum, & sigilla aureis argenteisq; vasis inserta. Strictiùs sumptum est *Suavis admonitio moralis, constans picturâ & metro, latentẽ sensum indicantibus.* Unde patet: duas esse partes Emblematis, Picturam & Car-

men subjectum, quo distingvitur à symbolo (quanquam vulgò pro eodem accipitur) tale carmen non requirente. Lemma potest addi & omitti. Figuræ, quæ pingantur possunt esse plures, modò ad idem propositum serviant; possuntq; esse rerum verarum vel fictarum, prout de symbolis dictum. Carmen, quod subjiciatur, potest esse sive Elegiacum, sive Lyricum, sive Dramaticum &c. dummodo aptè & ingeniosè doctrinam exprimat moralē, & breve sit per modum Epigrammatis. Sic quidam, ut homines absterreret ab ebrietate, pinxit Bacchum, una manu ferulam, altera papaver gestantem: subjecitq; versus sequentes:

Cur ferulā Bacchꝰ manibꝰ gerit, atq; papaver?
Dic mihi, cur veteres hæc voluère Patres?
Scilicet ut vino plenus det corpora somno,
Postridiè pœnas se meruisse sciat.

Princeps in arte Emblematica est Alciatus: quē jam plures non infeliciter sunt secuti.

3. Hieroglyphica sunt sacra quædam veterum Ægyptiorum monumenta, non literis, sed sculptis rerum animaliumq; figuris abditos sensus significantia. Differunt à symbolis & Emblematis, quòd nec lemmate, nec carmine subjecto constent. Incidebantur obeliscis, pyramidibus, & vastis templorum valvis, ad perpetuam rei memoriam, & exprimendum sensum aliquem cælestis sapientiæ. Sic ut exprimerent summum DEi imperium, & providentiā

dentiam universalem; sculpebant sceptrum, & imminentem ipsi oculum apertum. Pro Anno sculpebant Palmam, quæ singulis Lunæ mensibus ramum unum producit, adeòq; Rami 12. significabant menses 12. Vide Pierium, & Recentiorem P. Athanasium kircherum in Obelisco Pamphilio: ubi è ruderibus eruit Ægyptiorum in Hieroglyphicis arcana.

4. Stemma ex Græco idem est, quod Corona. Applicatum autem est hoc nomen ad significanda Arma Gentilitia Nobilium familiarum, ex hac fortè occasione: quòd (ut observavit Nicolaus Abramus in Ciceronis Philippicam 1.) gentilitiæ Romanorum Imagines, in atrijs collocari solitæ, exprimebantur in-inclusæ coronis quibusdam, seu sertis. Definiri potest stemma, quòd sit *signum virtutis, ad incitamentum, & familiæ distinctionem propositum*. Collata enim sunt, & conferuntur, stemmata, seu Arma gentilitia, propter præclarè gesta alicujus ex humiliori sorte, qui propterea cũ tota posteritate sua evectus est, authoritate principis vel reip. ad ordinem Nobilium, ea tamen conditione: ut & ipsius posteri præstò essent ad principis & boni communis tutelã. Vide Okolscij origines stemmatum Polonorũ, & videbis eorum fontem esse Virtutem.

Consideranda sunt in stemmatibus tria: Antiquitas, Campus, & Figura. ANTIQUITAS stẽmatum semper fuit in pretio & veneratione; sicut sacri gentilium luci: in quibus grandia

& antiqua robora, atq; quercus, quantum vi parum speciei, multum tamen habebant venerationis. Ineptiunt tamen multi, propter inanem nominis affinitatem reducentes se ad Sciplones, ad Hectorem, Achillem, & eqvum Trojanum: cùm tutiùs familiam suam ex Arca Noë educere possent.

Campus stemmatis est spatium Clypei, in quo certa figura exprimitur. Observandus est in eo color, qui solet esse Aureus, vel Argenteꝰ, Cæruleus, Rubeus, Viridis, Niger, Purpureus. *Aureus* color inter cæteros princeps est, rebusq; omnibus dat, vel auget pretium. Hinc quidquid eximiè extollere volumus, aureum dicimus: dies aureos, horas aureas, cæsariem auream, homines aureos &c. Aureo colore specialiter significatur sapientia, & Charitas. *Argenteus* color candoris, puritatis, felicitatis, lætitiæ index est: triumphantium proprius erat apud Romanos. Cæruleus color cælestis est; Viridis oculis gratissimus; Rubeus Virginalis ob verecundiam, & Martius ob fusum hostium cruorem; Purpureus regum est, & rosarum, inter flores regnantium; Niger gravitatis tessera, oculos potissimùm commendat.

Figura in stemmatibus expressa denotat dotes eorum, qùibus à principe collata fuerunt. Sic caput Leonis significat vigilantiam & custodiam, Anteriores Leonis partes, seu caput cum pectore Fortitudinem; Cervus velocitatē

in rebus agendis, Equvs bellicosum, Bos laboriosum, Crux pium & in adversis constantem, Columba innocentem & benignum, Apis clementem & industrium, Grus vigilantem, Accipiter promptum &c.

Cæterùm ut ex stemmate alicujus facile eruas opportunos conceptus: consideretur 1. Origo stemmatis, quando, & à quo sit acceptum. 2. Causa, ob quam obtentum est: si genuina deprehendi non potest, adferantur probabiles. 3. Quàm illustris sit familia, quæ tali stemmate gaudet; quantum lucis & honoris ex illa inipium redundarit. 4. An aliæ, & quæ, illustres familiæ eodem stemmate sint insignitæ? 5. Consideretur color campi stemmatis 6. Figura ipsa; accuratè observando ejus situm, colorem, aliasq; qualitates & dotes, seu proprietates. 7. Effectus figuræ combinentur cum gestis ejus, cujus est stemma, & cum gestis majorum ejus. 8. Collige Eruditionem variam de re stemmatis, exempla, sententias, Apophtegmata carmina, Fabulas, symbola &c. eaq; decenter applica personæ. de qua agis, vel gestis, aut familiæ ipsius. Exempla passim reperies in Orationibus Panegyricis, quæ hac ætate frequentes eduntur, & communiter à stemmatibus ducuntur, vel crebras habent allusiones ad illa.

Cave autem 1. Ne leves & pueriles, aut apertè putideq; adulatorios formes ex stemmaté conceptus; aut qui non nisi violenter

applicari possunt personæ, aut gestis ipsius 2. Ne nimij sint, & quasi turmatim protrusi: sed singuli, si fieri potest, illustrentur exemplis, sententijs, vel gravi accomodaq: amplificatione. 3. Ubiq; servetur decorum: & si res in stemmate posita, sit vilis; aliunde potiùs formetur conceptus orationis. 4. In concionib9 major adhibenda est moderatio: nec abutendum sententijs sacrarum scripturarum ad argutandum circa stemma.

§. 4.

De varijs argumentandi Formis.

UT argumenta ad probandam propositionem inventa, persuadeant efficaciùs: redigi debent ad certam formam, Dialecticis & Oratoribus usitatam. Tales argumentandi formæ sunt Syllogismus, Enthymema, Sorites, Dilemma & Epycherema. Priores duæ usitatiores sunt: quanquam Oratores ita illas vestiunt suis loquendi modis, & figuris; ut vix appareant.

SYLLOGISMUS est Argumentatio constans tribus propositionibus, Majore, Minore & Conclusione. Seu, ut Rhetores loqvuntur Propositione, Assumptione & Complexione. Quæ partes si prædicto ordine ponantur, dicitur *Syllogismus Rectus*: si permutentur, ut primo loco ponatur Minor vel Conclusio, deinde Major &c. vocatur *Syllogismus Inversus*. Permutantur autem, prout opportunum est, & connexio

cum

cum antecedentibus & consequentibus requirit. Deinde si Syllogismus Oratorius tribus solùm partibus prædictis constet: vocatur Ratiocinatio Tripartita. Si Majori, vel Minori, tanquam minùs certæ, addatur Ratio, qua firmetur; vocatur Ratiocinatio Quadripartita. Quodsi tam Majori, quàm Minori, probandæ adjiciatur Ratio: appellatur Ratiocinatio Quinquepartita.

Conficitur autem Syllogismus hoc modo. Constituta Propositione, quam Syllogismo probare intendis, invenienda inprìmis est Ratio, quæ suadeat; Propositionem omnino veram esse. Tales rationes ostendimus suprà; facile erui posse ex Locis Rhetoricis. Deinde inventa ratio conjungatur cum Prædicato propositionis tuæ (recole quæ Instit: 6. §. 2. núm. 1. dicta sunt de Subjecto & Prædicato propositionis) & habebis Majorem. Tum conjunge eandem rationem, quàm Dialectici Medium vocant, & Medium terminum, cum Subjecto propositionis tuæ: & habebis Minorem. Deniq; pone ipsam Propositionem, quæ probanda fuit: & erit Syllogismus perfectus. v. g. Sit per Syllogismum exponenda hæc propositio. *Virtus est maximum hominis decus.* Rationē solidam suppeditabit primus locus Rhet: qui vocatur Definitio: Quia nimirum Virtus facit hominem bonum, & opus ejus bonum. Quam rationē si verbis universalib9 conjunxeris cum Prædicato propositionis, quod est, *Maximum*

hominis decus; habebis hanc Majorem: *Quod facit hominem bonum, & opus ejus bonum: id est maximum hominis decus.* Rursus conjunge eandem rationem cum Subjecto illius propositionis, quod est Virtus, & habebis Minorem hanc: *Sed virtus facit hominem bonum, & opus ejus bonum* Subjunge jam Propositionem, quæ probanda fuit, addendo particulam Illativam *Ergo*, vel *Igitur* &c. & erit Conclusio legitima: *Ergo Virtus est maximum hominis decus.* Quomodo nudus hic syllogismus Oratoriè sit adornandus, dicetur infrà, Instit: 9. Interim exerceas te sedulò in formandis syllogismis quàm plurimis.

ENTHYMEMA est Syllogismus imperfectus, seu Ratiocinatio Bipartita; constans duabus tantùm partibus; quarum una vocatur *Antecedens*, altera *Consequens*: sunt autem eædem, quæ in Syllogismo perfecto Minor & Conclusio; ut si dicas: Virtus facit hominem bonum, & opus ejus bonum. Ergo est maximum hominis decus. Eloquentia est Ars utilissima. Ergo illi diligenter est studendum. Et hoc est Enthymema Directum. Si velis, & opportunius erit, invertere partes, & primo loco ponere Propositionem, quæ est conclusio, sublata particula illativâ *Ergo*; erit Enthymema inversum v. g. *Virtus est maximum hominis decus Facit enim eum & opus ejus bonum.* Eloquentiæ diligentissimè studendum. Est enim ars utilissima. Frequentissimus est usus Enthyme-

thymematis apud Oratores: unde ab Aristotele appellatur syllogismus Oratorius

SORITES est Argumentatio, per plures rationes collectas, quasi gradatim descendens ad conclusionem. Sic probavit Themistocles, filium suum imperare toti Græciæ. Nam filius meus inquit, matri imperat, illa mihi, ego Atheniensibus, Athenienses toti Græciæ. Ergo & filius meus toti Græciæ. Sic probari posset virtutem esse laudabilissimam. Nam virtus est bonum honestissimum; quod autem est honestissimum, est rectæ rationi omnino conforme; quod est rectæ rationi omnino conforme, est pulcherrimum; quod est pulcherrimum, est laudabilissimum. Ergo & virtus est laudabilissima. Valet Sorites potissimum pro Orationis Conclusione, seu Peroratione: ut si sparsæ per Orationem rationes colligantur, & ordinata serie strictim producantur. Curandumautem ut omnes rationes saltem sint probabiles. Nam si vel una non subsistat, tota concidit acies.

DILEMMA est Argumentatio duabus constans partibus, ita instructis: ut si alterutra negetur, altera convincat. Unde vocatur *Syllogismus Cornutus*, quia ita instructus est: ut qui cornu alterum effugerit, in alterum incurrat, & teneatur. Cicero appellat Complexionem. Sic Probatur omnem dolorem esse patienter ferendum. Nam omnis dolor vel est vehemens, vel levis. Si levis est, facile fe-

retur. Si vehemens, certè brevis erit.

Refutatur Dilemma, alterutram vel utramquè partem negando, vel certè retorquendo per aliud Dilemma. Sic cùm Antigonus rex fratri roganti: ut causa sua non in foro, sed domi cognosceretur; respondit: Si causam injustam habes, cur litigas? si justam, cur hominum conspectum fugis? reponere potuit frater: si causa mea justa est, meliùs domi cognoscetur, quia tibi erubescendum non erit in publico. Si injusta est; minorem subibo ego, & domus regia, infamiam.

Egregiè retorsit dilemma Evathlus in Professorem suum Protagoram. Pactus hic erat cum discipulo: ut sibi in minerval id argenti daret, quod lucraturus esset pro prima causa victa apud Judices. Postquam Evathlus omnem artem forensem, ut erat acutus & versutus, exhausit; contentus scire, quod concupierat, cœpit nolle, quod pepigerat, ludebatq; Magistrum, moras alias ex alijs nectendo. Ergo Protâgoras ingratum & injustum trahit ad judices, & hoc cornuto impetit syllogismo. Sive ego vicero, sive non vicero, solvere debebis. Si vicero; solvere debebis, ut condemnatus à Judicibus. Si non ego, sed tu viceris; adhuc solvere teneberis, juxta pactum quia primam causam vicisti. Videbatur Judicibus res conclusa irrefragabiliter. At Evathlus, dignus tanto Magistro discipulus, acutissimè retorsit argumentum, & se è cornibus tauri illius expedi-

pedivit. Si ita est, inquit, neutro modo, quod petis, debeo. Aut enim vinco: & absolutus à Judicibus dimittor: aut vincor; & pacto non teneor, ex quo non nisi victor pretium debeo. Sic in caput suum, ut non raro, discipulum erudijt bonus Magister. *Laert. lib. 9.*

EPICHEREMA est una aliqua Propositio, latentem in se complectens Syllogismum. Frequens est apud Ciceronem, qui valida argumenta sæpe exiguâ sententiâ constringit. Sic in Orat: pro Dejotaro, in illa propositione; *Sine causa Dominum servus accuset*? latet hic syllogismus: servus sine causa Dominum non accusat. Sed hic est servus Dejotari. Ergo non sine causa Dominum accusat. Similiter illo Virgilij hemistichio, quo Juno dicit: *Mene incœpto desistere victam*? hoc continetur Enthymema: Si desistam persequi Trojanos, videbor victa. Ergo non desistam.

Huc referuntur *Crocodili*, qui sunt callidæ quædam interrogationes ad capiendos incautos concinnatæ. Denominationem habent à fabuloso & famoso Crocodilo, quærente ex muliere, cui filium rapuerat, *Reddamne tibi filium vel non? Si verum dixeris, reddam.* Respondit mulier, *Non redditurum*: ideoq; debere illum reddere, quòd verum ipsa dixisset. At contrà Crocodilus. non reddam; nec debeo reddere. Si enim reddidero; verum non dixisti. Quodsi dixisses, Me redditurum: adhuc reddere non debuissem: quia falsum dixisses. Non enim e-

ram redditurus.
De Inductione, Prothasi & Apodosi, &c. agetur infrà.

INSTITUTIO VIII.

De Inventione Oratoria.

PRæmisso diligenti Exercitio in ijs, quæ hactenus tractavimus, progrediamur Florimunde, ad ipsam Orationis fabricam moliendam: quæ tantò feliciùs faciliùsq; consurget; quantò major posita fuerit diligentia tum in traditis, tum in mox tradendis. Occurrunt autem meditanti Orationem tria potissimùm quærenda, & invenienda, scilicet Propositio, Exordium, & Argumenta. De hoc postremo cum jam egerimus Institutione præcedente, quantum necesse: restat hic agendũ de primis duobus.

§. I.

De Inventione Propositionis, Status, Causæ, & Crinomeni Orationis.

ADornaturus orationem, ante omnia, necesse est, ut certum sibi præfigat scopum, ad quem totus collimet. tendatq; apparatus; & ad quem, si fortè digressione aliqua opus fuerit, redeat oratio. Est non infrequens error: ut multa dicantur de re, & circa rem, pauca ad rem; adeoq; necesse sit hujusmodi oratoribus inclamare illud Poëtæ

Est

Est aliquid, quò tendis, & in quod dirigis arcum?
An passim insequeris corvos, testâq; lutoq;?

ut pueri solent. Primus ergo labor scripturi Orationem, sit: invenire, sibiq; præfigere certam aliquam Propositionem, certum causæ statum & Crinomenon, circa quæ vel maximè occupetur cùm ipsius ars & industria, tum Auditorum attentio & Judicium.

PROPOSITIO proinde nihil aliud est, quàm ea pars Orationis, in qua Orator ostendit id, de quo dicturus est. Ponitur communiter post Exordium statim; aliquando post brevem narrationem, si eam præmitti oportuit: subinde initio ipso orationis, omisso exordio; si hoc necessarium non fuit. Et vocatur talis propositio *Aperta*, seu *Explicita*: ut si dicas: Ostendam Eloquentiam esse animorum Reginam: vel declarabo, hominis felicitatem potius in virtute quàm divitijs consistere. Aliquando studio ocultatur propositio, ita tamen; ut auditori sufficienter insinuetur, & is facile intelligere possit, de quo futurus sit sermo: diciturq; tunc Propositio esse *Ocult[a]*, seu *Implicita*. Ut si dicas in Exordio: Magna contentione laborare homines in comparandis divitijs magis autem solicitos esse debere in parandis veris Amicis: & mox ad probationem progrediaris.

Advertendum verò I. quòd dum congeritur apparatus Rationum & Eruditionis variæ, ad probandam Propositionem: oporteat iden-

tidem respicere propositionem præfixam, & considerare; an omnia ad illam inferendam, vel saltem declarandam conducant? Ne fortè, ut multi solent (præsertim qui plurimum operæ ponunt in acutis conceptibus, & multa farragine Eruditionis, Exemplorum, sententiarum, symbolorum &c. corradenda) imprudens abducaris à proposito scopo, & viâ assumptâ: ut solent, qui cogitationum æstu abrepti, in bivio declinant, & quò procedunt longiùs, à recto tramite recedunt remotiùs. Proinde, si deprehenderis; aliqua quæ congessisti, declinare à Propositione facta: vel ea omitte, vel propositione fac aliquantò ampliorem.

II. Observandum: Quis sit STATUS Causæ, seu Quæstionis. Est autem Quæstio fere idem, quod propositio, per modum Interrogationis enunciata. v. g. An Juventus sit laboribus exercenda? Causa verò est Propositio absolutè affirmativè, vel negativè prolata. Ut, Juventus est laboribus exercenda. Propositio igitur est aliquid latius patens, quàm Quæstio & Causa: cùm possit & hoc & illo modo efferri. Cæterùm status Quæstionis assignari solet triplex: Conjecturalis, Definitionis, & Qualitatis. *Conjecturalis* est, dum quæritur: An Catilina conjuraverit in patriam? *Definitionis* status est, quando quæritur; quid res sit? v. g. An Cæsar sit patriæ Pater, an tyrannus? *Qualitatis* status est, dum quæritur; Qualis sit res vel actio?

v. g.

v. g. An Cæſar juſtè ſit occiſus? An fuerit fortior, quàm doctior?

III. Obſervandum: quodnam ſit CRINOMENON Orationis? Eſt autem Crinomenon ex Græco idem, quod Iudicatio, ſeu controverſia: quia ſignificat id, circa quod maximè eſt controverſia, & circa quod maximè occupatur Judicium Auditoris, ut convenientem ferre poſſit ſententiam. Aliquando diſtingvitur à Propoſitione; communiter eſt idem cum illa. Diſtingvitur tunc quando propoſitio probatur uno aliquo principali argumento, ad quod roborandum cætera omnia adducuntur, & quo ſtante victoria eſt apud Oratorem. Tunc enim Auditor non tam in Propoſitionem, quàm in id argumentum eſt intentus; & præcipuus Oratoris labor eſt in eo firmando. Exemplum Crinomeni à propoſitione diſtincti habes in Or. 1. Catilinaria, ubi hæc eſt propoſitio: *Catilina migrare debet ex urbe.* Crinomenon eſt: *Quia eſt hoſtis patriæ juratus.* Hoc enim tota Oratione probatur & ab hoc pendet judicium Auditorum.

IV. Cavendum: ne propoſitionem aſſumas vel nimis amplam vel nimis anguſtam. Nam nimis ampla univerſalem pariet diſcurſum, adeoq; parum movebit Auditorem, qui particularibus magis tangi, & affici ſolet. v. g. Nimis ampla eſſet propoſitio: ſi aliquibus ſuadenda eſſet Abſtinentia à potu nimio, ſeu Sobrietas; tu autem faceres hanc propoſitio-

nem: *Oſtendam quantum damni vitia, quantum boni virtutes inferant homini.* Sic enim vagaberis per virtutes & vitia in genere, vel etiam ad plura particularia deſcendes: Ebrietatem autem & Sobrietatem vix attinges. Præterea attendendum: ut Propoſitio commenſuretur tempori: ne in nimis generalem effuſus diſcurſum, poſtea tempore elapſo, abrumpere debeas ſermonem, & tumultuariam facere Perorationem, ſeu Concluſionem, prout non paucis contingit Prædicatoribus.

Nimis anguſta eſt Propoſitio, pro qua probanda non poteris, aut vix poteris corradere ſufficientia argumenta & Eruditionem. Aptanda igitur eſt ingenio & eruditioni Oratoris. Prudenter faciunt: qui, dum prolixior adornanda eſt oratio, vel concio, ſed parum ſuppetit temporis vel aliæ diſtrahunt occupationes, Propoſitionem faciunt bipartitam, vel tripartitam; duo vel tria membra, ſeu Puncta aſſumendo, quæ exponant. Vel unam quidem ſimplicem, ſed ſatis amplam, faciunt Propoſitionem; quam mox probant Crinomeno bipartito, vel tripartito: unde occaſio datur in amplum excurendi campum. Sic inſtitui poſſet propoſitio tripartita, ut diſſvadeas Juventuti Ebrietatem: v. g. Oſtendam Ebrietatem & ſtudiis, & corporibus, & animabus Juvenum fatalem eſſe. Vel ſimplex fiat propoſitio: Oſtendam Juvenibus ſummè noxiam eſſe Ebrietatem. Deinde ſubjungatur principale

pale argumentum tripartitum: quia & ſtudijs, & corporibus, & animabus eorum fatalis eſt. Unde facilis & ampla habebitur diſcurrendi materia de ſingulis Crinomeni partibus.

§. 2.

Quomodo Propoſitio inventa, ſit cultiùs efferenda.

EA' eſt plerumq; ingeniorum ſive generoſitas, ſive arrogantia: ut dedignentur, Propoſitionibus uti claris atq; nudis: ſed paſſim eas ſub ſpecioſo quodam ſchemate producere amant, ſive oſtentandi ſui gratiâ, ſive ut auditorem reddant attentiorem. Primum vanitas eſt, niſi fortè ex compoſito ingenij ſpecimen ſit dandum: alterum vacare culpà, imò laudi eſſe poteſt: ſi debita adhibeatur moderatio. Poteſt igitur Propoſitio ingenioſè cū quadam novitatis ac admirabilitatis ſpecie efferri ſequentibus modis.

1. Si contineat quodammodo Contradictoria, ſeu inter ſe pugnantia. Ut ſi dicam9, Virum aliquem probum fuiſſe Divitem mendicū, vel Prodigum avarum, vel Humilem ſuperbū, vel Puſillum gigantem, vel Piè impium, Fugâ victorioſum &c. Plauſibilis eſt hic modus, præbetq; occaſionem diſcurſui ſatis amplo, ut combinentur Contraria illa, & oſtendantur, re vera convenire tali perſonæ.

2. Si per modum Paradoxi, ſeu Sententiæ à vulgari opinione remotæ, efferatur Propo-

ſitio

ſitio. Sic efferri poteſt hæc: homo ipſe malorum ſuorum author eſt, dicendo: *Nemo læditur, niſi à ſe ipſo.* Vel, *Nemo miſer eſt, niſi qui velit.* Sed hic modus maturius requirit judicium, & fere coram doctis ſolùm habet locum. Difficile eſt etiam talia perſvadere vulgo; adeoq; indignationem magis, quàm benevolentiam excitant, cùm ſtatim prima ſpecie videantur incredibilia.

3. Propoſitio, quæ alias eſt certa, & indubitata, efferri poteſt problematicè; id eſt tanquam diſputabilis in utramq: partem, adhibitis particulis An, Utrum &c. v. g. Certum eſt, eloquentiam eſſe utiliorem taciturnitate: tamen commendaturus Eloquentiam, formare poſſet propoſitionem Problematicam hanc: *Videamus, an magis expediat Eloquentē eſſe quā taciturnum?* Amplum diſcurrendi campum aperit hic modus, & jucundus eſt conflictu rationum pro utraq; parte.

4. Propoſitio abſoluta efferatur comparativè. v. g. hæc: virtus in adverſis perficitur; comparativè efferri poteſt dicendo *Virtus plura debet adverſis, quàm proſperis.* Item humilitas extollit: *Non major quàm qui minor.*

5. Adhibeatur inſignis aliqua Metaphora vel Allegoria v. g. oſtendendo, perſonam aliquam illuſtrem eſſe *Solem patriæ*; Virum fortem eſſe *Leonem in Zodiaco cæli Europæi*, Sapientem eſſe *Oraculum in tali gente*, Probum eſſe *Gemmam in Corona Eccleſiæ* &c. Debent autem

tem dotes talis personæ exponi per allusionẽ ad proprietates rei, à qua ducta est Metaphora.

6. Fieri potest in Propositione allusio ad aliquã Circumstantiam sive loci, sive temporis &c. vel ad ipsum rei aut personæ Nomen. Ut, si dicas Christum natum hyeme, esse *Florem hyemalem*; vel in Bethlehem natum, esse *Vivam Bethlehemiticam Cisternam*, salientem scilicet in vitam æternam; aut Stephanum aliquem laudare velles, ut *Coronam patriæ* vel familiæ suæ: cùm ex Græco Stephanus significet Coronam.

7. Allusio fieri potest ad Stemma, vel ad Insignia Honorum & Officiorum personæ, de qua tractandum est. Ut si illustrem aliquam familiã cujus stemma sunt turres, appellares *Pharum Lechicam*; Personam honoratam, cujus stemma est Luna, post evectionẽ ad altiores honores, diceres: *Lunam in Solem mutatam &c.* Huc pertinent Allusiones ad insignia Regni, Provinciæ, Civitatis, & si materia sit sacra, insignia Divorum v. g. ad Lilia S. Casimiri, Remos & lanceam S. Adalberti, Rotam S. Catharinæ &c.

8. Conceptus & Propositio desumi potest ab aliqua Eruditione, sive Historica, sive Pòëtica, sive Symbolicà &c. modò decenter applicari possit, & satis copiosam suppeditet materiã. Ut si personã illustrẽ, provectã ad Officium alterius viri magni, extolleres; ut *Atlantem Herculi suffectum*: Viros bellicosos ut *duo fulmina belli*; quod Scipionum fuit elogiũ &c.

Obser-

Obſervandum autem ſemper: ut Propoſitiones ſint accomodatæ Loco, Tempori, Auditorib9 & ipſi Oratori. Nimirum Oratoris politici poſſunt eſſe magis ingenioſæ & acutæ: Eccleſiaſtici verò debent eſſe magis apertæ, doctrinales, Morales & Practicæ. Culpâ enim non vacat iſte, ſi magis ſtudeat mulcere aures, quàm movere corda, & accendere animos. Non argutis conceptibus, ſed ſolidâ, accuratè concinnata, & diſertè pronunciata oratione ſtudeat delectare Auditorem; qui ſi verè Chriſtianus eſt; non phraſium, vel acuminum floſculos, ſed Evangelium, Apoſtolico ſpiritu & ore vult prædicari & audire.

§. 3.

Unde petenda ſunt Exordia?

EXordium juxta Ciceronem eſt Principium Orationis, per quod animus Auditoris præparatur ad audiendum. Patiuntur autem tyrones non mediocrem difficultatem in ijs inveniendis & adornandis: prout evenit adoleſcenti de quo ſuprà Inſtit: 1. pag. 299. Quomodo adornandum ſit Exordium, dicetur infrà: hic oſtendam fontes, ex quibus facilè peti poteſt.

1. Ex Cauſâ dictionis: quando Orator rationem dat, cur hanc ſuſceperit Orationem. Tali Exordio utitur Cicero pro Marcello, Roſcio, & C. Rabirio. Mamertinus gratias agens Juliano Imp. pro Conſulatu &c.

2. Ex Adjunctis, seu Circumstantijs Loci, Temporis, vel ipsius Oratoris, aut personæ, de qua est tractandum. Sic Cicero pro Dejotaro orditur à loci angustijs, pro Lege Manilia à loci præstantia; pro Cœlio à temporis insolentia; pro Milone à nova forma judicij; pro Sulla & Archia Pòëta, à sua & illorum persona.

Similiter à Circumstantia temporis insigne ducit exordium P. Angelus Galuccius in Orat. de Passione Christi, coram Urbano VIII Pontifice. In illustri, ait, totius anni corona, B. P. quæ non tam dierum, quàm Divorum splendore, Christianæ Religionis regale caput illuminat: gemma nulla præfulget hodiernâ pretiosior luce; quæ salutis humanæ Redemptori Sangvinis pretio stetit, & mortalibus immortalitatē redemit, acerbissima morte venalem. Hæc verò sanctioris hebdomadæ dies rite sanctissima, cùm solis non orientis purpura, sed occidentis sangvine coloretur; Christianos oculos, non tam fovet ad aspectum, quàm ferit ad luctū: ut quæ lux fuit Optimo Parenti filia sangvinis, sit non ingratis filijs parens lacrymarum. At quo potissimùm nomine diem hunc apellabimus? Festumne &c.

A persona sua præclarum duxit exordium Illmus Orator Andreas Olszowski Episc. Culm. & Procancellarius regni Pol. in funére Seren. Ioannis Casimiri Regis, cujus nomine paucos ante annos, in abdicatione Regni sermonem

habuerat. Egone infelicis officij iterum minister; qui regnare olim, nunc vivere desinentis, vox fio; atq; in repetito, pridem Majestatis, nunc mortalitatis funere, Divo Joanni Casimiro, Pol. & Suec. Regi, mœstum sermonem impendo? Ego, qui depositam manibus velut meis, è sacrato capite, Coronam Reipublicæ tradidi: nunc expositas tristi imagine regij corporis exuvias, parentali officio terræ trado &c.

3. Ex Materiæ difficultate, vel præstantia, cui Orator se imparem dicit. Sic orditur Cicero pro domo sua, pro Flacco, & post reditum in senatu. P. Hieronymus Petruccius etiam in Orat. de Passione Dom. ad Urbanum VIII. Horret animus, *inquit*, Bme Pater, cogitare, nedum loqui; mortali naturâ susceptâ DEum mori, & propter nos inter sicarios atq; parricidas patibulatum & cruciarium DEum infamissima simul & acerbissima morte condemnatum, mori. Quis audeat in hujus diei, imò noctis infandæ nefastæq; justitio, profari tria verba. ubi patris æterni VERBUM obmutuit? Aut cui non intercludatur in orationis exordio spiritus: ubi advocatus noster apud Patrem, in cruce, quasi pro rostris Orator, & Spiritus oris nostri Christus D. exspiravit &c?

4. Ex abrupto seu Affectu graviori ipsius Oratoris, quasi impotente supprimi diutius sumi potest exordium. Ut apud Ciceronem in

1. Catilinaria, & apud Livium lib. 40. c. 8. in Oratione Philippi regis Maced. causam duorum filiorum judicaturi. Ex eodem fonte duxit Exordium P. Bapt: Ferrarius in Orat. de Passi. dom. ad Gregorium XV. Erumpe tandem, erumpe, qua licet, ex ore, ex oculis, sine Rhetorum fuco incomptus, sine partitionis ordine incompositus, DEO moriente, parentalis dolor! Leviter dolet, B. P. dolorem quicunq; suum potest ordinare. Hæc una tristissimam orbitatem decet Eloquentia: confusa cum rerũ universitate tumultuari &c.

5. Ex communi hominum affectu & opinione duci potest Exordium; si Orator dicat: se communem lætitiam vel dolorem cumulaturũ, vel commotos incitaturum &c. Tali utitur Cicero in Or. contra Vatinium & Verrem. Et Nazario in Panegyri ad Constantinum M. Imp. Dicturus Constantini augustissimas laudes, qui tantum ultra omnium sæculorum principes eminet, quàntum à privatis cæteri recesserunt principes; & dicturus in cœtu gaudiorum exultantium, sentio: nullam Eloquentiã nec optari, nec concipi posse; quæ dignam afferat aut tempori gratiam, aut materiæ copiam, aut vestris studijs facultatem. Jactat quippe se nunc cùm maximè alacris omnium ac beata devotio. Nec operta mentium rimari necesse est: extat in vultu cujusq; hilaritatis publicæ decus, & in serenis frontibus animorum judicia prælegauntur &c.

6. Ex copia rerum dicendarum; si per figurã Præteritionis quædã omittantur, determinetur autẽ certa aliqua: vel per dubitationẽ ambigat Orator, de qua sit dicturus, tandemq; se determinet. Tale exordium est apud Livium lib. 28. n. 27. in Or. Scipionis ad milites. Tali usus est celeberimus Vladislai IV Regis Pol. Orator, Ossolinio corã Urbano VIII Pontif. Venit iterum Romam Vladislaus, B. P. & qui nuper barbaricis ornatus laureis (*Post devictos Turcas*) ad tuos pedes venerabundus jacuit: is hodierna die triplici cinctus diademate, ante hanc Apostolicam sedem tuam, per me Oratorem suum, supplex procumbit, Vladislaus, inquam, Poloniæ & Sveciæ Rex, ac M. Moschorum Dux: qui antequam regnaret, regum ac regnorum tyrannos debellavit &c. De hoc tali, ac tanto Principe tibi, P. B, non in cunis, sed in ipso gloriæ, ac rerum gestarum fastigio; non famâ, sed aspectu ac familiaritate noto, quid in hoc amplissimo orbis theatro afferam, haud reperio. Iam enim olim sapientissimo tuo judicio omnes ejus penetrasti, ac censuisti virtutes, easq; uti probè cognitas, quæ liberæ gentis sceptra moderentur, dignas judicasti: cùm non ita pridem, Vladislaum unum esse, qui Polonis imperare queat, solemni commendatione asseruisti. Huc ergo potiùs mea deflectat oratio: ut quos, qualesq; populos Tibi, Sanctæq; Sedi tuæ supplices Rex noster secum offerat, declarem &c.

7. Ex compendiosa rei, de qua agendum, exhibitione per capita præcipua: quæ deinde fusiùs exponantur. Sic orditur Cicero Orationem 3. Catilin. & Tarquinius Gallutius suam de Christi Passione ad Paulum V. -- Victima illa, vere triumphalis, B. P. cujus sanguinem humani generis piacula longo jam tempore flagitârant, hodierna die tandem aliquando reperta, vincitur arctissimè, indignissimè rapitur, non tam sistitur ad aram, quàm in carnificinam compellitur, atq; acerbissimè dilaniatur. Proh scelus incredibile mortalium! Proh divinæ charitatis inæstimabile pondus ac vim! *Deinde Passionem distinctè exponit & exaggerat*.

8. Ex antecedenter dictis, vel actis, sive ab ipso Oratore, seu alio quopiam: Ut Cicero in Orat. Philipp. & Polonus Orator Ossolinius suprà n. 6. & Olszowius sup. n. 2. Nihil enim vetat, imò sæpe opportunum est, ut Exordium ex duobus vel pluribus fontibus hauriatur.

9. Ab Invocatione Superorum, seu Optatione; precando scilicet, ut boni Superi mentem & Eloquentiam materiæ & auditoribus parem largiantur; vel optando, ut munus dicendi, alteri potiùs fuisset commissum. Priore modo orsus est Cicero pro Murena, & Plinius Secundus Panegyricum suum Trajano Imp. dictum, in hunc modum. Bene ac sapienter majores nostri instituerant: ut rerum

agendarum; ita dicendi initium à precationibus capere: quòd nihil rite, nihilq; providenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore, auspicarentur. Qui mos, cui potiùs quàm Consuli? aut quando magis, usurpandus colendusq; est; quàm cùm imperio Senatus, authoritate reip. ad agendas Optimo Principi gratias excitamur? Quod enim præstabilius est, aut pulchrius, munus deorum; quàm castus & sanctus & dijs simillimus Princeps? Ac si adhuc dubium fuisset fortè casuq; rectores terris, an aliquo Numine darentur: principem tamen nostrum, liqueret, divinitus constitutum &c. Quò magis aptum piumq; est: te Jupiter Opt. Max. antea Conditorem, nunc Conservatorem Imperii nostri, precari: ut mihi digna Consule, digna Senatu, digna Principe contingat oratio.

Ab Optatione inchoavit Demetrius Sulikowskj Archiep. Leopolien. in funere Sigismundi Augusti, Regis Poloniæ. Vellem, DEus immortalis, eam mentem, eum animum alijs, qui me consilio, ingenio, sapientiâ abundatiores sunt, dedisset, Patres Amplissimi, & Nobiles fortissimi: ut quemadmodum me his rebus antecellunt; ita etiam hoc dicendi munus, in hoc Regis nostri Sigismundi Augusti funere & parentalijs assumpsissent. At &c.

10. Ex visceribus rei; ostendendo: rem, de qua dicturi sumus, talem tantamq; esse, ut nullo modo silentio præteriri possit. Sic orditur

ditur Cicero orationem pro C. Rabirio, ad Quirites.

11. A Thesi descendendo ad Hypothesim; id est, præmittendo Universalem discursum, quo via sternatur ad propositionem, quæ ordinariè particularis est, vel minus universalis. Ut si Eloquentiam laudaturus, excurras primùm in laudem artium liberalium in genere. Tali exordio utitur Cicero actione 5. in Verrem.

12. Ab Exemplo, Sententia, Symbolo, Similitudine, Consvetudine, Proverbio, Apophtegmate, vel Fabula duci potest Exordium: dummodò talia sint, ut ab illis facilis sit & pronus ad Propositionem accessus; nec nimiùm illis immoretur Orator; ut non pauci solent. Plura de Exordijs dabit Instit: sequens

§. 4.

De Fontibus Conceptuum ingeniosorum.

Non soli Pöetæ, verùm & Rhetores amant acutum & argutum. Nam & in Epistolis familiaribus, & in Inscriptionibus, & in Orationibus, præsertim Politicis, & quæ dicuntur Generis Demonstrativi, imò etiam dum in Judiciali genere exagitandus est adversarius; locum habent, & orationem commendant, acutæ nervosæq; Sententiæ. Proinde juvat hic earum ostendere & aperire Fontes, ex quibus desumi possunt.

Prænotandum autem: totum Conceptuum

acutorum artificium in eo consistere ut de re aliqua id affirmetur, quod vulgò, seu primo intuitu, putatur ei non convenire; vel contrà id de illa negetur, quod vulgò putatur illi convenire. Unde acumen ingeniosũ, seu Concept9 acut9 definiri solet: quòd sit *Concors discordia, seu discors Concordia Prædicati cum Subjecto sententiæ*, seu Prothesesos cum Apodosi. Quæ concors discordia quo fuerit notabilior, eò melius gratiusq; erit acumen: quale est illud Martialis lib. 8. epigr. 35. de litigiosis conjugib9.

Cum sitis similes, paresq; vitâ,
Uxor pessima, pessimus maritus,
Miror non bene convenire vobis.

Communiter enim similis simili gaudet. Acumen est in eo; quod conjugibus illis videatur & convenire concordia & pax, quia sunt moribus similes; & non convenire, quia sunt pessimi. Tota igitur industria volentis acutè loqui, debet in hoc laborare: ut disconvenientia combinet dextrè ac prudenter; vel inter convenientia secũ ,inexpectatã ostendat discordiã.

Potest autem discors hæc concordia adstrui vel in Rebus, vel in Verbis. In rebus est, quando res secum disconvenientes proponuntur ut convenientes: prout apparet in allato exemplo ex Martiali. In verbis est; quando verbum aliquod duplicem, eamq; diversam vel contrariam, habet significationem, & sub utraq; uni rei attribuitur. Sic idem Pòéta lib. 6. ep. 10. ludit in Fabullam quandam, quæ capil-

capillis alienis, ut nunc plurimi, se comebat.

Jurat, capillos esse, quos emit, suos
Fabulla. Numquid Paulle pejerat ?

Lusus est in voce *Suos*. Potest enim quis dicere *Suũ*,& quod habet à natura,& quod pretio emit. Cæterùm Fontes Acuminum & Argutiarũ speciali, eruditoq; libro aperuit Quatuor P. Masenius; P. Radau in Extemporali Rhetore suo omnia revocat ad triplicem originem, eò quod omnia Acumina sint vel potiùs esse videantur, aut contra Naturam, aut præter naturam, aut juxta naturam rei, de qua agitur. Alij plures assignant fontes particulares. Accipe ex Masenio sequentes.

1. Formari possunt Conceptus acuti ex OPPOSITIS, seu REPUGNANTIBUS: ut si de eadem re affirmentur, vel negentur duo sibi opposita prædicata. v. g. dicendo de aliquo cæco ingenioso, quòd sit Cæcus oculatissimus; vel quòd timidus fortiter egerit; vel quod sit famelicꝰ epulo &c. Sic de quodã cecinit Pòëta:

Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem.
Nec possum tecum vivere, nec sine te.

2. EX ALIENO: ut si alicui tribuatur aliquod Prædicatum, quod ab eo videtur alienum, seu ipsi non conveniens, & nihilominꝰ sub aliqua consideratione illi convenit. Ut si dicas aliquem *morbo*, vel *vulnere*, *curatum esse*; qui scilicet post morbum pravos mores mutavit. *Sæculum nunc esse aureum*: eò quòd bella magis auro, quàm ferro gerantur. *Iuvenem*

hunc esse canum; scilicet prudentiâ, & morum gravitate &c.

3. Ex COMPARATIONE: cùm res quædam alteri simili comparatur, & inopinatè dissimilis ostenditur: vel valde diversæ, comparatur, & præter exspectationem similis ei dicitur; ut cùm pusillùs quis dicitur gigantem æquare vel Carolum magnum &c. scilicet animo, seu gestis: Dum lupi dicuntur in choro auditi; scilicet mali Cantores

4. Ex ALLUSIONE ingeniosa; dum inexpectatus fit lusus in vocibus: ut si aliquem appelles lectissimum Iuvenem, quia somnolent9 nimis amat lectum. Vel si allusio fiat ad stemma, ad officij Insignia, & alia rei, vel personæ adjuncta, ad symbola quoq;, Fabulas, Proverbia, Apophtegmata &c. Amplissimus est hic locus, & hujus temporis oratoribus familiarissimus. Sic quidam allusit ad dictum Ziscæ, celebris in Bohemia ducis, ludendo in obesum:

Pelle suâ moriens fieri vult tympana Ziska:
Tu de pelle tua tympana vivus habes.

Non vacat, his immorari diutius; nec necesse est: cùm conceptus acuti non tam artis, quàm naturæ, & prurientium ingeniorum partus sint. Deinde præstat sententijs illustribus, quàm argutis conceptibus exornare orationem. Porro ut hujusmodi conceptus cum oratoris plausu, & auditorum voluptate vibrentur: observandum 1. Ut non sint nimis frequentes. Facient enim levem. & affectatam orationem, copiàq;

piâq; suâ vilescent 2. Non sint frigidi & obscuri: quæ vitia rarò evitantur ab acuti styli sectatoribus. Cùm enim difficile sit, multas breves, nervosas, & acutas promere sententias, quæ orationi longiusculæ sufficiant: frequenter leves & frigidi conceptus inseri, contingit; fluuntq; cum bono vino tandem & feces. 3. Diligenter attendendum: an, & quàm frequentes, tali materiæ conveniant acuti conceptus. Ubi enim res communis filo co͞muni texenda est; ut in Narrationibus, in genere judiciali, & deliberativo, in orationibus sacris, quæ habentur ad populum: putidi hominis est, inquit Causinus, tunc quærere nodum in scirpo; aut argutijs ludere, ubi luctandum est. Genus Demonstrativum huic stylo patentiorem aperit campum.

INSTITUTIO IX.

De Dispositione Oratoria.

PRæfixa Propositione certa, de qua tractandum est, inventaq; Ratione una, vel pluribus ad eam probandam; procedendum est, Florimunde, ad structuram Orationis, per aptam partium ejus dispositionem. Actum quidem jam suprà est de dispositione: verùm non totius Orationis, sed rationum tantum, seu argumentorum, secundùm certam argumentandi formam. Hic igitur demonstrandum: quomodo tota Oratio sit concinnanda

juxta varias, Rhetoribus ufitatas, formas. Poteft enim difponi & confici vel per Syllogifmum perfectum, vel Per Enthymema, per Thefim & Hypothefim, per Inductionem, Expolitionem, Chriam &c. aut per partes, ut vocant, Communes. Artem hujus Difpofitionis tyronibus valde neceffariam exhibebimus hìc clarè & diftinctè. Incipiemus autem à facilioribus.

§. 1.

De Difpofitione Orationis per varia Enthymemata.

DIctum fuprà: Enthymema effe Syllogifmum imperfectum, & duabus folùm primarijs conftare partibus, Antecedente fcilicet, atq; Confequente, feu Conclufione. v. g. Petrus eft vir doctus. Ergo eft honorandus. Hic advertendum: Enthymema effe quoddam Genus Orationis, continens fub fe fpecies varias. Nam Orationes difpofitæ per Thefim & Hypothefim, per Prothâfim & Apodofim, per Arfim & Antapodofim, per Exemplum, Sententiam, Inductionem, funt re vera Enthymemata, & folùm differunt Propofitione Antecedente; quæ alibi eft Univerfalis, alibi particularis, alibi conformis, alibi difformis Conclufioni &c. ut ex dicendis patebit. Sunt autem Orationes per hujufmodi Enthymemata facillimè parabiles, adeoq; pro cafibus extemporaneis, v. g. Salutationibus,

Gra-

Gratulationibus, & ſimilibus, maximè idoneæ.

I. Per ENTHYMEMA diſponitur Oratio, quando duas tantùm adhibemus Propoſitiones primarias, quarum una infertur ex alia, Conſequens ex antecedente. Perinde autem eſt, ſive hanc ſive illam ponas primo loco: videndum, quid opportunius ſit. Si placeat, uti Enthymemate Inverſo, prout non rarò fit, ponendo primò loco Conſequens, ſeu Concluſionem: efferenda hæc erit per modum Sententiæ breviter, & ſine particula Illativa Ergo, Quocirca, Igitur &c. Deinde ſubJungenda & amplificanda Ratio una vel plures; ac rurſus breviter repetenda Propoſitio, vel ejus loco congruus Affectus, vel ſententia.

V. G. Sit hæc Propoſitio, *Colam tecum Amicitiam perpetuam*, oratoriè efferenda per Enthymema. Ratio facile occurret, quam dedit Cicero in Or. pro M. Marcello: Quia *ſine amicorum benevolèntia, neq; in adverſa, neq; in ſecunda fortuna, quiſquam vivere poteſt*. Hanc rationem ponere potes primo loco, & ex illa inferre alteram illam. *Vt*, Ea eſt hominum conditio: ut ſine amicorum benevolentia, neq; in adverſa, neq; in proſpera fortuna, vivere quiſquam poſſit. Tecum igitur æternam colere placet amicitiam. Et ſic confectum eſt Enthymema Directum, cujus Conſequens videtur deſiderare Rationem ulteriorem, ob quā hic homo eligatur præ cæteris in amicūm perpetuum. Si verò placeat invertere hunc

ordinem, dices: Tecum, fidiſſime Achate, perpetuam colam amicitiam. Quis enim ſine amicorum benevolentia, ſive in adverſa, ſive in ſecunda fortuna, vivere poteſt? & confectum eſt Enthymema Inverſum: cujus partes, aut una illarum, fuſiùs amplificandæ atq; exornandæ erunt, & non producendæ in egeſtate Dialectica.

II. Per THESIM & HYPOTHESIM diſponitur Oratio, quando Antecedens propoſitio eſt Univerſalis, Conſequens autem particularis: ut in Enthymemate proximè allato; & in hoc: *Virtus eſt amabilis. Ergo & Caſtitas.* Ac proinde Orationes tales continent Argumentationem à Genere ad Speciem. Cavendum autem: ne nimium effundaris in amplificationem Theſeos, quando hæc clara & certa eſt. Ut enim parcitas, ita prodigalitas, etiam verborum, vitio non caret. Potiſſima cura ſit de Hypotheſi, ſeu materia particulari, circa quàm verſaris. Exornari tamen paucis etiam Theſis poteſt. Si incerta ſit, vel obſcura; etiam probanda erit, & illuſtranda.

III. Per PROTHASIM & APODOSIM inſtituenda Oratio, ſimiliter duabus tantùm conſtat partibus primarijs: quarum prior continet vel Sententiam aliquam inſignem, vel Exemplum memorabile, vel Symbolum, Emblema, Fabulam, Proverbium, Similitudinem, aut diſcurſum alium, pertinentem ad rem, de qua tractamus. Appellatur hæc pars Prothaſis.

&

& est quædam suavis dispositio Auditoris ad assentiendum Apodosi; in qua fit materiæ, quàm assumpsisti tractandam, applicatio ad antecedenter dicta, seu combinatio cum illis. Dixi: Constat partibus duabus *primariis*. Nihil enim obstat (imò subinde necesse est) quominus alterutra, vel utraq; rationibus, exemplis, sententijs &c. pluribus firmetur, vel illustretur. Quando Prothasis est evidens, & convincens: Apodosis breviter est expedienda. Si autem inter hanc & illam non appareat sufficiens conexio: immorandum erit illi demonstrandæ.

Confundunt quidam Orationem hanc cum illa, quæ est per Thesim & Hypothesim: sed non rectè. Nam ista necessario requirit Propositionem unam universalem, quæ dicitur Thesis. Prothasis autem potest non minus esse particularis, quàm Apodosis. In eo conveniunt: quòd sicut Thesis post Hypothesim, ita Prothasis post Apodosim poni possit: sed tunc iterari breviter debet Apodosis, vel conveniens affectus subjungi. Exempla formari possunt circa hanc propositionem: Beneficia sunt Gratitudine compensanda,

A SENTENTIA sic: Improbus est homo, qui beneficium scit sumere, & reddere nescit. Cecinit (*In Persa*) Plautus in theatro Romano, & cum urbe applausit orbis universus. Compensanda igitur sunt beneficia gratitudine. Quid dico gratitudine? Etiam rebus ipsis.

Ab EXEMPLO sic. Ptolomæus rex victo captoq;

ptoq; Demetrio regnum & omnia perdita donavit, afferens: non de præda, sed gloria certamen fuiffe. Demetrius fuperos oravit: ut occafionem gratificandi fibi largirentur. Evenit paulò pòft: ut Demetrius repentino affultu, & caftra, & regem ipfum Ptolomæum caperet. Exultavit victor, non quod hoftem cepiffet, fed quod libertatem, quam acceperat, reddere poffet. *Plutarchus in Demetrio*. Et noftrum hoc ftudium, hoc certamen effe debet; totifq; viribus de victoria contendendum præclariffima.

A SYMBOLO fic: Ut beneficiorum acceptorum locum proprium ac naturalem exprimeret non nemo; Oceanum conjecit in tabulam, cum illabentibus plurimis fluminibus, Lemmate adjecto: REDEUNT UNDE EXIERUNT. Noftra quoq;, quæ accepimus, beneficia redeant oportet ad authorem fuum &c.

A SIMILI fic: Congenitum eft terrigenis, fapere terram, redolere terram. Si cætera dedeceant; in eo matrem imitari deceret: quod ut advertit Mediolanenfis Præful lib. 1. Offic. c. 31. illa fufceptum femen numerofius reddere foleat, quàm acceperit. Accipimus hinc inde non pauca, nec exigua beneficia: fi cum fœnore reddere non poffumus vel nolumus, faltem eâdē reddamꝰ menfurâ, neceffe eft &c.

IV. Per ARSIM & ANTAPODOSIM difponitur oratio: quando aliquid, five fit exemplum, five fententia, fymbolum, fabula &c. rei noftræ diffimile vel contrarium, affertur; & poftea

ſtea rejicitur, ac refutatur, intentum noſtrum oppoſitis rationibus, vel Eruditionibus firmando v. g. Svaſurus alicui morum honeſtatem, Arſim formare poſſes ex Iuvenum illorum diſſolutorum exemplo, & dictis Sapient. 2. *Venite & fruamur bonis* &c. Antapodoſim verò ex eorundem confeſſione Sap. 5. 6. *Ergo erravim9* &c. oſtendendo. quàm turpiter & graviter errant hujuſmodi libertini.

V. Per INDUCTIONEM formatur oratio, quando in Prothaſi adducitur congeries quædam exemplorum, vel ſententiarum, ſimilitudinum Rationum &c, ex quibus poſtea infertur, quod tractandum ſuſcepiſti. Sic egregiè probat S. Auguſtinus, hominem debere eſſe bonum: quia ex omnibus, quæ vult, nihil vult mali. Quid vis mali, inquit, dic mihi? Puto nihil. In omnib9 actionibus, cogitationib9, cupiditatib9, nihil mali vis. Terram malam non vis utiq; ſed bonam; bonam arborem vis, equvm bonum, filium bonum, uxorem bonam. Et quid hæc magna? quoniam quidem ipſam veſtem malam non vis habere, ſed bonam. Poſtremò caligam non vis habere niſi bonam: aut da mihi, aliquid te velle, quod malum eſt. *Apodoſis* Solã animam vis habere malam? Quid te offendiſti? quid de te tu ipſe meruiſti? Non vis eſſe malum, niſi te ſolum? *Ita præclarè Rhetor Mediolanenſis Auguſtinus.*

§ 2.

De Diſ-

De Dispositione orationis per Syllogismū, Expolitionem, & Chriam.

I. Per SYLLOGISMUM disponi potest Oratio, vel servato recto communiq; partium ordine, ponendo scilicet Majorem, deinde Minorem, tum conclusionem; vel ordine inverso, ponendo primo loco Conclusionem, secundo Minorem, tertio Majorem; vel ordine perturbato, ut post Majorem ponatur statim Conclusio, vel, primo loco Minor, deinde Major, tandem Conclusio; vel alio, qui opportunus videbitur, ordine. Quomodo conficiendus, sit, syllogismus, ostensum est supra Institut: 7. §. 4. Hic adverte: Oratores subinde duas syllogismi propositiones in unam compingere periodum, quando scilicet utraq; vel alterutra saltem, certa & manifesta est. Deinde non solent adhibere particulas illas, Omnis, Nullus. Sed, Atqui Ergo: sed utuntur æquivalentibus, vel periphrasi; nolunt enim videri dialecticè agere, ac velut pugno ferire auditorem.

Exemplum orationis syllogisticæ accipe in rudi hoc syl ogismo, quo probatur; *Patriam esse strenuè defendendam, quia ejus defensio non minus necessaria, quàm gloriosa est*, sic: Cujus defensio non minus necessaria quàm gloriosa est, illud est strenuè defendendum. Sed Patriæ defensio non minùs necessaria, quàm gloriosa est. Ergo Patria strenuè est defendenda.

Rectus hic syllogismus, inverso partium ordine,

dine, sic proponi potest: Patria est strenuè defendenda. Defensio enim ejus non minus necessaria, quàm gloriosa est. Quod autem æque necessario ac gloriosè defenditur, manifestum est, strenuè defendendum esse. Ubi vides, jam non esse opportunum, adhibere particulas illas usitatas, *Omnis, sed, ergo*: sed Minorem & Majorem proponi tanquam causas, seu rationes ad probandam conclusionem initio positam: in fine autem orationis opportuna erit Adhortatio ad patriæ defensionem.

Perturbato ordine, seu permixtis propositionibus, sic proponi potest idem Syllogismus, ponendo primò Minorem, tum Conclusionē, deniq; Majorem. v. g. Patriæ defensio non minus necessaria est, quàm gloriosa. Defendenda igitur est strenuè. Quod enim non minus necessariò, quàm gloriosè defenditur; constat, strenuè defendendum esse. Vel primò ponatur Major, tum Conclusio, tandem Minor. v. g. Cujus defensio non minùs necessaria, quàm gloriosa est, illud est strenuè defendendum. Patria igitur est strenuè defendenda. Nam ejus defensio non minùs necessaria, quàm gloriosa est. Vel ponatur primò Minor, tum Major, deniq; Conclusio. Pendet hæc dispositio ab arbitrio Oratoris; ut ita disponat propositiones Syllogismi, prout ipsi videbuntur meliùs connecti posse, per faciliorem & commodiorem transitum ab una ad alteram. Quia verò hujusmodi transitus difficilis accidere

dere solet tyronibus: usui esse poterunt Formulæ sequentes.

Formula transeundi à Majore ad Minorem:

1. Exposita igitur, & si opus fuerit, rationibus firmatâ Majore Syllogismi suprà positi, transiri potest ad Minorem per Interrogationem. v. g. Quis verò dubitabit ? vel quis ignorat, Defensionem patriæ non minùs esse necessariam, quàm gloriosam ?

2. Si verò quispiam ex me intelligere velit: quid præ cæteris sit, cujus non minùs necessaria, quàm gloriosa est defensio: non aliud profectò, quàm Patriam dicam. Hæc enim &c.

3. Circumferte jam oculos animosq;, & seduli lustrate: an aliquid sit, cujus defensio majorem inferat vel necessitatem, vel gloriam, quàm Patriæ ?

4. Vestras ego jam conscientias appello, Auditores: estne aliquid cujus defensionem æquè necessariam & gloriosam, ac Patriæ, censetis ?

5. Inter omnia verò, quæ nostrâ, eâq; strenuâ operâ defendi merentur, & exigunt; nihil defenditur aut magis necessariò, aut æquè gloriosè, ac sua cujusq; Patria.

6. Prævolant jam animi vestri, Audit: & quo mea collimet oratio, non dubiè definiunt. Patria est, cujus defensionem non minùs necessariam, quàm gloriosam esse, nemo non videt.

7. Optima est transitio: quando ex ultimis verbis Majoris amplificatæ sumitur occasio procedendi ad Minorem. V. G. Sit Major illa, *Cujus defensio non minùs est necessaria, quàm gloriosa; illud est strenuè defendendum*, in hunc modum exposita;

Cùm res humanæ non eo positæ sint loco: ut ab omni injuria sint immunes; nec ijs polleant singulæ viribus, ut se ipsas contra hostiles assultus satis tueri queant: illarum censeo, Audit, præ cæteris suscipiendam curam, quarum tutela nobis ipsis non minus est necessaria, quàm gloriosa. *Ratio.* Nihil enim æquè nos incitat ad fortia agenda & toleranda dura pro aliquo: ac Gloria juncta Necessitati. *Minor.* Nuspiam autem hi animorũ acutissimi stimuli, Gloria & Necessitàs, reperiuntur arctiùs fœderati, quàm in Tutela Patriæ, Nihil illâ gloriosius, nihil nobis magis, aut æquè, necessarium. *Ratio Minoris* &c Vides, quomodo ex ultimis verbis Majoris ratione firmatæ, scilicet *Incitat* & *Juncta Necessitati*, sumpta sit occasio subjungendi Minorẽ? Idẽ in quavis alia Oratione practicandũ.

II. Per EXPOLITIONEM disponenda Oratio, partes requirit quinq;. 1. Propositionẽ, seu Expositionem brevem rei tractandæ, prolatam per modum sententiæ. 2. Rationem Propositionis. 3. Confirmationem rationis. 4. Exornationem per aliquam Sententiam, vel Exemplum, aut Symbolum, Similitudinẽ, Contrari-

trarium &c. 5. Complexionem, seu Conclusionem, breviter colligentem præcipua, superius exposita. Methodus hæc valde facilis est, & extemporaneis orationibus aptissima.

Exemplum sit in hac Propositione: *Mendacium est turpissimum & perniciosissimum hominis vitium*. Ratio dari potest: Quia prodit indolem perversissimam. *Confirmatio*. Mendax enim pugnat cum ratione propria & se redigit in sortem brutorum: deinde Societati humanæ perniciosissimus est. *Exornatio* per Sententias. Deniq; Complexio, per collectionem dictorũ, cum Apostrophe ad Adolescentes.

III. CHRIA requirit partes 8. hoc ordine. 1. *Exordium* continens memorabile alicujus dictum, vel factum, vel utrumq; simul, (unde Chria alia est Verbalis, alia activa, alia mixta) cũ encomio Authoris & ipsius etiam dicti vel facti. 2. *Paraphrasim*, seu *Expositionem*, qua fusiùs & accuratiùs tale dictum, vel factum, exponitur cum adjunctis, seu circumstantijs suis. 3. *Causam*, seu Rationẽ unam vel plures ad probandum & confirmandum id, quod suadere intendis, & dicto vel facto illo commendatur. 4. *Similitudinem* ad illustrandum idem. 5. *Contrarium* ut per oppositum magis idem elucescat 6. *Exemplum* simile vel dissimile dicto aut facto, quod exposuisti. 7. *Testimonium*, seu Sententia personæ doctæ vel illustris. 8. *Epilogus*, quo præcipua dicta brevi comprehensione repetuntur, & totus discur-

ſcurſus concluditur.

Sic incitaturus Juventutem ad ſtudium Virtutis, quia *vera Nobilitas à ſola Virtute eſt:* Argumentum hoc per Chriam Mixtam tractare poſſes ſecundum puncta prædicta, hoc modo. 1. In Exordio propone non ſine encomio, factũ dictũq; magni Herois Joannis de Wert, Cæſarianarũ copiarũ ductoris, qui in conſeſſu illuſtrium perſonarum, antiquitatem Nobilitatis ſuæ jactantium, Gladium ſtrinxit ſuum, & *Hic eſt,* inquiebat. *Origo nobilitatis meæ.* 2. Expone factũ dictumq; hoc, oſtendendo: quàm ſolida ſit Nobilitas ſuper talem baſim fundata. 3. Ratio adferatur, cur Virtus homines nobilitet; eaq; peti poteſt ex Definitione Virtutis, quæ eſt Qualitas faciens habentem bonum, & opꝰ ejus bonum. 4. Contrà oſtendatur, quomodo ignavia, aliaq; vitia dedecorent, vilemq; faciant hominem etiam nobili genere natum. 5. Similitudo duci poteſt ab equis, canibus &c. qui non celebrãtur ab ijs rebꝰ, quibꝰ ornati ſunt, ſed à propria generoſitate, ſagacitate, feroцitate &c. 6. Exemplum illuſtre præbet Maximilianus Imperator, (de quo Beyerlinck) qui cuidam pro nobilitatis prærogativa comparanda offerenti aureos mille, reſpondit: DITARE TE POSSUM; AT NOBILITARE NON NISI PROPRIA VIRTUS POTEST. 7. Sententia ſervire poteſt celebris illa Juvenalis Sat: 8.

Tota licet veteres exornent undiq; ceræ
Atria: Nobilitas ſola eſt, atq; unica, Virtus.

8.Con

8. Concludi poteſt, dicta præcipua breviter repetendo, Juveneſq; adhortando: ut Nobiles non ſint dedecori Majoribus ſuis: ignobiles conentur nobilitare ſe ipſos vera ſolidaq; Virtute.

§ 3

De diſpoſitione Orationis ſecundùm Partes communes

QUinq; communiter, ex mente Ciceronis, aſſignantur partes orationis: Exordium Propoſitio, Narratio, Confirmatio, & Concluſio, ſeu Peroratio. Aliqui addunt Confutationem: ſed hæc rectiùs ipſius Confirmationis pars dicitur. Non enim ſatis ſolidè ſua confirmat, qui ab alijs objecta non refutat. Narratio non rarò omittitur: ut quando non verſamur circa factum aliquod laudandum, defendendum, aut reprobandum, Quomodo ſingulæ partes ſint tractandæ, declarandū hic.

I. In EXORDIO munus Oratoris eſt, reddere Auditorem, ſi opus ſit, Benevolum, Docilem, & Attentum. *Benevolus* redditur: ſi Orator ſingularem modeſtiam præſeferat; ſi Auditorum dignitatem, eruditionem, virtutem extollat; ſi dicat, ex re, de qua dicturus eſt, ipſos aut etiam bonum commune, multum cōmodi vel incommodi capere poſſe; ſeu, ſe communis boni ſtudio provinciam oratoris ſuſcepiſſe. *Docilis* redditur Auditor, quando orator clarè & diſtinctè aperit; de quo, quo ordine

ordine, & modo ſit dicturus. *Attentus*, quando dicit: ſe de rebus magni momenti, raris, jucundis, valde neceſſarijs &c. dicturum. Dixi: *Si opus ſit*. Quando enim conſtat, Auditorem bene diſpoſitum eſſe; non multum in captanda benevolentia & attentione, eſt laborandum. Non raro Authoritas, vel modeſtia, aliæq; dotes oratoris plus valent ad captandos Auditorum animos, quàm multa verba. Alicubi in Concionibus, poſt Propoſitionem prolatam invitantur Auditores ad benevolè attenteq; audiendum. Subinde prorſus Exordium omittitur.

EXORDII dotes ſunt, 1. Elegantia; ut ſit venuſtum, clarum, & periodis accuratiùs elaboratis concinnum, præſertim in genere Demonſtrativo. 2. Connexio cum Propoſitione, ad quam viam ſternit. 3. Proportio: ne veſtibulum fere ſit æquale ipſi domui, aut caput toti corpori. Delinquunt in hoc puncto non pauci, præſertim Concionatores facundi, qui ante propoſitionem tam prolixos inſtituunt diſcurſus, verbis, eruditione, & affectibus plenos; ut per horæ ſpatium dicturi, extendant Exordium circiter ad quadrantem horæ, non ſine moleſtia Auditorum. Ubi enim pòſt audiunt formari propoſitionem; nimiam concionis formidant prolixitatẽ,ſiquidem exordio cũ proportione reſpondere debet: & ſic pro benevolentia averſionem animorum orationi ſuæ conciliant improvidè diſerti oratores. Cauſa

autem tantæ prolixitatis plerumq; eſt: quòd, dum ipſis exordium molientibus, complura occurrunt, quæ ad rem facere videntur; nolunt eorum facere jacturam, maluntq; omnia compingere in diſcurſum procemialem, non advertentes; multa ex illis commodiùs inſeri poſſe ipſi corpori orationis: prout ſæpe obſervavi, & deprehendent ipſi, ſi reflectere ſe voluerint. Si peccandum eſſet: mallem brevitate, quàm prolixitates exordij peccare. Non malè metiuntur quantitatem exordij, qui eandem illi præfigunt proportionem, quam habet caput hominis cum reliquo corpore; ut ſcilicet ſit octava, vel nona pars totiꝰ orationis, ſicut caput eſt hominis proportionati. Quod non eò dico: quaſi ſemper exordium eſſe debeat octava circiter pars orationis; ſed quòd eò uſq; extendi poſſit cum decoro. Cùm enim ex communi Rhetorum ſenſu, non rarò omitti poſſit Exordium: quidni etiam aliquantò brevius eſſe poſſit, præſertim ſi tempus ſit arctius, intra quod conſiſtere oportet? Formaexordiorũ certa nulla eſt; ſive per brevẽ Syllogiſmũ, ſive Enthymema, ſiveTheſim & Hypotheſim, ſive Prothaſim & Apodoſim &c diſponi poſſunt. Concinnari autẽ non deberent antequam determinatè præfixa ſit Propoſitio; ſiquidem non aliud ſunt, quàm commodus acceſſus ad illam. Unde petenda ſint Exordia: jam indicatum eſt Inſtitutione præcedente.

II. PROPOSITIO communiter ſtatim ponitur

poſt Exordium; aliquando intercedit brevis quædam, prout res fert, Narratio; nonnunquã omiſſo exordio, ordimur ab ipſa Propoſitione, ſtatim oſtendendo, de quo dicturi ſumus; vel Propoſitionem inſtar Sententiæ proferimus, quam nos declaraturos, ſeu paulò prolixiùs probaturos, promittimus. v. g. Inter plurima, eaq; præclara, Juventutis decora, facile princeps emicat Verecundia. Quem principatum amabiliſſimæ huic virtuti vindicaturo, ut animis lingviſq; faveatis, Auditores, oro. Si propoſitio amplam contineat materiam: diſtribuenda eſt in aliquot partes, quæ ultra tres communiter non aſcendunt; à quibus ipſa propoſitio appellatur Bipartita, Tripartita, vel Quadripartita, ſi ejus fuerint partes duæ, tres, vel quatuor. Aliquando propoſitio ponitur generaliter: ſed mox PARTITIO ſubjungitur; id eſt, diſtributio ejus in certas partes, ſeu puncta.

Quomodo propoſitio ſit exornanda, & cum quadam novitate, atq; admirabilitate proponenda: declaratum jam Inſtit: præced. Illud ſemper obſervandum: ut, quando prolixior futura eſt oratio, Auditores, plenè intelligant, de quo futurus ſit ſermo; aliàs facile tædio afficiuntur.

III. NARRATIO eſt facti, ſeu rei geſtæ expoſitio. Poni ſolet vel in ipſo Exordio, vel poſt illud & propoſitionem, vel [illegible]ndi per totam orationem, Confirmationi juncta, ſeu immixta: quod fit in Orationib9,

quæ ad probandam propoſitionem, ipſius rei geſtæ ſeriem aſſumunt. Ut ſi proponeres aliquem, tanquam magnis Heroibus non minorem celebrare: neceſſariò res ejus geſtæ prolixiùs, & tanquam optima propoſitionis Confirmatio, referendæ eſſent. Quando exordio inſeritur Narratio; compendioſé eſt inſtituenda, præcipua ſolùm referendo: cætera, & hæc ipſa, diſtinctiùs & exaggeratiùs deinde in Confirmatione producantur.

Dotes Narrationis ſunt, Brevitas, Claritas, Probabilitas, & Conformitas cum materia. Cavendæ igitur 1. pueriles amplificationes, quæ parum aut nihil faciunt ad rem; ut ſi quis cædem patratam narraturus dicat: Cùm enſem quē adoleſcens ille in quodam domus angulo ſuſpenderat, arripuiſſet; ſtrinxit illum, & inimicum inſecutus eſt, tandemq; comprehenſum percuſſit, vulneravit & interfecit. Quod totum ſic rectiùs exprimitur: *Arrepto gladio, fugientem aſſecutus inimicum, interemit.* 2. Non utendum crebris Parentheſibus, alijſq; ambagibus, non allegorijs, alijſq; obſcurantibus tropis. 3. Nihil adferendū, quod ſuſpicionē rei aliter geſtæ parere poſſit. Si proferendum ſit aliquid vix credibile: utendum præfatione aliqua. v. g. Mirum eſt, ſed tamen à veritate non alienum. Vel, Aſſerere non auderem, niſi idoneis teſtibus, ſeu ſignis, compertum eſſet. Vel, Ambigerem ipſe, niſi viri graviſſimi aſſererent &c. Si res ſit parvi momenti, vel ad illu-

illustrandum, aut exornandum, solum adducatur; dici solet: Sit penes authorē fides. Vel, Si Pòétæ, aut N. credimus &c. 4. Res tragicæ, aliæq; graves stylo sublimiore & intermicantibus subinde affectibus, figurisq; illustribus, sunt referendæ: Leviores & lepidæ stylo familiari & plano, insertis non nunquam facetis dicterijs.

IV. CONFIRMATIO est ea pars Orationis in qua producuntur argumenta, ad probandam propositionem, & ad objecta adversariorum, si quæ sint, refellenda. Hæc pars est pectus & robur Orationis, debetq; in ea potissimùm desudare vis & industria oratoris. Ut rite instituatur, observandum est 1. Ut statim initio ponatur validum aliquod argumentum, in medio leviora, in fine validissimum; sicut in exercitu Rom: triarij. 2. Ut singula argumenta rectè inferant propositionem, vel Crinomenon, si hoc ab illa distinctum sit. 3. Argumenta non omnia producantur in eadem forma, nec nuda more dialecticorum; sed varijs vestiantur figuris & tropis; aliud disponatur in forma Syllogismi, aliud Enthymematis, Inductionis, Dilemmatis &c. Nec post singula necesse est inferre distinctè & apertè Conclusionem, seu Propositionem. 4. Crescat semper Oratio & rebus, & verbis, & affectibus: ut semper validior fiat impressio in animum Auditorum, donec penitus expugnatus deditionem faciat.

Si confutanda quædam occurrent, quæ vel adverſarius objecit, vel ipſe anteoccupanda putat orator: quæ validiora ſunt, priùs refutentur; ut his profligatis, cætera velut ſponte cadant, vel illorum ſtrage trahantur in ruinam. Refutantur autem argumenta, oſtendendo, ea eſſe falſa, vel incerta ſaltem, aut repugnantia materiæ vel adjunctis ejus &c. Et quia hæc pars orationis plena eſt caloris, & ſæpe furoris: ideo admittit dialogiſmos, ſeu expoſtulationes ſtylo conciſo, Ironias, Illuſiones, Interrogationes, Execrationes & ſimilia. Sæpe rejicitur adverſarius contemptu; ſæpe non ita rationibus, quàm cavillis & geſtu eluditur; ſæpe propria in eum retorquentur argumenta; ſæpe reſponſio ſuſpenditur, & perſona ejus interim exagitatur &c. Eximius, & valde induſtrius in his eſt Cicero.

Evenit quandoq;: ut DIGRESSIO quædam in Oratione conſultò fiat; dum orator aliquantulum à re propoſita deflectit ad aliam, non tamen omnino alienã, ſed affinem, nec inutilem: ſive ad illuſtranda dicta, vel dicenda, ſive ad diſtrahendum & recreandum aliquantiſper Auditorem. Cavendum autem, ne nimiùm excurrat; ne non digreſſus, ſed aberraſſe, videatur. In reditu ad propoſitã materiam ſolet adhiberi hæc, vel ſimilis formula: *Sed ut eò revertamur, unde digreſſi ſumus &c.* Vel, *Verùm ut cœptum oratio proſequatur curſum* &c.

V. EPILOGUS ſeu PERORATIO eſt ultima pars ora-

orationis quæ dicta concluduntur. Elaboranda est diligentissimè: quia etiam hìc finis coronat opus, & communiter tanti fit oratio, imò ipse Orator, quanti Epilogus. Per decursum enim orationis auditor vel suspendit judicium, vel si aliquod formavit; audita peroratione, aut ratum habet, aut corrigit. Proinde omnes ingenii vires, & artis industriæ colligendæ sunt: ut peroratio instituatur quã optimè. In hunc finem solet fieri brevis dictorum anacephaleosis, seu compendiosa repetitio, adhibita insigni aliqua figura: & Orator, qua potest, verborum energiâ, præsertim in Concionibus, erumpit in congruos materiæ affectus: ut Auditorem efficaciùs moveat, atq; captivum in suam abducat Sententiam. Si alicubi langvebat oratio; hìc ferveat, oportet.

§. 4.

De Dispositione Epistolari.

Epistolarum alias esse familiares, alias graviores: constat. Illæ ab amicis dantur ad amicos: istæ ab inferioribus ad personas illustres; vel certè versantur circa materiam graviorem, in genere sive Demonstrativo, sive deliberativo.

Familiares Epistolas, rectè censet P. Bohuslaus Balbinus, in Verisimilib9 suis [illegible] 2. nullis indigere specialibus legibus, seu [illegible] Præceptis, quoad Juventionem, Dispositionem

 aut

aut Elocutionem. Cùm enim nihil aliud ſint, quàm Colloquium familiare amici cum amico: ſicut artificio Rhetorico non utimur agendo familiariter cum amico præſente; ita eodem opus non eſt, dum per Epiſtolam conferimus cum abſente. Civilitas ergo, Amor, & Prudentia naturalis convenientem his epiſtolis methodum rectiùs tradent, quàm artificioſa Rhetorum, vel Grammaticorum, præcepta. Exerceri tamen convenit Adoleſcentes, & quidem diligenter, in ſcholis, conſcribendis epiſtoliis, præſertim ad imitationē Tullianarum: tum ut puritatem nitoremq; Latini ſermonis, in illis reſucentem, addiſcant; tum ut aſſueſcant, comiter atq; urbanè agere cum amicis, graviter & reverenter cum majoribus, ſive præſentibus, ſive abſentibus.

Quod attinet ad Epiſtolas graviores: earum conſiderari poteſt tam Materia, quàm Forma. Si materia, de qua ſcribendum eſt, indiget diſcurſu atq; argumentis: ea ſi non ſatis propria, aut copioſè ſuppeditat Ratio, ſeu prudentia naturalis; petenda ſunt ex iiſdem Locis, ſeu Fontibus, è quibus petuntur pro Orationibus, juxta inſtructionem ſuprà datam: quàmvis non tanto verborum, figurarum, & eruditionis variæ apparatu, ſint exponenda; ſed ſtylo planiore ac leniore, affectuque moderatiore.

Forma hujuſmodi Epiſtolarum, ſeu partium Diſpoſitio, poteſt quidem eſſe vel Syllogiſtica

ſticæ, vel in modum Enthymematis, aut Expolitionis, aut Prothaſeos cum Apodoſi &c. non tamen neceſſe eſt, ut de induſtria in hanc compingantur. Egregias & numeris omnibus abſolutas ſcribunt Epiſtolas aulici, & cives cultiores, qui Grammatica aut Rhetorica de illis præcepta acceperunt nulla, aut accepta pridem ;tradiderunt oblivioni. Ipſos eruditorum principes, quorum extant,& celebrantur Epiſtolæ; videmus, non fuiſſe ſolicitos de artificiali illarum formâ.

Univerſalem igitur dat Regulam Balbinus cit: ut ſcripturus Epiſtolam ita te geras, ac-ſi coràm agendum tibi eſſet cum eo, cui ſcribere intendis. Si ergo ipſum adires: utiq; ante omnia honorares ſalute, vel ſimili, ſecundùm morem patriæ, officio; adferres deinde cauſam acceſſûs tui, exponeres exponenda, breviter & nervoſè, vel fuſiùs, prout materia requireret: deniq; commendares te favori illius, & promitteres omnia. Hæc ſcribe decenter: & egregiã confeciſti Epiſtolam.

INSTITUTIO X.

De Elocutione Oratoriâ.

HÆc eſt una ex præcipuis Rhetoricæ partibus, à qua oratores denominantur Eloquentes, & ipſa Ars Rhetorica dicitur Eloquentia. Fuſiùs tractanda foret: niſi non pauca ad eam ſpectantia jam ſuprà expoſitaeſ-

ta essent, Quæ restant, hic prosequemur.

§ 1.

De præcipuis Elocutionis Dotibus

RECenset eas Cicero lib. 3. de Oratore, ubi Crassum inducit sic loquentem: *Quisnam dicendi est modus melior: quàm ut Latinè, ut planè, ut ornatè, ut ad id, quodcunq; agetur, aptè congruenterq; dicamus?* Quatuor igitur sunt præcipuæ Elocutionis Oratoriæ dotes: scilicet, ut sit Latina, Plana, Ornata & Apta materiæ, circa quam versatur. Singulæ paulò fusiùs declarandæ.

I. Sit LATINA: ut constet verbis & modis loquendi genuinè Latinis, quibus nimirum usi sunt Cicero, alijq; authores Classici (prout expositum suprà Instituti: 2.) & etiamnũ apud eruditos in usu sunt. Peregrinis igitur vocabulis non nisi ijs utendum, quæ usus doctorum & consvetudo longa recepit. Ejusmodi sunt voces quædam Græcæ, præsertim Artium & scientiarum, quæ simul cum artibus & scientijs à Græcis ad Latinos transiverunt, & hodie etiam in usu sunt: quales non paucæ reperiuntur in Pöési, Philosophia, imò & Rhetorica; ut sunt complurium figurarum & troporum omniũ nomina &c. Veteres Romani adeò vitabant vocabula Græca; ut Tiberius Cæsar, Svetonio teste, veniam à senatu petierit, priùs quam *Monopolium* proferret. Idem in decreto quodam senatus positam vocem Græcam

cam, ejici jussit, & Latinam substitui, vel Circumlocutionem congruã fieri. Hodie nonnullis nulla satis compta videtur oratio: nisi hinc inde quid Græcum sonet, quantumlibet triviale, & nihil sive elegantiæ, sive gravitatis importans. Nimirum bilingves videri volunt, dũ neutrâ satis commodè uti possunt.

Graviús peccant, qui nationis suæ, vel alterius peregrinæ, vocabula, sub terminatione Latina, intexunt; atq; ita disertè se barbaros produnt, dum Latinos profitentur. Non minus rei violatæ Latinitatis sunt, qui phrasim Latinam idiotismis maternæ lingvæ accomodant. Quod enim in uno idiomate, insigni cum elegantia vel lepore profertur: non potest plerumq; commodè totidem & similibus verbis alterius, præsertim Latini, idiomatis efferri. Habet quælibet lingva suos idiotismos seu proprietates non communicabiles.

Cæterùm ut ad Græcos atq; ut ita dicam Græcisantes, redeamus: advertendum est; quosdam Hellenismos, seu aliquam constructionẽ Græcam, à Latinis, etiam Classicis, Authoribꝰ receptam esse, & non indecorè adhiberi.

1. Nominativus eleganter ponitur loco Adverbij, idq; vel in neutro genere; Ut Cythara dulcè canit; Grande vel horrendũ fremit; Blandũ loquitur &c. Vel in alio genere, quod constructio requirit: Ut Atrox instat, pro atrociter Matutinus veni, pro manè: Nullus dixeris, pro ne dixeris. Nullus dubito, pro non dubito

&c. Et hæc fiunt per figuram Enallagen quâ una pars orationis ponitur pro altera.

2. Adjectivum neutrum jungitur ſubſtantivo maſculino. Ut, Varium & mutabile ſemper fœmina. Triſte Lupis ſtabulis. Id eſt, aliquid triſte ſtabulis, ſeu pecoribus, eſt lupus.

3. Adjectivum neutrum ponitur loco ſubſtantivi. Ut, Æquvm pro æquitate, Serenum pro ſerenitate &c. Etiam in numero plurali. Ut, Ardua rerum. Incerta viarum &c.

4. Certis adjectivis, quæ uſus & lectio te docebit, bene jungitur Genitivus. Ut, Candidus eloquij, Cæcus futurorum, Nimius curarum, Impiger belli &c.

5. Adjectivo jungitur Infinitivus. Ut Cereus diffluere. Doctus ludere. Facilis dare &c.

6. Adjectiva & participia, laudem, vituperationem, patriam, gentem, nomen vel partem ſignificantia, ponuntur cum Accuſativo. Ut, Auctus opes, Cinctus caput lauro &c. Nimirum ſubintelligitur particula *ſecundùm*.

7. Quando apud Latinos deberent duo Nominativi poni cum verbo; verbum ponitur cum Nominativo & genitivo. Ut, Fies nobilium tu quoq; fontium. Id eſt, nobilis fons fies. ſed hoc magis Pòëticum, quàm Oratorium eſt. Et univerſim Helleniſmis iſtis parcè, & fere non ſine exemplo Claſſicorum, utendū Oratori. Quod enim olim dixit Craſſus, maximè convenit ſæculis noſtris, à pura Latinitate remotiſſimis: NON MINIMA RES EST, LATINE

LOQUI

LOQUI.

II. PLANA esse debet Elocutio: id est, ita Clara; ut ab auditore sine difficultate intelligi possit. Proinde 1. Respectus habendus est Auditoris, & doctrinæ ejus. Quod enim uni planum & perspicuum; alteri obscurum, & impeditum, seu salebrosum, est. 2. Verbis utendum usitatis, non obsoletis, abstrusis, aut ambiguis. 3. Parentheses non adhibeantur crebræ, nec nimis longæ: neq; periodi frequenter longo tractu circumducantur. 4. Concept9 non ita acuantur; vt cerni vix, aut ne vix quidem possint. 5. Ordinatè procedat oratio, & ab instituto, seu propositione non recedat. Mihi tam chara est hæc dos Elocutionis: ut malim simplicitate, quàm obscuritate peccare; & subtilissimorum conceptuum, quàm claritatis, jacturam facere. Quid enim prodest, miranda magis, quàm intelligenda loqui? Simplex mirabitur, doctus ridebit, & contemnet.

III. ORNATA ut sit Elocutio: instruatur Verborum competentium decore, membroru[illegible] apta connexione, conveniente in periodis numero, apposita periodorum terminatione, & luminibus illustrium Figurarum.

Decor erit in verbis, si fuerint non solùm purè Latina, sed etiam nitida, tropica se[illegible] translata, bene sonantia, & rem optimè [illegible]xprimentia. Porro *Nitidiora* sunt Bos, v[illegible]cula, quàm vacca; sus quàm scrofa &c. *Magis sonantia* sunt, quæ vocalibus A, O, U, constant;

 Molli-

Molliora, quæ I. & E. Item Verbalia & composita, quàm simplicia: ut Dominatrix animi cupiditas, quàm Domina; Regnator aquarum, quàm rex aquarum; Consceleratus, Constuprator, quàm sceleratus & stuprator. Item quæ pluribus, aut longis constant syllabis: Ut Tēpestas pro Tempore; Princeps pro primo; quanquam, pro licèt &c. Rem magis exprimunt, Perditus & profligatus, quàm malus, seu improbus; Trucidare, quàm occidere; Excruciare, quàm torquere &c. Evitetur autem frequens vocalium, vel c nsonantium, præsertim duriorum, concursus. Per illas enim hiulca & insvavis, per istas durior redditur oratio Vt *Xerxis exercitus cæsus*. Melius diceretur: *Xerxis cæsus exercitus*. Quantum igitur ejus fieri potest; dictio sequens non habeat literam initialem eandem, qua præcedens finiebatur. Ut si dicas: *Arripienda arma ab amantibus pacem*. Melius diceretur. *Ab amantibus pacem arripienda sunt arma*. Monosyllaba quoq; coacervanda non sunt; sed in omnibus varietatis habenda ratio.

Quòd ad membrorum & periodorum connexionem atq; terminationem attinet: nihil occurrit addendum dictis Instit 5 §. 3. nisi quod Periodus bene incipiat à numeris proceris & liberis, ut Dactylo Anapæsto, Pœone primo - ◡◡◡. Non bene verò finiatur instar carminis, ut si dactylus & spondæus ponantur in fine. In rebus referendis & actionibus servandus ordo naturalis: ut præponantur, quæ priùs

ùs facta sunt v. g. Vulneravit, & occidit. Die nocteq;, non contrà.

Quomodo rudes Locutiones elegantiùs efferendæ sint, potissimùm Propositiones orationis, & de ornatu per figuras Rhetoricas: actũ suprà Instit: 5. Hic nota Figuras quasdam, ut quæ solùm in verbis ludunt, esse leviores, adeóq; rariùs adhibendas: uti sunt Paronomasia, Traductio, Polyptoton, similiter cadens & Desinens. Placent quidem Iuvenibus: sed sæpe repetitæ puerilem sonant cantilenam.

IV. APTA erit oratio, si accomodata fuerit Rebus, personis & Tempori. *Rebus* accomodatur, si materiæ, de qua tractatur, sublimi responderit elocutio, seu stylus, sublimis; Mediocri mediocris, Humili humilis. Deinde aliter tractanda est oratio sacra, aliter profana. De qua styli varietate mox agemus. *Personis* ut attemperetur; debet convenire & Auditori & Oratori. Alter enim dicendum est ad juvenes & humiles; aliter ad viros & senes, atq: ad genere vel dignitate illustres. Similiter alia convenit oratio oratori seni, alia Iuveni &c.

§ 2

De Styli varietate.

STylus orationis, seu Character dicendi, considerari potest secundùm quadruplicem respectum 1. Respectu materiæ 2. Respectu Personæ oratoris & Auditoris. 3. Respectu Finis oratoris. 4. Respectu Formæ ipsius

us ſtyli. Ut convenienter inſtituatur: omnibus & ſingulis hujuſmodi reſpectibus accomodari debet.

Quæres 1. *Quotuplex eſt Stylus reſpectu materiæ, Perſonarum & Finis?*

℞. Sicut MATERIA, circa quam verſatur Orator, alia eſt humilis & vulgaris, quales ſunt res obviæ & minoris momenti; alia gravis & ſublimis, qualem præbent res raræ, admirabiles, magnificæ, luctuoſæ &c. alia Mediocris qualem dant res jucundæ, celebres, & aliæ non parvi momenti: ita Stylus adhibendus eſt jam Humilis, ſeu Tenuis, jam Grandis & Sublimis, Mediocris & floridus, ſeu Medius inter Humilem & Sublimem. Dum autem audis Stylum Humilem, non intellige vilem, trivialem & plané plebejum, qui omnibus Oratorijs ornamentis ſit deſtitutus: ſed talis dicitur reſpectu Sublimis & Mediocris, quorũ elegantior eſt cultus, & majeſtas quædam.

HUMILIS ergo Stylus eſt, qui contentus purà Latinitate, clarioribus Tropis, Figuris lenioribus, parœmiis, & ſubinde inſperſis dictis ſententioſis, adhibetur familiaribus doctorum colloquijs & Epiſtolis, in Dialogis ſcriptorum, & Narrationib⁹ obvijs oratorum.

MEDIOCRIS amœnioribus effloreſcit Tropis & Figuris, eruditionibus, ſententijs, acuminibus, & membrorum periodorumq; concinnitate accurratiore. Uſus illius eſt potiſſimùm in Deſcriptionibus rerum celebriorum, in gra-

gravium virorum consultationibus, Epistolis de rebus majoris momenti, & ad personas illustres datis, in Historia, laudibus virtutum & præclarè gestorum, vituperijs vitiorum, Panegyricis, Inscriptionibus &c.

SUBLIMIS stylus est, qui sonantioribus, & magis emphaticis constat verbis, sententijs illustrioribus, affectibus gravioribus, doloris indignationis, iræ &c. ideoq; attolli debet Tropis & Figuris præcipuis, uti sunt Conduplicatio, Emphasis, Contraposita, Apostrophe, Hypotiposis, Prosopopœia, Exclamatio, Execratio, &c. Adhibetur in Epistolis gravioribus, in Orationibus & Pöëmatis exhortatorijs ad magna, invectivis, criminatorijs, lamentatorijs alijsq; tragicis

Accomodantur 1. prædictæ Styli Species triplici muneri, seu fini Oratoris, qui est Docere, Delectare, Movere. Docet stylo humili, delectat mediocri, movet sublimi. 2. Triplici sorti Rhetorum, scilicet Incipientium, Proficientium, & Perfectorum. Incipientium stylus est humilis, proficientium Mediocris, Perfectorum Sublimis; quamvis in omni sensim exerceri debeant studentes. 3. Triplici ætati Oratorum. Adolescentum Stylus est humilis, Juvenum Floridus seu Mediocris, Virorum sublimis. Senes utuntur Mediocri sed gravi rationum pondere, & sensibus magis quàm figuris instructo, ac adornato. Similiter corā Senibus utendum stylo gravi, & non verboso; coram virili ætate Sublimi; coram Juvenibus

nibus Florido; coram adolescentibus Tenui, nisi aliud Materia requirat.

Cavendum diligenter in Stylo Humili, ne vilescat & omnino frigeat; in Mediocri & Florido, ne nimis solicito verborum aucupio, & eruditionis affectatione puerascat, vel Troporum insolentiâ infletur; in Sublimi, ne Pòëtarum enthusiasmis abripiatur, & monstrosus evadat, dum nescit modum tenere in verbis & affectibus. Frequens est sublimem stylum affectantibus; ut nunc ultra solis vias efferantur, mox Icarijs aquis mergantur, non minùs frigidi, quàm madidi.

Quæres 2. *Quotuplex est Stylus respectu Formæ?*
R. Alius est Concisus, alius Circumductus, alius Argutus, alius Grandis, vel Allegoricus.

CONCISUS Stylus est, qui vel paucis verbis cum virtute absolvit sententiam; vel sæpe insistens, seu commaticè incisus, periodū nervosè complet. In hoc versati sunt olim Salustius, Plinius Secundus, & Seneca Philosophus potissimùm, à quo etiam Senecanus dicitur. Nec Cicero eū neglexit: ut patet ex ejus Epistolis, præsertim ad Tyronem & Atticum; imò & Orationibus, dum adversarios urget atq; exagitat. Præcedente sæculo eruderarunt illum, Lipsius & Puteanus.

CIRCUMDUCTUS Stylus, qui & CICERONIANUS dicitur, est: qui lento amploq; dictionis ambitu & nexu periodos membratim circumducit, atq; absolvit. Patet in omnibus Ciceronis

ora-

orationibus. Validus eſt hic dicendi chara-ctęr; atq; ad docendum, & ad Auditores at-tentos reddendos, retinendoſq; aptiſſimus; i-deoq; à Cicerone in omni genere dicendi ex-ercitatiſſimo, præ cæteris electus.

ARGUTUS Stylus acutis nervoſiſq; ſenten-tijs gaudet, & in Conciſum plerumq; inci-dit. Valet ad delectandos & excitandos ani-mos. Non tamen ubiq; locum habet. Ubi e-nim res communis, & filo communi, texen-da eſt; ut in Narrationibus, in genere Judi-ciali & Deliberativo; putidi hominis eſt, in-quit Cauſinus, tunc argutijs ludere, dum lu-ctandum eſt. Genus demonſtrativum huic ſty-lo patentiorem aperit campum. Videri poteſt in Elogijs & Panegyricis Recentiorum.

GRANDIS Stylus dicitur qui quandam ver-borum & ſententiarũ pompam ducit, & ube-riorem eruditionis explicat majeſtatem. Dif-fert à Sublimi, quòd hic potiſſimùm verſe-tur circa Affectus graviores excitandos; illi autem major cura eſt de verbis ſonantibus, & varia eruditione, atq; conceptibus raris & prægnantibus. Laudi inprimis ac vituperio, & rerum non vulgarium graphicis deſcri-ptionibus ſervit. Unde Encomiaſtæ & Saty-rici illo delectantur. Videri poteſt in Barcla-jo, & Elogijs P. Petri Labbe &c. Affectavit illum Apulejus, ſed non pro dignitate tra-ctavit, verbis novatis & inſolentibus horri-dus, vel tumidus, non ſolidè grandis.

ALLE-

ALLEGORICUS eſt, qui frequentioribus conſtat metaphoris, ſeu phraſi Allegorica; ſive multæ diverſæq; allegoriæ per orationem ſpargantur, ſive una principalis per totam ducatur, alludendo ad naturam, proprietates, & adjuncta rei, à qua facta eſt translatio, ſeu Metaphora deſumpta. Habet hic ſtylus non paucos inter Recentiores, amatores; ſed non æquè feliciter ab omnibus tractatur. Videri poteſt in Orationibus PP. Soc: J. habitis de Paſſione Chriſti ad varios Pontifices Rom.

Quæres 3. *Quæ ſunt Styli Vitioſi Species?*

Reſp: Complures recenſet, exponitq; Cauſinꝰ lib. 2. quales ſunt Stylus *Inflatus*, ſeu Tumidus, in quo multum eſt vocis, parum lanæ; *Puerilis*, qui ſine judicio affectatâ gaudet elegantiâ; *Scholaſticus*, qui extra ſcholas nimis ſolicitus eſt de apicibus præceptorum Rhetoricorum; *Poëticus*, qui, vel majore vagatur licentiâ, vel nimis ſcrupuloſè inſiſtit numeris, vel crebriùs intextis ludit carminum fragminibus; *Antiquarius*, verbis obſoletis horridus; *Miſcellaneus*, varias Styli ſpecies imprudenter confundens; *Fluctuans* & *Diſſolutus*, qui caret nervis tum ſenſus tum membra, & periodos nectentibus; *Præruptus*, qui raró perfectam abſolvit periodum, ſed ſenſus velut abrumpit; *Siccus* & *Exſangvis*, qui caret tum debitâ verborum ſenſuumq; copia, tum ſpiritu incitis & Figuris incitato; *Frigidus*, qui nec rationibus, nec affectibus calet; *Cacozelus*, qui autho-

authorem aliquem inepte imitatur. *Parenthyrsum* est oratio grandibus & intempestivis, affectibus & Figuris, in re parva insaniens.

§. 3.

Quis eligendus sit Stylus ?

RESp: breviter ad Quæstionem non facilem, & multa multorum contentione agitatam: Illum quisq; eligat (quo præcipuè utatur)Stylum, ad quem se à Natura duci experitur. Cùm enim non eadem propensio & vis indita sit omnibus ingenijs; sed alia conceptuum, alia verborum sint profusiora, non nulla pruriant acuminibus & argutijs; alia rationum & sententiarum sint feraciora: difficile est, si non impossibile, omnia in eandem dicendi formam, velut in eundem modulum, compingere; & singula cuivis stylo aptare, reluctante naturâ. *Vnum aliquod elige, in quo excellas*: monebat Thales, unus ex 7. Græciæ sapientbus, apud Laërt: Ne autem temere eligas: consule Naturam tuam; considera propensionē ejus, &facilitatem jam ad hunc jā ad illū dicendi characterē: & ad quē te deprehenderis proniorem, illi totū te applica itá; ut in eo excellas. Quanquam & alijs styli speciebus aliquam impendere operam, oportebit: ut pro diversitate materiæ, vel formæ orationis, aut Epistolæ, possis flectere stylum, atq; nunc fundere humilem, nunc adornare floridum, seu mediocrem, nunc attollere sublimē.

Cæterū

Cæterum ubi te videris proniorem ad certam ſtyli ſpeciem. v. g. Ciceronianum, ſeu Circumductum; vel ad Senecanum, ſeu Conciſũ &c. diligenter obſerva tam vitia, quàm virtutes talis ſtyli, ut illa devites, has aſſequaris. Utraq; compendio tibi propono.

Styli CICERONIANI Virtutes ſunt:- Periodorum rotunda circumductio, & maxima varietas: Membrorum & periodorum, imò & majorum orationis partium elegans nexus; phraſis dilucida, & rebus, perſonis, tempori, loco, accuratiſſimè accomodata; Troporum & Figurarum pulcherrima lumina, ſententiarum interlucentes gemmæ, rationum firmitas & perſpicua expoſitio, totius orationis exacta Partitio &c. *Vitia* in illo vitanda ſunt Lentitudo, diſſolutio, & Cacozelia. Ne ſcilicet ſimus langvidi, & pigro pede decurrat oratio; nec nimia membrorum & periodorum longitudine ac diſſolutione diffluat; ne ijſdem figuris, præſertim levioribus, & modis loquendi, intra breve ſpacium frequenter utamur; & quod in Cicerone deprehendimus imitandum, opportunè importunè ingeramus. Utilis eſt tyronũ exercitatio: ut conciſum Senecanum ſtylum conentur in aliquantò ampliorem Ciceroniani formam redigere. Sic enim nec areſcet ſterilitate, nec copiâ verborum diffluet ſtylus; ſed facile in medio conſiſtet, & utriuſq; decora participabit.

Ad ſtylum CONCISUM requiruntur voces le-

ctiſſimæ

ctiſſimæ, & emphaticæ; ut epithetis crebris opus non ſit: nec quidquam adhiberi debet, quod ſalvo eodem ſenſu, removeri poſſet. Inciſim potiùs, quàm membratim feratur. Periodi breves ſint; particulæ nectentes membra membris, periodos periodis rarò adhibentur. Amat gnomas & paræmias illuſtres, variamq; eruditionem breviter inſinuatam potiùs, quàm expoſitam. Hic dicendi character, aptiſſimus eſt orationibus brevioribus tum politicis, tū quales apud hiſtoricos reperiuntur; tum doctrinis moralibus, ut apud Senecam Philoſophum: deniq; aptior eſt ſcriptioni, quàm perorationi prolixiori. Cùm enim multa paucis comprehendat: auditor vix poteſt aſſequi oratorē dicentem; & memoria ipſius oratoris facile fatigatur. *Vitia* in eo vitanda ſunt ſiccitas & frigus ſententiarum, aſperitas quoq; & prærupti hiatus periodorum, deniq; frequentia ſententiarum ſynonimarum. Cùm enim difficile ſit inſignes gravesq; cumulare ſententias: facillimè evenire conſvevit, ut leves, frigidæ & i-dem omnino ſignificantes coacerventur, atq; non minus verboſa evadat oratio, quàm ſi ſtylo flueret Ciceroniano.

Stylus ARGUTUS ijſdem obnoxius eſt vitijs. GRANDIS caveat obſcuritatem per frequentatas allegorias, & congeſtas eruditiones; tumorem quoq; per denſiora epitheta, affectationem, & parenthyrſum per intempeſtivos affectus: nē ſcilicet etiam in rebus exiguis furore quodam

Pòetico

Pòëtico, seu Bacchico concitetur, exclamando, imprecando &c.

ALLEGORICUS stylus non nisi maturo judicio rite tractari potest; magnaq; opus est circumspectione in deligenda Allegoria, quæ per prolixiorem orationem ducatur: ut & sufficientes atq; decoros suppeditet conceptus. Unde ineptiret, qui laudaturus personam illustrem genere & gestis, diceret: eam esse Candelam familiæ vel regni; aut celebraturus Heroem fortiter gestis pro patria inclytum, diceret: eum esse Fulcrum quercinum patriæ. Dicendū esset, esse Columnam inconcussam patriæ; Sidus illustrissimum gentis suæ &c. & applicandæ deinceps illi proprietates, effectus & adjuncta columnæ, vel sideris, cū allusione ad variam eruditionem de columnis & sideribus. Semper enim insistendum est similitudini contentæ in Allegoria, quæ in propositione orationis assumpta est. Quando autem nulla certa præfixa est; licet quidem adhibere varias, sc[illegible] quæ aptæ & decentes sint.

[illegible]vendum igitur 1. Ne res leves seu viles [illegible]er allegoriam ponantur pro magnis & illus[illegible]ibus 2. Ne res parvi momenti assumantur [illegible]legorico stylo tractandæ. Ut enim non quiv[illegible] pannus decenter distingvitur gemmis vel [illegible]ro; sic nec quævis materia conceptibus alleg[illegible]ricis; sed gravem & magnificam esse oporte[illegible] 3. Adhibenda non sunt verba aliena à similitudine allegorica. Unde non rectè dicitur

dicitur quiſpiam, virtutum gemmis vel luminibus *florere*; ſed Radiare. 4. Cavendum: ne allegoria nimis obſcura reddatur continuis metaphoris, catachreſibus, alijſq; tropis; ſed propriæ etiam locutiones inſerendæ ſunt, quibus ad translatarum intelligentiam juvetur auditor. Quis enim probet, obſcuritatē allegoriarum Ennodij, Allegoriſtarum coryphæi, dum ſcribit:

Diu ſalum quæris, verbis in ſtatione cōpoſitis, & incerta liquentis elementi placida oratione deſcribis, dum ſermonum cymbam inter loquelæ ſcopulos rector diligens frænas, & curſum artificem fabricatus trutinator expendis; pelagus oculis meis, quod aquarum ſimulabas, eloquij demonſtraſti &c. Quamvis enim Metaphoræ gemmeæ ſint & melleæ; adhiberi debent moderatè: cùm etiam mella faſtidium afferant; & gemmæ purpuram diſtinguere debeant, non obruere.

§. 4.

De Affectibus excitandis.

CUm Oratoris ſit, non ſolùm docere, & delectare; ſed etiam movere Auditorem per concitatos in ipſo varios affectus (qui eſt præcipuus Oratorum triumphus & totius Artis oratoriæ medulla) de his quoq; agamus, oportet. Sunt autem Affectus, quidam animi motus ex boni vel mali apprehenſione vivaci nati: ideoq; procedunt ex duplici a-

nimæ facultate, Concupiſcibili ſcilicet, atq; Iraſcibili. Per Concupiſcibilem appetimus bona, per Iraſcibilem fugimus mala.

Affectus hujuſmodi ſunt Amor, Odium, Deſiderium, Fuga, Gaudium, Triſtitia, Spes, Deſperatio, Timor, Audacia, Ira, Clementia, Manſuetudo, Miſericordia, Indignatio, Invidia, Æmulatio, Pudor ſeu Verecundia. Horũ alij dicuntur Ethici ſeu leniores: ut Amor, Gaudiũ Triſtitia, Spes, Miſericordia, Clementia, Pudor, Timor. Alij Pathetici, ſeu Graviores: ut Indignatio, Ira, Odium, Dolor vehemens, Deſperatio &c. Leniores ſerviunt Exordijs, & comptiorem blandamq; amant orationem: Graviorum uſus eſt potiſſimùm in fine Confirmationis & Peroratione, adhibito ſtylo nervoſiore, & ubi opus eſt, acriore, cum gravioribus Figuris; uti ſunt Hypotipoſes, Proſopopœiæ, Apoſtrophæ, Exclamationes, Deteſtationes, Imprecationes &c. De ſingulis in particulari affectibus, & modis eos concitandi latè tractat atq; egregiè Cauſinus lib. 8. toto. Hic accipe generales Regulas ſequentes.

1. Ut orator Affectum aliquem excitet in auditore; debet eundẽ priùs excitare in ſe ipſo. Scilicet ut aliũ accendas, debes ipſe ardere. Quod vel maximè obſervandum eſt oratoribus Sacris, ſi fructum facere volunt, & non perſtringi Tulliano illo: NÆ TU, SI ITA SENTIRES, ITA FRIGIDÈ LOQUERERIS.

2. Affectus non tam vociferatione incondi-

ta, quàm præmissis solidis & convincentibus argumentis excitantur. Convicto enim intellectu, facile movetur voluntas.

3. Argumenta illa magis movent, quæ à sensuum experimentis, præsertim oculorum, vel tactûs, ducuntur. Unde populum Romanum magis movit cruenta occisi Julij Cæsaris vestis, quàm Antonij oratio. Et aptius est ad motum illud S. Chrysostomi: *Fulmine, non verbere digni confabulantes in templo*: quàm si diceres, gravem irrogari loco sacro irreverentiā

4. Præsentia magis movent, quàm futura. Proinde ad percellendos improbos non solùm intentandum Judicium extremum, & supplicia inferni; sed etiam mala plurima & gravissima præsentis vitæ.

5. Affectus graviores non protrahantur nimiùm, sed sint breves, & potiùs per intervalla repetantur. Nullum enim violentum est perpetuum: & lacrymâ nihil citiùs arescit.

6. Cùm sumus in motu Affectûs certi, cavendum diligenter: ne incompto gestu aliquo, incondita voce, aut importuno verbo, nedum discursu, eum suffocemus; aut contrario occasionem, ut non rarò contingit, præbeamus. Abstinendum ergo conceptibus acutis, eruditiunculis intempestivis, dicterijs & figuris mollioribus &c.

7. Multum facit congruus figurarum graviorum usus non tam prolixè extensarum, quàm verbis emphaticis instructarum, & voce

gestuq; competente expressarum: quemadmodum plus valet validus ictus unus & alter ad impellendũ clavũ, quàm repetiti plures leviores.

8. Post propositam rationum, vel exemplorum congeriem, vel accuratam rei per Adjuncta factam descriptionem, facile sequitur motus animorum; præsertim si idoneum Epiphonema cum energia subjungatur. Ut si post densam malorum congeriem, quæ DEus infert pro peccatis, subdas illud Psal. 49. 21. Intelligite hæc, qui obliviscimini DEum: ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat!

9. Juvat subinde, circa eandem materiam, in eadem oratione seu concione, varios concitare affectus (ut auditor tantò sit attentior, & fiat mollior) nunc indignationis & iræ, nunc Comiserationis, nunc Desiderij; jam Timoris, Jam Fiduciæ &c. quibus excitandis servient Loci Rhetorici, de quibus suprà, si apta ex illis petantur argumenta. V. G. Ad imprimendam hominibus fugam Ebrietatis, posset ad excitandum ODIUM ejus vitij, recurrere ad Definitionẽ descriptivam: ut quòd sit eversio mentis, hominis in brutum conversio &c. TIMOR cieri potest ex Effectis, id est damnis quæ causat, & supplicijs, quæ meretur; PUDOR ex Adjunctis Loci, Temporis &c. quorum nihil curat ebrius; COMMISERATIO ex Antecedentibus & Consequentibus, ut quod homo aliàs sensatus, doctus, honoratus &c. in tam fœdum miserumq; statum per e-

brietatẽ

brietatem redigatur, pueris ludibriò futurus; AMOR & DESIDERIUM à Contrarijs, ostendendo quã amabilis & venerabilis sit Sobrietas. &c.

10. Deniq; plurimùm confert diligens MEDITATIO de re, circa quàm excitandi sunt affectus: ut intimè penetres, & pleniùs comprehendas ejus sive amabilitatem, sive indignitatem & abominationem. Sic enim excitaberis ad agendum totis viribus, & omni industria conta illam, vel pro illa; sensumq; tuũ & affectũ Auditori ut imprimas, laborabis. Est profectò Ars artium, posse auditorẽ pro arbitrio circumducere, & quos volueris, concitare in illo motus, seu affectus. Hæc sola facit oratores REGES ANIMORUM: sine hac vox sunt, prætereaq; parum, aut nihil. Hac excellant, oportet, Ecclesiastæ, quorum id muneris est: ut exemplo Præcursoris Domini, sint Vox clamantis in deserto; atq; ut Psalmographus canit Psal. 28. *Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia, Vox Domini confringentis cedros, Vox Domini intercidentis flammam ignis, Vox Domini concutientis de[s]ertum.* Non est satis, si subtiliter vel eruditè doceant; si suaviter jucundeq; delectent: sed obstinatos peccatorum animos Timore [D]ei concutere, & Amore succendere; ab in[ve]tis vitijs avellere, ad virtutis studia transferre; corda saxea scindere ad pœnitentiam oportet: ut pravè amata fugiant; & quæ solidè fugerunt, amplectantur. Qui motus ut sine Di-

gitoq DEi fieri non possunt; ita sociam, eāq; strenuam & industriam, Ecclesiastæ operam requirunt.

§. 5.

De Memoria & Pronunciatione.

UT Elocutio feliciter procedat; præter alia felici opus est Memoriâ; quæ scitè inventa, riteq; digesta & adornata, insigni capacitate complectatur, constanti tenacitate retineat, & tempore opportuno fideliter reddat. Est enim Memoria Facultas animæ, conservans ea, quæ cognovimus. Quàmvis verò præcipuus ejus vigor à Natura sit: non pauca suppeditat illi subsidia solertia Artis. Ne igitur Oratorem, cætera optimè instructum, destituat aliquando Memoria: sequentia suggeri solent adminicula.

1. Excolenda est Memoria frequenti exercitatione: ideoq; Magistri á tyronibus fideliter repetant pensum quotidianum. Sylvescit enim; & instar uberum, nisi crebrò mulgeatur, arescit; ut ubi opus fuerit, parum, aut nihil extundi possit.

2. Juvat ex eadem Charta, in qua compositio nobis ipsis facta est, discere orationē: ne locis memoria confundatur. Nisi fortè plurimis mendis & lituris inquinata esset charta.

3. Perlegenda primùm est, attentè & intelligenter, tota Oratio: deinde per partes designatas ediscenda, quas aliqui non inutiliter

certis

certis notis diſtinguunt, ut diſtinctiùs & tenaciùs memoriæ imprimantur. Servant nonnulli hunc morem: ut Orationes prolixiores incipiant diſcere à fine, ſeu Concluſione, deinde procedant ad Exordium &c. Ratio illorum non eſt levis: tum quia in Peroratione, ſeu Epilogo, plurimum eſt poſitum (ſi enim finis bonus, laudabile totum) tum quia Memoria per decurſum Orationis fatigata, facile deficere poteſt in fine, quando Concluſio non eſt illi firmiſſimè impreſſa; prout multa docuit experientia tam in ſacris, quàm profanis oratoribus (ideoq; hac diſcendi methodo uti, ipſe conſuevi, magno commodo meo) quibus poſt expeditam egregiè declamationem aliarum partium, non rarò in fine hæſit aqua; ut non ſine rubore pueriliter balbutire, vel finem orationis, neſcio ubi, quærere debuerint, talemq; facere; qualem mens turbata hic & nunc tumultuariè ſuggeſſit. Quod ſanè non leve incommodum eſt.

4. Diſcenda eſt oratio cum debita vocis inflexione & geſtu: ne poſtea his intenti diſtrahamur, & filum orationis incidamus.

5. Plurimùm conducit, veſpere ante ſomnum attentè perlegere, & memoriæ mandare declamanda; eadēq; ſtatim, ut experrefacti fuerimus, revocare. Tunc enim, antequam aliarum cogitationum turba ingruat, facilius reddit memoria, pridie ſibi credita.

Circumferuntur præterea variæ artes aliæ juvan-

juvandi Memoriam, per varias Imagines, & locales designationes: &c quas referre non vacat, nec opere pretium videtur. Juniores illis non indigent, cùm maximè valeant memoriâ: provectiores ægrè illis animum applicabunt alijs occupatum.

PETES: *Qualis debet esse Pronunciatio?*

R. Voce & gestu optimè instructa. Quod ad Vocem attinet: sit rebus, loco, & affectibus proportionata. Initio orationis sit remissior; in Confirmatione crescat sensim; in Peroratione plena erumpat, cum decoro, tamen, & prout Affectui tunc eliciendo opportunum erit. In Narrationibus sit lenior, nisi aliquando ob rei gestæ gravitatem, instar fulminei fragoris subitò breviterq; erumpere, expediat. Exilitatem vocis correxerunt non pauci frequenti declamatione in subterraneis specubus, similibusq; locis, cum Cicerone, Demosthene &c Quidam voce satis validâ instructi, tam leniter eam vibrant: ac si thorace pectoris papyraceo constarent, vel indormitantes auditores excitare timerent. Ut Stentorem agere non decet: sic cum Isaia, (cap. 58.) instar tubæ, exaltare vocem, non rarò convenit Ecclesiastis.

Illud insuper observandum: ut, dum perorandum est Latinè in patria: sequamur morem & modum pronunciandi à doctis receptum ibidem, tam quo ad accentum, quàm quo ad certarum literarum expressionem; ne

nos

nos risui propinemus, tanquam peregrinos in patria. Alibi pronunciandum uti ibi; si tamen decenter possis. Scio, quæ de pronunciatione certarum literarum & syllabarum scripsit Lipsius speciali libro; ac recentiùs Balbinus noster cap. 4. Verisim: §. 4. & 5. sed faciliùs est carpere, quā emendare; præsertim cùm in plerisq; non satis constet, de genuina Veterum Romanorum pronunciatione. Rident Lipsius, & Bodinus in Method. Histor. c. 9. dicentem: *Per theum ferum, pibimus ponum finum:* at nec Belgis, nec Gallis, nec Italis desunt, quæ rideantur ab alijs. Ille totis pulmonibus explodendus venit: qui modico tempore versatus apud exteros, in patria pueriliter crepat exoticum accentum.

GESTUS, seu Actio Oratoris similiter rebus & affectibus accomodari debet: nec manuū duntaxat, sed oculorum etiam, vultûs, & totius corporis est. MANUUM GESTUS sit moderatus & gravis, nec nisi in summis affectibus, altitudinem capitis excedat. Sinistra manùs fere non adhibetur, nisi cùm res oppositæ ponuntur, vel admiratio intervenit. Peccant in hoc multi, vel gladiatorem insolentiâ manuum exprimentes; vel statuam Memnonis, solius lingvæ usu. In prima periodo, nisi ex abrupto fiat exordium, gestus fieri non solet.

Vultus, qui est imago Animi, plerumq; compositus sit, ac placidus: at ubi incaluerit

oratio; ſeverus, blandus, ardens, alacer, dejectus &c. iram, indignationem, amorem, lætitiam, triſtitiam, metumq;, prout opus fuerit, exprimat & ipſe decenter ubiq;. Cùm ex Oculis potiſſimùm promicet vis animi: pro exigentia materiæ & affectuum, nuc alacriter explicandi, nunc pudore dejiciendi, nunc acriter vibrandi erunt &c. Obſervandum deniq;, quod notat hìc Cauſinus. Ut nimis delicatus geſtuum lepos inviſus eſt: ita neglectus actionis incidit in vitium ruſticitatis.

INSTITUTIO XI.

De Tribus Dicendi Generibus.

MAteriam univerſam, circa quam verſantur Oratores, revocant Rhetores ad Tria Genera, ſcilicet Demonſtrativum, Deliberativum & Judiciale. Nam vel agitur de re aliqua, aut Perſona, an ſit laudabilis, vel vituperabilis? & ſic pertinet ad genus Demonſtrativum. Vel deliberatur an hoc, illudve ſit faciendum, aut omittendum? Et ſpectat ad genus deliberativum. Vel publica authoritate definiendum eſt: An quis rectè egerit, vel iniquè? Et eſt materia generis Iudicialis. Quomodo igitur ſingula hæc Genera oratoriè tractanda ſint: exponendum.

§. 1

§. 1

De generis Demonstrativi materia, & Fontibus. ~~decendi.~~

GEnus hoc vocatur etiam Epidicticum, seu Exornativum, Encomiasticum, & Panegyricum; continetq; veluti florē Eloquentiæ amœnioris: ideoq; ante cætera in eo exerceri antiquitus consvevit Iuventus.

Materia illius sunt non solum Personæ mente præditæ, & honestatis, vel inhonestatis capaces; sed etiam bruta animantia, & res quævis inanimatæ. Præcipua tamen Generis Epidictici materia sunt Virtus & vitium, atq; Personæ laudabiles, vel vituperabiles; quanquam & rebus alijs non rarò occurrant texenda encomia. Agemus autem hic potiùs de Encomijs, quàm vituperijs: quia ingenia humana per sesunt satis prona & expedita ad reprehendenda etiam ea, quæ tenuem umbram alicujus vitij habent. Ad laudandum alios, ex genio naturæ corruptæ satis sunt obtusa. Proinde Encomiorum potiùs, quam vituperiorum Fontes hic referabimus. Si tamen aliquid merito vituperandum occurrerit, ut non pauca reperiuntur: contraria his, quæ dicentur de Encomijs; dicenda erunt.

FONTES ENCOMIORUM.

Possunt equidem ex generalibus illis Locis Rhetoricis, tam Intrinsecis, quàm Extrinsecis, amplissima hauriri argumenta laudis, præsertim

tim ex Caufis, Effectis, Adjunctis, Comparatione & Similitudine: nihilominus ut tyronum parcamus labori, particulares quosdam aperiemus illis Fontes. Tales sunt triplicia Hominis Bona, scilicet Animi, Corporis, & Fortunæ. Ad Bona Animi pertinent Scientiæ & Virtutes, quæ sunt maxima hominis decora. Ad bona Corporis, Forma seu pulchritudo, sexus, sanitas, Robur, Agilitas &c. Ad bona Fortunæ Opes, Nobilitas, Patria, Honores, Fama, Amici, Affines, Clientes. Triplicibus hisce bonis addi possunt, Institutio, Gesta & adjuncta varia. Multum enim refert: quomodo & à quo aliquis sit institutus; quid egerit; ubi, quamdiu, cum quibus, vixerit; quomodo in pueritia, Adolescentia, Iuventute, Virili ætate, Senio? Expositurì singula, ordiamur àlevioribus.

I. Laus à PATRIA ducitur considerando 1. Qualis sit Situs, Amœnitas, Fertilitas, Cælum seu salubritas aëris, in tali loco. 2. Quàm feliciter, à quibus & quo modo administretur 3. Quæ virtutes in illa floreant maximè. 4. Quibus viris, rebusq; alijs, sit illustris. Quæ omnia in laudem & felicitatem Personæ sunt vertenda. Sic laudavit Latinus Pacatus Theodosium Imp. quod Patriã habuerit Hispaniã. Si Patria alicujus ignobilis sit, seu obscura: vel prætereunda est, vel dicendum; tandem illi hoc lumen esse cælitus concessum.

II. A GENERIS NOBILITATE laudamus 1. Ostendendo Antiquitatem familiæ 2. Quàm cla-

ra ſemper fuerit virtute & rebus geſtis. 3. Quã illuſtris honoribus, & Uiris immortalitate dignis. Sic Eumenius contendit; Conſtantinum M. Imp. vel ſola generis nobilitate imperium meruiſſe. Si verò obſcurum ſit genus; agendum, ut proximè dictum de Patria

III. A Parentibus: oſtendendo Parentum decora, Virtute, ſcientia, Officiorum illuſtrium adminiſtratione, vel bello parta. Mutuis etiam radijs ſe ſe aſpergunt proles & Parentes. Deinde declarando, quàm ſimilis ſit talibus tantiſq; parentibus filius; ut in ipſo vivere videantur. Sic Eumenius ad Conſtantinum: Accipe Imperator noſtrorum confeſſionem ſenſuum. Dolemus; quod Conſtantius exceſſit à nobis: ſed dum te cernimus, exceſſiſſe non credimus.

IV. A Nativitate: obſervando 1. Tempus, Horam, Diem, Menſem, Annum, Sæculum. quo quis natus. Pacificum fuerit, an bellis horridum? ſerenus dies, an nubilus? 2. An in eundem diem incidat Natalis aliarum perſonarum illuſtrium, cum quibus comparari poſſit is, de quo agis. 3. Si quæ nota alia antecesserint, comitata, vel ſecuta ſint Nativitatem. 4. Quo ordine ſit natus. Non levis enim prærogativa eſt primogeniti.

V. A Nomine: expendendo 1. ſignificationem Nominis 2. Originem 3. Quæ Perſonæ illuſtres tale nomen geſſerunt 4. Quomodo hæc illud implevit.

VI. Ab Educatione & Institutione: ponderando, A quibus, cum quibus, Ubi, & Quomodo seu inter quas exercitationes corporis animiq; sit educatus & institutus is, quem laudandum suscepisti. Nam proba educatio & Institutio, sunt velut geminæ alæ ad summa evehentes.

VII. A Divitijs: ut si illarum copiâ non sit corruptus; si illis recte usus, v. g. in bonum patriæ, Miserorum subsidium, Ecclesiæ utilitatem, DEI gloriam; si eas ignavo otio &c. non dilapidavit, sed honestis medijs auxit.

VIII. Ab Honoribus, & Officijs illustribus. Sunt enim præclarum principis de alicujus virtute testimonium. Proinde videndum 1. Quibus meritis Honores sunt parati. 2. An non ambienti, sed potiùs invito sint impositi 3. Si non mutarint mores, sed auxerint studium boni publici. 4. Quomodo sint administrata officia honorata.

IX. A Forma Corporis, seu Pulchritudine. Est enim pulchræ Mentis Imago, seu domicilium dignum. Commendatur ea potissimum, in qua cum insigni venustate, virilis, relucet gravitas. Theodosij Imp. eam celebrat Latinus Pacatus formam corporis: *ut planè in ambiguo sit, Vtrum te magis nostris mentibus virtus, an obtutibus vultus, insinuet.*

X. A Sanitate, Viribus, alijsq; dotibus Corporis: quas in Trajano Imper: laudat Plinius. Iam firmitas, inquit, jam proceritas corporis,

jam

jam honor capitis, & dignitas oris, ad hoc ætatis indeflexa maturitas, nec sine quodam munere DEûm festinatis senectutis insignibus, ad augendam majestatem ornata cæsaries, nonne longè latèq; Principem ostentat?

XI. A Bonis Animi in genere: sine quibus cæteræ dotes umbratiles & vanæ sunt. Nam, ut ait Seneca ep. 44. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem; cui exquacunq; conditione supra humanam assurgere licet.

XII. A Vera Virtute; quæ sola sufficit homini ornando; sine qua vix hominis nomen tueri possumus. *Nihil formosius, nihil pulchrius nihil amabilius Virtute:* inquit rectè Cicero lib. 9. ep. fam. Nam & hominibus & DEO speciosos, splendidos, charosq; facit.

XIII. A Virtute Religionis, principe Virtutum omnium Moralium, quæ verum studiosumq; DEI cultum docet. Quem in Gratiano Imp. celebrat Ausonius: Nullum tu unquam diem ab adolescentia tua, nisi adorato Dei numine, & reus voti, & illo absolutus, egisti, lotis manibus, mente pura, immaculabili conscientia. Symbolum piæ mentis Flamma est, cum lemmate: *Nunquam deorsum.*

XIV. A Iustitia; cujus munus est, Reddere cuiq; quod suum est; ex æquo distribuere officia, bonos afficere præmijs, malos supplicijs. Hinc

Hinc Ludovicum XIII, regem Gall. laudat Panegyrista: Cavit maximè, ne aliena dissimulando flagitia, faceret sua. Eo principe, tam bono non licuit esse misero, quàm malo felicē.

XV. A Clementia; quæ rigorem vindicis Iustitiæ moderatur, hominem reddit humanū, & facile placabilis iræ. Optimè dictum: Principi (idem de alijs dignitate, vel authoritate eminentibus) non minus turpia sunt multa supplicia, quàm medico funera. De Constantino Imp. ait Eumenius; cum sic natum, ut crudelis esse non possit.

XVI. A Liberalitate; cujus est dare de proprio, hilariter, celeriter, & digna se, etiam prævenienco preces. Trajanum extollit Plinius: Tam velox, Cæsar, potentia tua est, tamq; in omnia pariter intenta bonitas & accincta: ut tristius aliquid sæculo tuo, passis, sufficiat ad remedium salutemq;, ut scias. De Constantino inquit Eumenius: Præstandi celeritate temp° occupas optandi.

XVII. A Fortitudine Animi, qua aguntur fortia, perferuntur dura; quæ fortunam quālibet non solùm suffert, sed lacessit; secundâ nòn emollitur, adversâ roboratur. Catonem extollit Seneca ep. 104. Nemo mutatum Catonem, mutatâ toties Republicâ, vidit. Eundem se in omni statu præstitit, in prætura, in repulsa, in accusatione, in provincia, in Concione, in exercitu, in morte.

XVIII. A Temperantia, victum amictumq; mode-

moderante; ut ille ſit frugalis, hic modeſtus. Frugalem Theodoſij Imp. menſam celebrat Pacatus, aſſerens; cum aliorum in epulas luxū exemplo potiùs, quàm lege coërcere maluiſſe. Alexandrum M. perſtringit Curtius lib. 5. quòd ingentia animi bona haud tolerabili vini cupiditate fœdârit.

XIX. A Continentia, quæ corporis voluptates & prava deſideria compeſcit, arcetq;. Temperantiæ filia eſt; ſine qua ſalva ſubſiſtere diu non poteſt. Hominem Angelis facit parem, ſi non ſuperiorem. Minor fuiſſet Magnus Macedo, niſi ſe continuiſſet à capta Darij uxore, quam nec videre voluit. Sorores Continentiæ ſunt modeſtia & verecundia. De Trajano teſtatur Plinius: quòd tantum illi fuerit ſangvinis in ore, quantum in animo pudoris.

XX. A Prudentia, non ſolùm privatarum domorum, ſed regnorum, exercituum, imò & Virtutum omnium rectrice. Prudentis eſt, ex præteritis ſapere, præſentibus probè uti, de futuris maturè diſponere; privatum publico bono poſtponere, ſuis conſilijs minimè fidere, audire prudentes &c.

XXI. A Pietate in Patriam, quæ ut ait Cicero lib. 1. Offic. Omnium antiquiſſima & Sanctiſſima parens eſt, omnes omnium charitates complexa, pro qua nemo bonus dubitet mortem oppetere, ſi modò ei ſit profuturus. Commendatur maximè ea pietas; ſi ſit etiam in Ingratam, qualis fuit Phocionis & Ariſti-

dis

dis in Græciam, Camilli & Æmilij Pauli in Romam.

XXII. A Scientijs, quæ ſunt illuſtriſſima Animi ſidera & virtutum ornamenta; atq; ut notat Caſſiodorus lib. 3. ep. 33. Mores purgant, verborum gratiam ſubminiſtrant, & mirabiliter ornant tam tacitos, quàm loquentes. Aliæ dicuntur Humaniores, ut Rhetorica & Poëſis; aliæ Severiores, ut Philoſophia tam Naturalis, quàm Moralis, Matheſis cum pluribꝰ ſpeciebus ſuis; Theologia, Dogmatica, Speculativa & Practica, ſeu Moralis. His inſtructus homo tantò ampliorem digSupportioremq; ſuppeditat laudum materiam: quantò melius eſt, mentem, quàm domum, vel provinciam habere bene inſtructam. *Vtinam ex eruditione potius, quàm imperio commendor*: dicebat Conſtantinus Imp. apud Curopalatam.

Laus Animalium.

Laudantur hæc à pulchro, utili & neceſſario. In particulari laudandi animalis examinatur Forma, robur, labor, agilitas, induſtria, cantus, fidelitas, gratitudo, amor in dominum, & ſimilia. Quæ quidem tum ab experientia petenda ſunt, tum à ſcriptoribus rerum Naturalium, & Oratoriè exponenda ſtylo florido.

Laus Rerum inanimatarum.

Cùm omnia à ſapientiſſimo rerum omnium Conditore, DEO Opt. Max: condita, ipſiuſmet infallibili judicio ſint valde bona: nihil eſt, quod non ſuppeditet uberem laudis materiam, mo-

eò probè sit cognitum. Non vacat descendere ad particularia. In genere laudari possunt Imperia, Regiones, Urbes, Arces, &c. ab Antiquitate, à conditoribus, situ, partibus, aëris bonitate, soli fertilitate abundantia rerum, civium copia, & moribus, politia, scientijs, artibus, rebus gestis &c.

Arbores, Plantæ, Herbæ laudantur à Forma, loco subjecto, à virtute & effectibus, ab incorruptione per tempus longius, à proceritate, virore & vigore &c.

Flumina & Fontes, ab ortu, seu scaturigine, ab amplitudine, puritate, virtute aquarum, velocitate cursus, capacitate navigiorum, piscium copia, salubritate &c.

Montes laudantur à situ, altitudine & amplitudine; ab ijs, quæ nascuntur in ipsis, ut arboribus, herbis, sylvis, animalibus; vel quæ effodiuntur, ut metallis alijsq; mineralibus, ab arcibus, turribus, fontibus inde scaturientibus &c.

§. 2.

De Dispositione, Elocutione, & præcipuis Speciebus Generis Demonstrativi.

DISPOSITIO Orationum Generis Demonstrativi fieri potest, secundùm easdem formas, quæ propositæ sunt suprà Instit: 9. scilicet per Enthymema, Syllogismum perfectum, Thesim & Apodosim, Expolitionem, Chriam, vel per partes Communes

In disponendis encomiorum argumentis, juxtà Ciceronem in Partitionibus, servatur ordo varius. Vel enim temporum servatur ordo, referendo res actas, prout seriùs aut citiùs contigerunt, nimirum priùs gesta in Juventute, deinde in Virili ætate, tandem in Senio &c. Vel à minoribus inchoantes procedimus ad majora; aut contrà expositis majoris momenti rebus, descendimus ad minores; Vel certa nobis constituimus Genera, seu Capita universalia, ad quæ omnia revocamus: quemadmodum Cicero pro Lege Manilia, laudaturus Pompejum, omnes ejus laudes revocat ad 4 Imperatorias dotes, Scientiam rei militaris, Virtutem, Auctoritatem & Felicitatem. Quæ dispositio peridonea est longioribus Panegyricis. Vel deniq; nullus præfigitur ordo certus; sed ordimur ab aliquo notabili argumento laudis; & alia, prout occurrunt, & opportunum est, producimus.

II. ELOCUTIO debet esse florida & elegans, atq; pro ratione materiæ magnifica: in qua, ut ait Cicero, omnes verborum, omnes sententiarum illigentur lepores, imò & splendores. Effloreſcit autem insigniter stylus frequenti & apto usu verborũ decenter translatorum, concinnitate membrorum & periodorum, luminibus sententiarum, argutijs acuminum, pulchra rerum connexione, opportunè intexta eruditione, aptis deniq; Figuris, quarum commodiores in hoc Genere sunt

Anthi-

Anthiteses, Paronomasiæ moderatæ, Isocola, Similiter desinentia, Ethopœiæ, Exclamationes &c.

Exordium debet esse nitidum; Propositio non humilis, sed culta & ingeniosa; Partitio clara & distincta; Narratio amplior & ornatissima, cùm ipsa vim Confirmationis habeat, & fere tota oratio consistat in relatione, amplificatione & exornatione Virtutum, seu Rerum gestarum. In Peroratione, vel brevi Complexione dicta præcipua revocamus; vel cum Plinio vota facimus, & laudato omnia fausta & summa precamur; vel cum Pacato Eloquentiæ inopiam excusamus; vel ulteriora studia nostra & observantiam pollicemur cum Mamertino; vel modestam petitionem subjungimus cum Eumenio; vel Auditorum imitationi aut venerationi laudatum comendamus; vel ei, ut Recentiores faciunt, trophæum aliquod, cum ingeniosa inscriptione excitamus &c.

III. Species præcipuæ Generis Demonstrativi sunt Panegyres, Elogia, Inscriptiones, & Orationes, ut vocant, Politicæ seu Civiles.

PANEGYRES seu Panegyrici, dicebantur olim celebriores populorum conventus, & ludi, quolibet quinquennio, Athenis soliti celebrari, teste Dion. Halicarn. Nunc eam denominationem sortitæ sunt Orationes Epidicticæ, quibus illustrium personarum virtutes aliaq; decora celebrantur fusiùs. Declamaban-

tur olim, nunc passim scripto proponuntur.
Concinnandi hujusmodi Panegyres varij adhibentur modi: usitatiores sunt sequentes. 1. Texuntur per modùm Orationis continuæ; ut apud Plinium, Pacatum, Eumenium, Mamertinum &c. 2. Dividuntur in aliquot capita, ad quæ revocantur dicenda. Ut si gesta Herois alicujus in tot partes dividas, contra quot hostes pugnavit; vel in ea, quæ Juvenis quæ Vir, quæ provectior ætate gessit &c. 3. Solutæ orationi intexuntur vel Elogia, vel carminũ quædam species. 4. Exhibentur Symbola aliquot, præcipuas viri laudandi dotes repræsentantia; quorum singulis subjungitur florida explicatio, seu Apodosis 5. Ex Stemmate desumuntur puncta quædam notabilia, quæ fusiùs declarantur. Exempla passim reperies in Recentiorum Panegyricis. Circa Elocutionem observanda, quæ proximè, & supra sunt, tradita; ubi egimus de exornandis simplicibus locutionibus, & propositionibus, de Amplificatione, Elocutione in genere, & stylo.

ELOGIA dicuntur hic, non quævis rei aut personæ encòmia seu laudes: sed concisũ quoddam, & acutis sententijs refertum, Epidicticarum orationum genus, per modum liberæ, seu à pedum arctioribus vinculis absolutæ, Pòëseos. Dotes igitur eorum præcipuæ sunt Brevitas styli, & Acumen, sine quo vel insigni sententiâ rara debet esse linea. Unde quamvis continuo tractu scribi possent, passim majoribus mino-

minoribusve lineis distingvuntur; nec Periodi usitatis alias particulis, vel Transitionibus connectuntur. Excellunt in hoc genere Emmanuel Thesaurus, Iuglaris, Ines, & Petrus Labbe.

Modi scribendorum Elogiorum adhibentur varij. 1. Nonnulli toti sunt in frequentandis Antithetis & sensibus reconditis, Paradoxum spirantibus: qui modus frequens est apud Thesaurum 2. Alij operam præcipuam ponunt in acutis causis, seu rationibus afferendis 3. Alij student gravioribus sententijs, cuivis periodo subjungendis; ut P. Ines in Lechiade. 4. Alij descriptiones historicas instituunt, sed argutis allusionibus amœnas: ut videre licet in Fastis Marianis 5. Quidam continua quadam Ironiâ ludunt, & vituperijs laudant: ut Iugularis eloquentissimum Ecclesiasten Albricium, de quo ita scribit: Si laudes Modestia respuit, tolerantia querelas admittat. Quod in nullo accusari valeas, reus es. Avocas ab optimis animos, quando das meliora. Cùm sine crimine dicas: nemo nostrum te sine crimine audit, utpote qui cogimur illico vel desperando, vel invidendo peccare. Pascendis auribus natus es: dubium tamen, an eârum magis acuas an mitiges famem, cùm éas nunquam sine tui fame dimittas. Quò diutiùs dixeris; eò magis cogimur timere, ne desinas &c.

Adverte verò: supradictos modos liberè permisceri posse in eodem Elogio; utendo & Antithe-

tithetis, atq; quibusdam paradoxis & acutis gravibusq; sententijs &c. modò semper brevitati & claritati consulatur.

INSCRIPTIONES quò ad artificium conveniunt cum Elogijs, nisi quod parciùs admittant acumina, sensibus verò gravibus gaudeant; nec tam prolixæ sunt ut Elogia. Aliæ sunt sepulchrales, quæ Epithaphia dicuntur; aliæ quæ Arcubus triumphalibus, colossis, pyramidibus, aris, hortis, templis, & primo eorum lapidi &c. inciduntur.

In Epitaphijs plerumq; Genus defuncti, status, Gesta, Honores, ætas, & tempus mortis breviter indicantur, aliquando his omissis, alius quidam gravis sensus ponitur: ut in illo celeberrimi Angliæ Cancellarij Thomæ Mori:

Hìc Thomæ Mori est Nihil.

Ludicra quoq; subinde fit Inscriptio: qualis est illa egregij heluonis, qua inducitur ipsemet alloquens Viatores.

Adesdum, & mihi propina hospes. Salutem mihi precare non requiem: nam & post fata Sitio. Vixi quidem, sed ut Philosophus ille, in dolio. Nec philosophus tamen; quòd Vacuum fieri posse docerem in poculis: nec Grammaticus, quod casus, qui crapulam comitantur, declinare nescierim. Sed quousq; te alloquar? Huc pocula &c.

De Orationibus Epidicticis Politicis agemus Institut: sequent.

§. 3.

De Genere Deliberativo.

DELIBERATIVUM Genus dicendi eſt Methodus Oratoria aptè conſultandi de rebus futuris, quæ in noſtra ſunt poteſtate. Locum habet potiſſimùm in liberis provincijs & communitatibus: quanquã & in principum Curijs occaſio non deeſt. Reducitur totum hoc Genus ad Suaſionem & Diſſvaſionem. Ad Suaſionem referuntur Orationes Exhortatoriæ, Monitoriæ, Petitoriæ, Conſolatoriæ, & ſimiles. Ad Diſſuaſionem Dehortatoriæ, Objurgatoriæ &c. Unde & Votum, quod in Conſultationib9 fertur, Triplex eſt: *Aſſertivum*, quo propria tantùm fertur ſententia; *Confutativum*, quo aliena refutatur: & *Mixtum*, quo utrumq; præſtatur.

Duo verò verſanti in hoc Genere ante omnia conſideranda ſunt, 1. Status, & conditio hominum, apud quos inſtituitur deliberatio. 2. Mores & affectus eorundem. Circa Statum conſidera: An coram principe, vel populo, vel tota repub. & quali, inſtituatur deliberatio. Coram Principibus, præſertim ſi monarchæ ſint, paucis verbis, gravi ſenſu ſententia dicenda. Coram populo liberius, ſimplicius, affectuoſius; argumentis potiſſimùm ab Utili & Neceſſario ductis. Coram Optimatibus & tota republ. candidè, graviter, facundè; argumentis potiſſimùm ab Honeſto

nesto & Glorioso ductis.

Quod ad Mores, Ingenium & Affectus eorum, quibus suadendum vel dissuadendum, attinet: attendendum inprimis, Juvenes sint, Viri, an senes? Nam ut corpora, ita mores & affectus immutat tempus. Juvenes ut plurimùm illecebra gloriæ & voluptatis titillat; citò exardescunt, ideoq; expectandum, donec primi motus deferbeant. Viri honestate & utilitate flectendi. Apud Senes maximè agendum decori ratione, & commodorum proventu. Considerandus quoq; genius & mores gentis. Facile persuadet, qui placita & consueta suadet.

Ipsi suadenti tria sunt Necessaria. 1. Authoritas, quam parat Sapientia, experientia, virtus, dignitas, & apud multos, opes. 2. Benevolentia, seu propensus in eum affectus Auditorum. 3. Copia rerum tam domesticarum, quàm peregrinarum: ut in sententiam suam producere possit & vetera & nova, præsertim quæ in patria gesta.

Argumenta petenda sunt tum ex Locis Rhetoricis Intrinsecis & Extrinsecis, suprà indicatis; tum ex sequentibus: A Necessario, Honesto, Utili, Jucundo, Glorioso, Justo, Possibili, Facili.

Honestum dicitur, quod rectæ rationi, Sapientum dictis, legibus & DEo consonat.

Utile, quo bona Animi vel Corporis, vel Fortunæ acquiruntur, augentur, conservantur.

Jucun-

Jucundum quod hominem voluptate honesta perfundit.
Necessarium, sine quo Salus, Libertas, Religio, vel simpliciter esse non potest, vel ægrè.
Possibile, quod non excedit vires nostras.
Facile, quod sine magno labore fieri potest.
Gloriosum, quod insignem nobis apud homines opinionem famamq; parit.
Ad Dissuadendum petenda sunt argumenta à Locis contrarijs: ut à non necessario, à turpi, inutili, injucundo, periculoso, impossibili, difficili, probroso, molesto & damnoso.
Dispositio Orationum Generis Deliberativi fieri potest secundùm suprà propositas formas; ut per Syllogismum, Enthymema, Thesim & Apodosim, Expolitionem &c. Elocutio accomodanda est rebus de quibus agitur; & Personis, coram quibus agendum est, secundùm dicta initio Paragraphi. Stylus non sit nimium fusus, & in consessu gravium personarum sensuum magis, quàm verborum copia abundet.
PRAXES aliquot Orationum Generis Deliberativi habes suprà Instit: 3. §. 1. ubi deliberatur: Quorumnam Authorum Libri, Veterum an Recentiorum sint legendi à Tyronibus Eloquentiæ. In Proœmio Partis 1. suadetur Juvenibus veræ erga DEum Pietatis studium. Ibidem Instit: 1. §. 1. suadetur studium cognoscendi DEum perfectiùs. Et Instit: 2. §. 1. Studium cognoscendi nosmetipsos.

§. 3.

De Genere Iudiciali.

Cum ab Oratoribus ad Caufidicos pridem tranfierint Actiones Judiciales, nec jam arte ac methodo oratoria inftituantur; fed Caufa nudè proponatur, nudifq; Legibus, & conjecturis verifimilib9 preffè probetur: paucis hoc Gen9 dicendi abfolvem9.

Verfatur in accufando & defendendo. Materia illius funt Actiones præteritæ; de quib9 controverti folet: An re vera fint commiffæ? Vel, Quales fuerint, an æquæ vel iniquæ? Vel, Quis fit, qui hoc commifit. Unde oriuntur tres Status Quæftionis: *Conjecturalis*, ut fi difceptetur: An Cæfar aliquid contra remp. fit molitus? *Qualitatis*, v. g. An Cæfar fit jufte, vel injufte occifus? *Definitionis*, feu *Definitivus*: ut fi probetur, Cæfarē fuiffe tyrañum.

Deprehenfo Statu Quæftionis, feu Caufæ, videndum: quod fit Crinomenon totius orationis, ad quod omnia dirigi debent; de quo actum fup. Inftit: 8. §. 1. n. 3. Argumenta, feu probationes, pro hoc genere fumuntur potiffimum ex Locis Extrinfecis, ut Legibus, Teftibus, Exemplis &c. ab Adjunctis quoq;, Antecedentibus, Concomitantibus & Confequentibus.

Difpofitio Orationis commodiùs fit fecundum Partes communes. Exordium & Propofitio paffim non debent fingulari artificio concinnari,

nari, nec Locis communibus & generalib9 discursibus protrahi: sed paucis præmissis, accessus sterni ad Causam ex Circumstantijs, vel re ipsa, Judices faciendo benevolos, dociles atq; attentos.

Narratio ab accusatore instituenda, sit plana, plena, perspicua & probabilis. Defendens non indiget Narratione, ut notat Aristoteles, cùm ab Accusatore sit facta, solumq; laborandum illi est circa Refutationem: nisi fortè Accusator aliquid omisisset, quod non parum facit ad rem; vel non fideliter retulisset. Ut defendentis præcipuum negotium est in refutando: ita accusantis in Confirmatione Propositionis suæ, seu Crinomeni. Recole, quæ suprà Instit: 9. §. 3. n. 4. tradita sunt de Confirmatione & Refutatione. *Elocutio* Ciceronem imitetur, & materiæ aptetur.

Peroratio congruis ferveat affectibus, Judicumq; fidem & æquitatem imploret. In accusando concitandi motus Iræ, Indignationis, Odij & similes: in Defendendo Commiserationis, & Clementiæ erga reum, Indignationis erga Accusatorem, adhibitis opportunis gravioribus Figuris, Hypotiposi Apostrophe, Prosopopœia &c.

PRAXES sufficientes & præclarissimas
Orationum Generis judicialis,
habes in Cicerone.

INSTITUTIO XII.

De Orationibus Politicis.

Officiosa cultiorum nationum humanitas frequentem induxit usum breviorum in variis occasionibus Epidicticarũ orationum, quas Politicas vocant. In ortu prolis non ignobilis, dicitur parentibus Genethliacon, in Nuptijs Epithalamium, pro accepto beneficio Eucharisticon, Epicedium ad defuncti nondum sepulti cadaver, Monodia seu Panegyris ad celebrandam defuncti memoriam, Salutatio advenientibus hospitibus, Gratulatio honore aliquo provectis, Natalem diem vel Festum solemnius celebrantibus &c.

Ad concinnandas hujusmodi Orationes observandum generaliter 1. Quòd quàmvis secundum generalem sup. datam doctrinam de Inventione, Dispositione, & Elocutione, confici, & per Syllogismum, Enthymema, Prothasim & Apodosim, Expolitionem &c. commodè produci possint: plerumq; absq; artificiali Forma efferantur, præsertim in defectu temporis, servatis solùm punctis certis, & impetu seu conceptu undecunq; accepto, sive ex Sententia aliqua, sive stemmate, sive occurrentib9 circumstantijs Loci, Temporis &c. Stylus est floridus, sed sine luxu verborum. Quàm methodum & nos hic servabimus.

§. 1.

§ I
De Orationibus Genethliacis, & Gratulationibus varijs.

IN Orationibus Genethliacis, quæ dicuntur in Nativitate illustrium Infantum; 1. fit Testificatio gaudij de nata prole, singulari superûm favore. 2. Ratio exponitur concepti gaudij; quæ passim sumitur ex propagatione familiæ talis ad DEI gloriam, Patriæ subsidium, gentis ornamentum, & amicorum solatium 3. Exponitur spes non vana de felicitate, virtute, & dignitate natæ prolis concepta tũ ex ominib9, quæ facile suppeditant Circumstantiæ Nativitatis; ut quod contigerit tali Anni tempore, sole existente in tali signo cælesti, Die talis Sancti, & quo olim hoc illudve feliciter gestũ est &c. Servient hic Ephemerides, seu Calendaria historica, edita, à Causino, Ebero, Veleslavino, in Bucellini Nucleo, Panvinij Fastis &c. quib9 refertur: quid speciale quovis Anni die sit actum in orbe terrarum. 4. deniq; funduntur vota & apprecationes: ut nata proles crescat in magna patriæ comoda, parentũ solatia &c

PRAXIS.

QUæ nobilissimæ domui tuæ serenioribus affulsit radijs felicitas, omnium tibi devinctorum mentibus jucundissima se se infudit. Magnif. Dom. Gaudemus, dulce nomen Patris superûm favore tibi concessum (*si non sit prima proles, dicendum*: Iteratò concessũ) &

& prolem tibi natam in grande familiæ incrementum & avitæ gloriæ patriæq; columen inconcussum. Ita enim augurari nos jubent, tũ solitò serenior Nativitatis dies, tum vernantis anni amœnitas, tum maximè religiosa pariter ac heroa virtus tua, occinente Vate: FORTES CREANTUR FORTIBUS, ET BONIS. Fruere opulentissimo hoc Cælitum munere: & quas orbi ostentas in prole nata spes speciosissimas, fove, provehe, omniq; curâ tibi, patriæ, ac DEO, serva. Crescat Florianus tuus in virum cunctis majoribus suis majorem; nostraq; & tua vota longissimè supergressus, magnum Annalibus sæculorum succedentium inferat nomen. Crescat, quàm felix te patre, tã illustris sua virtute.

II. Recurrente, annuis revolutionibus, Natali die personarum illustrium, si placeat instituere Gratulationem: 1. Testare exultantem animum ob superstitem incolumemq; Amicũ, vel Patronum, inter tot humanæ vitæ pericula. 2. Expone gaudium hoc non esse tuum tantùm, sed plurimis, aut toti patriæ cõmune: cùm plurium intersit, eum quàm maximè diuturna prosperaq; uti valetudine, si non licet esse immortalem. 3. Fiat apprecatio in futurum, tuo bonorumq; omnium nomine.

PRAXIS.

DUm auspicatissimam Natalis tui lucem gestienti excipio animo: & tibi, & fortunæ publicæ non possum non gratulari. M. P. Tibi gratuler oportet: quòd inter

tot

tot ac tanta vitæ humanæ diſcrimina, ſalvus & incolumis renaſcaris ſolatio Clientum (*vel Amicorum*) tuorum. Publica quoq; fortuna gratulationis officium ſibi vendicat, titulo ſanè æquiſſimo. Ut enim cæli aſtra, non ſibi, ſed orbi oriuntur: ita cæleſtes Magnorum animæ publicæ naſcuntur, & adoleſcunt, felicitati. Quantum boni advexerit)Reip. Dies tibi natalis, teſtantur grandia in patriam merita tua, profuſa in clientes beneficia, in omnes ſolatia. Unius tamen culpæ reum diſſimulare non poſſum: quòd nimirum te nobis genuerit mortalem quem nemo non optat immortalem. Sed quid accuſo diem candidiſſimùm: qui tibi exordium fuit glorioſioris immortalitatis, quam non ſolùm majorum gloriâ, ſed virtute propria, præclareq; geſtis, tibi poſteriſq; tuis cōparaſti? Vives æternum in animis lingviſq; bonorū omniū: *Semper honos, nomenq; tuum, laudesq;, manebunt*. Quib9 celebrandis dū omnē devoveo vitā: tu Clientū infimū intimo pectore reconde.

III. Gratulatio Novi Anni, Calendis Januarij, eodem modo inſtituenda. Addi poteſt alluſio tum ad Salutiferum JESU nomen infanti DEo impoſitum, & ſangvinē divinū in ſalutis remedia nobis profuſum; tum ad varia; quæ initiali Anni die, fiebant apud veteres, præſertim Romanos. Lauro enim ornabantur ædes, Novum ignem excitabant virgines Veſtales, donaria mittebantur amicis, Magiſtratus novi inibantur &c.

PRAXIS

VIx aurora Calendarum Ianuarij perſtrinxerat pupillam Pòëtæ Tomitani, M. D. illico, ſua non capiens gaudia, occinuit:

Proſpera lux oritur, lingvis animiſq; favete.
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.

Si bonus is dies vel ethnicis: quantò magis ijs, quos Salvatoris DEI Sacratiſſimum illuſtrat Nomen, omni ſerenitate illuſtrius, omni Majeſtate auguſtius! Bonus, imò optimus, dies qui fontem gratiarum, Divino ſangvine manantem miſeris mortalibus aperuit: ut temporalem æternamq; biberemus ſalutem de fontibus Salvatoris! Quæ verò bona verba, cùm Pòëta, tam bono die dicam gratioſiſſimo Patrono meo? Si quàm officioſiſſimè ſalvere te juſſero, hoſpitē in hoc anno novo, & annorum apprecatus fuero myriadas: reſpondebo æquitati quidē; at præter verba quid dabo? Si flumina fudero Eloquentiæ, pleniſq; velis excurrero in laudū tuarum Oceanum: vera quidem narrabo; at pariter verecundiæ rubore te adſpergam invitum. Unde ergo promam bona verba, tam bonæ apta diei? Unum pro multis, & verbis & beneficijs, dico: Me & hoc, quem ordimur, feliciſſimumq; tibi volo, Anno; & infinitis alijs, ſi liceret, totum victurum Tuum. Is deniq; annus mihi orietur proſperrimus: quò dabitur plurimum de Te mereri, & Patronum gratioſiſſimum videre feliciſſimum.

IV.

IV. Nominalia sua potiùs, quàm Natalem diem, celebrant multi; vel certè Natalem suum celebrant tunc, quando in fonte baptismali ad vitam immortalem nati sunt, & Nomine peculiari (quod in Ecclesia Catholica communiter alicujus è Divis Cælitibus est) insigniti sunt. Gratulatio adornari solet 1. Exponendo, diem præsentem lætum, atq; auspicatissimum illuxisse, tam ei, cui fit gratulatio, quã pluribus alijs. 2. Rationes hujꝰ dantur, petitæ tum à personis & conditione prædictorum, tum à Divo Tutelari, cujus nomen geritur, tum à significatione Nominis &c. adhibita allusione varia ad Insignia ipsiꝰ Sancti, si quæ specialia habet; ad stemma & familiam ejus, cui gratulamur, ad alias, celebriores personas, quæ tali nomine insignitæ fuerunt &c. 3. Renovatur affectus Gaudij, & fausta fit acclamatio. 4. Frequenter addi solet munusculum, quo verbis expressum confirmamus affectum.

Munuscula hujusmodi appellari solent VINCULA NATALITIA, & ingenioso aliquo conceptu adornari. Suppedito Modos aliquot.

1. Concinnari possunt Symbolicè, apponendo rei, quæ offertur, congruam aliquam Inscriptionem, per modum Lemmatis, ad exprimendum vel affectum tuum, vel Patroni dignitatem, aliasve dotes, vel alludendo ad Divum Cognominem &c v, g. Si offerenda sit Imago vel simile quid, ex argento, vel alio me-

tallo: inscribi potest: *Affectu, non ære gravis.* Si res fuerit tenuior: *Dat pretium Amor.*

2. Munusculo, v. g. Imagini, subjici solet ingeniosum aliquod & breve carmen, cum allusione ad figuram Imaginis.

3. Potest libellus dedicari, divisus in Præcipuas S. Patroni virtutes, elogio vel carmine celebratas.

4. Possunt simili divisione merita seu dotes, vel honores personæ, cui vinculum natale offers, distingvi.

5. Possunt in libello exprimi carmine, vel prosâ, variorum statuum vota pro salute ejus, cui, gratularis.

6. Materiam libello, & Conceptibus occasionem dare possunt Anagrammata ex Nomine deducta, quæ Elogijs, vel carmine exponantur. Vide tamen; ne tam pura conficias anagrammata, sicut ille: qui Magdalenam fecit ex Malcho per purum scilicet anagrama.

7. Potest vita S. Patroni, vel merita laudesq; Personæ, cui gratularis, Pòëmate vel Elogio describi. Quod ut majorem habeat gratiam, initialibus versuum literis exprimatur nomen & Officium Personæ.

8. Potest libellus confici ex uno vel pluribus Symbolis, S. Patroni virtutes, vel Personæ, cui gratulamur, merita vel honores exprimentib⁹, apto carmine vel elogio illustratis.

9. Expende insignia, seu stemma personæ, cui gratularis, & vide: an aliquid desumere

possis

possis ad affectum tuum, vel laudem personæ conducens. Imò & tua & Sancti insignia conferre poteris cum illius.

10. Possunt symbola referentia virtutes vel honores Patroni tui ita per Logogryphum formari; ut sua specie exprimant literas contentas in nomine illius.

Plura suggeret ingeniosus Amor, & gratum ingenium.

PRAXIS

ANnuis purpurati Præsulis, D. Adalberti, recurrentibus ferijs, novus mihi, tibiq; M. D. liquidissimi gaudij fons reseratur. Video enim, cujus beneficio, post DEum, funestas vitæ hujus tempestates salvus & incolumis superâris. Tuetur nimirum gloriosus Martyr & Præsul Clientem, quem advertit non solo nomine, sed rectè factis, & ardente potissimùm Religionis zelo, sibi conformem. Nec potest, non gratiosissimè complecti eum, in quo cernit, sparsam olim à se in his terris fidei veræ, solidæq; pietatis, sementem tam feliciter, in tam uberes effloruisse flores & fructus: ut nemo gloriosum Adalberti nomen impleverit luculentiùs, ornârit speciosius. Non continuabit solùm, sed largè cumulabit, nullus ambigo, favores suos D. Præsul, atq; pro Cliente suo lanceis, quas manu gestat, constanter pugnabit; remis verò per Fortunatas honorum insulas deductum, feliciter tandem invehet portui beatæ immortalitatis. Ego vellificantem

Benefactoris gratiosissimi fortunam assiduis prosequi votis pergam indefessus.

V. In Gratulatione celebriorum Ecclesiæ Festorum, communi orbis Catholici lætitiæ additur specialis gaudendi & gratulandi ratio, ducta à persona, cui gratularis & tua. Læta & hic omnia, & plena ominum bonorum & apprecationum. Impetus pro his orationitionibus sumitur potissimùm ex Circumstantijs festi, & Mysterijs, quæ recoluntur.

PRAXIS

TRiumphales redivivi Salvatoris ferias, cælesti fulgore, ac anno vernante lætissimas, multo lætiores tua mihi facit incolumitas. M. D. Parens Gratiosissime. Ut enī à communis gaudij communione adversa valetudine exclusos videre eos, quos vitæ pariter ac fortunarum, post Superos, colimus auctores, tristissimum est: ita eosdem vultu amæniore, & vivido corporis habitu, genium triumphalis festivitatis cernere circumferentes, lætissimum. Salit enim rivulus, lætusq; per arva decurrit: quamdiu fontem non contingit arescere: Vernat viridante coma ramus hilarior, quamdiu radici suus inest vigor. Non aliter à parentum vigore vitales sortimur spiritus filij; illisq; tabescentibus, defluimus, ceu marcida folia; arescimus, ceu tenues rivuli. Ut igitur in plurimos, eosq; florentissimos, annos validam extendas ætatem; apud redivivũ Salvatorem supplex instabo orator. Tu filium, obse-

obſequijs tuis devotiſſimum, conſtanter paternis fove, ac provehe gratijs, ſolatio honoriq; tuo victurum atq; immoriturum.

VI. In Gratulatione Dignitatis exponit orator 1. Se novi honoris collatione facta amico, vel, patrono, non poſſe diſſimulare lætitiã, & proniſſimos in illum affectus: vel diſcurſum brevem de honoribus præmittit. 2. Extollit tam dignitatis obtentæ, quàm meritorum, quorum intuitu obtenta eſt, Excellentiam. 3. Declarat, conceptam hinc ſpem magnam commodi communis. 4. Precatur fauſtiſſima quæq; tum honorato, tum honoranti, & ſua defert obſequia. Impetus pro hujuſmodi orationibus ſumi ſolet ex inſignibus obtentæ dignitatis, vel gentilitij ſtemmatis: aut ſaltem alluſio fieri ad illa, uti & Circumſtantias temporis.

PRAXIS

Sideris unius occaſum eſſe ortum alterius, ſi non aliunde didiciſſemus; hodie meridiana luce clariùs pateret M. D. Pulchra nimirum viciſſitudine terreſtres variorũ ſtatuum, æquè ac cæleſtes ſiderum, volvuntur ſphæræ: ut variâ alternantium luminum recreemur ſpecie, foveamur virtute. Decurrit feliciter orbem ſuum, qui nuper, dignitate N. ſublimis, nobis præluxit illuſtriſſimus planeta. Occidente illo, auſpicatiſſimè exoreris, ſidus non novum, ſed illuſtrioribus conſpicuum radijs é loco eminentiore. Ad altiorem dignita-

tis

tis sphæram non inopinato quodam raptu evasisti; sed, ut virtus solet, meritorum passibus, ijsq; gigantæis, ascendisti. Multum profectò lucis tibi, totiq; nobilissimæ domui tuæ, recens honor affudit: at tantò plus refudisti in illum, quantò illustrius est virtute quam honore radiare Abstergit jam omnes mœstitiæ nubes Patria; certa, se uberiore gratiarum tuarum, consiliorumq; sanissimorum influxu, suavissimè recreandam. Exultant beneficentiæ tuæ obnoxij clientes; honores tuos, suos interpretati proventus. Quos inter & ego orientem meum adoro solem; & properantem ad augem gloriæ humili persequor prece; ut honori tuo perpetuò devotum, in fidum admittere pedissequum, non dedigneris.

Responsio ad prædictas Gratulationes sequentibus constat punctis. 1. Gratiæ aguntur pro declarato benevolo affectu in tali occasione. 2. Extenuantur merita, quibus sit comparatus tam propensus affectus, vel honor exaggeratur autem favor Numinis, & (si de dignitate obtenta agitur) conferentis. 3. Promittuntur mutua officia.

§ 2.

De Orationibus Salutatorijs, Epithalamicis, & Funebribus.

IN Salutationibus explicatur 1. Lætitia de adventu hospitis, præsertim si diu fuit desideratus. 2. Dignitas ejus æstimatur, tenui-

tenuitas verò loci & eorum, ad quos divertit. 3. Offeruntur officia omnia, & exponitur desiderium diuturnæ ejus commorationis. Impetus pro his orationibus sumi potest ex Circumstantiis temporis, quo venit hospes, Loci, ad quem venit, Personarum tam hospitis, quàm excipientium; vel ex Stemmate aut Eruditione aliquã.

PRAXIS

Quantus terras animosq; nostros ingressus sis hospes; quominus aut satis concipiamus, aut pro merito explicemus: tua facit magnitudo, & nostra felicitas Illmẽ Domine. Magnitudo tua ea est, quæ non solùm in celsissimarum dignatum fastigio, verũ etiam in valle privatæ conditionis, eminet cæteris, quos Grandes dicimus. Rhodium exhibes colossum, qui etiam in imò pelagi, humanæ proceritatis miraculum erat. Nimirum avita magnorum Majorum gloria tibi basis est, non apex; Virtus mensura altitudinis, honor testis & coronã. Tantus cùm tecta nostra (*Vel mœnia*) subieris: suam non capiunt felicitatem, neq; nos tuam humanitatem. Ipsa felicitas nostra infelices nos facit: quòd talem tantumq; Hospitem congruis venerari ñ liceat officijs. Delectus eorum nobis difficilis est; æqualitas verò, si requiratur, impossibilis. Tibi placeat imperare: & omnia servis tuis reddes possibilia [*Quodsi munera aliqua deferenda essent, addi posset*] Interim tenuem hanc tesseram prõptis-

ptiſſimi ad obſequia animi accipe, qua ſoles, humanitate.

II. Orationes Epithalamicæ, ſeu Nuptiales, inſtitui ſolent, 1. Ante Sponſalia, dum quis per ſe, vel per amicum, à parentibus vel tutoribus perſonam quampiam petit in ſponſam. Præmittitur tunc brevis diſcurſus generalis de bono amicitiæ. Mox aperitur deſiderium de contrahenda, vel firmanda, amicitia cum tali familia, & quidem vinculo arctiſſimo. Quo cùm nullum ſit arctius ſanctiuſq; conjugali, petitur in Sponſam N. & largiſſimo affectu offeruntur omnia. Reſpondetur autē breviter & ſenſatè: Gratiſſimum eſſe affectum petentis, quē tum ipſi9 perſonæ, tum totius familiæ eximia decora pretioſum faciunt. Deinde mutua promittuntur officia, & datur ultimata reſolutio, annuendo, vel negando, vel differendo. Si negativè reſpondetur, modeſtiſſimè id faciendum: inter encomia petentis dandæ rationes negationis, cum promiſſione diſerta omnis obſequij in alijs occaſionibus.

2. Dum Sponſæ ab amicis Sponſi offertur Annulus & ſertum, dicit orator: quòd cùm recens inita ſit inter duas illuſtres familias amicitia arctiſſima, in teſſeram conſtantis affectus, & eximiorum decorum Sponſæ, Sponſus ei offerat hæc munuſcula. Fiunt deinde alluſiones ad materiam, formamq; &c. Annuli & ſerti; & promittitur omne genus officiorum, cum petitione mutui affectus.

3 Poſt

3. Post contractum Matrimonium, dum Sponso, nomine parentum, vel consangvineorũ, traditur Sponsa: prædicatur 1. Sponsi felicitas, quòd votorum suorum factus sit compos. 2. Offertur illi nova Nupta, cum brevi ejusdem encomio. 3. Commendatur ipsius fidei, benevolentiæ, & constantibus honoris officijs.

Deinde nomine Sponsi gratiæ aguntur pro Sponsa tanquam pretiosissimo munere, & inviolabili vinculo, vel pignore, amicitiæ inter duas familias. Acceptatur Sponsa non solùm in domum, sed intima cordis; promittitur indefectibilis amor honorq;, & imploratur Superûm constans favor, ut cœpta felici progressu exituq; coronentur.

Deniq; fit oblatio Munerum ab amicis in Symbolum propensi affectus erga Sponsos, cũ allusione ad materiam vel formam &c. eorum & petitione: ut non tam secundùm materiæ qualitatem, quàm offerentis affectum æstimentur. Deniq; faustorum omnium fit apprecatio. Respondetur simili stylo & affectu, cum allusione simili, quantum fieri potest, ad oblata munera.

III. Funebrium orationum aliæ sunt Consolatoriæ, aliæ Gratiarum actoriæ. Consolatoriæ habentur ad parentes, vel conjugem, aut consangvineos Defuncti, in quibus tria sunt præstanda. 1. Exprimendus dolor comunis conceptus de tristi hoc funere. 2. Adducuntur rationes mitigantes acerbitatem doloris

loris, tum ex Voluntate DEi, tum ex debito incumbente toti generi humano (quæ idoneis Sententijs & eruditione facile exornari possunt) tum maximè ex præclarè gestis Defuncti, uberiùs expositis. 3. Hortatur orator, ut mitigato dolore, lætiora deinceps spectentur. Quia verò hujusmodi orationes prolixiores esse solent: puncto secundo potissimùm immorandum erit, quod Amplificationi satis patentem aperit campum.

PRAXIS

PArentale lugubris Oratoris munus, quod justus mæror vester mihi indixit, subiturus; ita me animo gravatum experior: ut nec ab arte, nec ab ingenio mihi supetat fati subsidij. Magnifici Domini. Quem enim non afficiat acerbissimè jactura Viri, quem immortalem nasci, non unius solùm familiæ, sed Reip. intererat? Quis non consternetur animo, cernens spes & res tantas ferali hoc tumulo, velut infami Scyllâ, aut Charybdi absorptas? Hæc est nimirum funestissima rerum humanarum catastrophe, hoc ineluctabile fatum. Tumeant licet secundissimis ventis vela, remis insuper in Colchidem vel Fortunatas Insulas validissimè impellantur animata navigia: *longè à Caphareis saxis, nullis depugnata turbinibus nullis quassata decumanis fluctibus* (ut miratur Tertullianus lib: de Anima) *adulante flatu, labente cursu, lætante comitatu, intestino repente perculsu, cum tota securitate desidunt*, vanescunt, non sunt! 2.

Illud

Illud me tamen erigit, & vos aſſurgere animis, jubet: quod non totus in cineres; aut nihil, abeat homo; nec omnia ejus bona ſpolium ſint mortis. Manet, ut nobis certum eſt, melior ejus pars, & quam præclarè geſtis ſibi quiſq; comparavit, Gloria. Hac etiam poſt fata vivimus, & floremus. Illa, illa vita eſt, monet Tullius (*Orat. pro Marcello*) quæ viget memoria ſæculorum omnium, quàm poſteritas alit, quã ipſa æternitas ſemper intuetur. Romano ſuffragatur Græcus Orator (*Iſocrates*) aſſeverans: Mortale nos corpus habere, ſed gloria & laudibus fieri immortales. Quamvis igitur & M. Dominus N N. humana paſſus, fatale mortis non effugerit telum: vivit, etiam poſt funera, virtus ejus, perennabit Animus inter melioris patriæ cives; Gloriam immortalibus geſtis partam nulla delebit oblivio, nulla ſepeliet temporum injuria; vigebit florebitq; æternum in ſeræ poſteritatis memoria & plauſu. Eſt enim ea præclarè geſtorum à M. D. N. dignitas & ſplendor: ut minima ejus excellentiæ pars ſit, Genus duxiſſe ab inclytis ſago togâq; Majoribus, quorum virtutes & honores memorẽ recreant & illuſtrant patriam (*Hic exponenda ſunt, Familia, Affinitates, Geſta, & Honores defuncti: Deinde ſubjungendum*) Tanta inter decora vitam egiſſe mortalem, quid eſt aliud, quàm obijſſe Candidatum glorioſæ immortalitatis? Nonne hoc eſt, inter odoriferos Arabiæ ramos mori phœnicem, & ipſa morte fieri immorta-

tem ? Nonne idem eſt, ac ſidus occumbere, ut pulchrius oriatur ? 3. Modum ergo, quantũvis juſto, dolori ponamus, oportet; calentibus pijſq; votis potius, quam intemperanti planctu, pios proſequamur manes; memores opportuniſſimi oraculi, apud Tacitũ (Annal. 2. c. 71) Germanici Cæſaris, monentis: *Non hoc præcipuum amicorum munus eſt, proſequi defunctum ignavo queſtu; ſed quæ voluerit, meminiſſe; quæ mandaverit, exequi*

In Gratiarum actione ſic inſtruitur oratio, 1. Oſtenditur multum levaminis accedere afflictis, ex amicorum conſtanti affectu tum erga defunctum, tum erga ſuperſtites, 2. Dicit orator, ſibi à mœrentibus commiſſum eſſe munus, grates meritas pendendi amicis condolentibus, atq; iſtud ſe, licèt imparem & mœſtum, libenter obire, & iſtorum, & illorum, & defuncti cauſâ, qui multiplici titulo id meritus eſt. 3. Officioſiſſimas agit gratias, nomine hæredum, vel conjugis relictæ, hoſpitibus præſertim ijs, qui luculento encomio honorarunt defunctum, longiore vitâ & immortali memoriâ dignum. Si fieri poteſt, tanguntur breviter ſingulæ orationes ab amicis habitæ. 4. Deniq; offeruntur debita obſequia, & invitantur hoſpites (ubi moris eſt) ad epulum funebre.

§ 1.

§. 3.

De Electionibus.

IN Electionibus idonearum personarũ ad publica & honorata Officia, quæ non fiunt secretis calculis, seu suffragijs, sed Votis publicis, servanda puncta seqventia. 1. Exponitur dignitas talis Officij, & requisitæ dotes ad illud occupandum, & pro dignitate commodoq; Reip. administrandum. Si plures vota ferant, sufficiet ab aliquo illorum recensitas esse in particulari dotes requisitas pro tali officio. 2. Asseritur in genere vel particulari, dotes hujusmodi huic certæ personæ convenire, quæ brevi, vel prolixiore, prout tempꝰ exegerit, encomio comẽndatur 3. Petitur ut ipsi præ cæteris Officium hoc conferatur. Impetꝰ sumi potest etiam ex insigni talis officij. v. g. Ex sceptro vel corona, si Rex eligendꝰ; ex Infula, vel Virga pastorali, si Prælatꝰ; ex Clava, si Dux; ex Scipione, si Director alicujꝰ conventus. Pro praxi subjicio Votum, seu suffragium in Electione Directoris, quem Marschallũ vocant, in conventu Nobilium.

PRAXIS

DUm hominem quærimus inter homines, qui Nobilissimæ huic coronæ præfulgeat ut gemma, præsit ut moderator: Cynica opus non est lucerna. M. Domini. Plus nobis lucis affundit, ad eum reperiendum, illa Alphonsi Arragonij epigraphe, ardenti Lampadi adjecta: *Aliq. serviendo consum*

sumor. Tali nimirum Sparta hæc indiget Præside, qui non privatis, sed publicis commodis intentus, consumi malit serviendo, quàm saginari dominando. Talem, non solùm inter cæteros, sed facile præ cæteris, se nobis in varijs occasionibus probavit .M D. N. Quantùm obsequijs patriæ, quantùm amori omnium, quantùm commodis singulorum se se impenderit; non tā est exaggerandū: quàm mirandum, quod alijs serviendo consumpt9 non sit. (*Possunt hic, si opus sit præclariora quædam ejus recenseri gesta pro bono publico*) Sed is est magnarum mentium genius. Quod pusillas animas consumit, istas alit; quod illas opprimit, istas erigit. Proinde cùm eum in votis habeam9 Directorem, qui Reip. ita sit devotus; ut non augescere per privatæ rei lucra, sed per publicæ incrementa optet decrescere: liberat nos ab ulteriore solicitudine & indagine spectatissima, profusissimaq; sui M. D. N. Virtus. Affundam9 igitur liberaliùs splendidissimæ huic Lampadi singularis benevolentiæ oleum, eamq; altiùs & altiùs attollamus; ut patriæ luceat & illustriùs, & quàm diutissimè.

Hæc habui, Florimunde, quæ Pietati Honestati & Eruditioni tuæ compendio proponerem. Boni consule, magnisq; profice incrementis.